Universidad de Deusto
Biblioteca

DOCTRINAE

JESUITARUM.

5

Coll. Script.
Hist. Germ. S. J.
Abt. HB.
Jes.
1389.

Archiv Prov. Germ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

COLL. SCRIPT.
HIST. GERM. S.J.

DOCTRINÆ

IESVITICAE PRAECIPVA CAPITA.

Tomus quintus,

IN QVO CONTINENTVR varij libelli aduersus fraudes & multiplicia mendacia nouæ istius Antichristi sectæ, quæ sacrosanctum IESV nomen sibi falsò & arroganter tribuit.

15867

Catalogum libellorum sequentes paginæ exhibent.

Bibliotheca Facult. Philosophia Prov. Cast. Orient. S.
COLL. SCRIPT. HIST. GERM. S. J.

RVPELLÆ,
APVD THEOPHILVM REGIVM.
M. D. LXXXVI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

I. DAVIDIS Chytræi respõsio ad Antonij Posseuini Iesuitæ & Mylonij cuiusdam criminationes. Pagina 1.

II. SEX Theses de sacra Scriptura & Ecclesia, publicis in Academia Oxoniensi disputationibus propositæ, explicatæ, & defensæ à Ioanne Rainoldo. 93.

III. DE Iustificatione hominis coram Deo, breuis & simplex demonstratio, ex scriptis sanctor. Prophetarũ & Apostolorum excerpta, & Iesuiticæ sectæ cauillis oppositа: A. G. H. auctore. 206.

IIII. DISPVTATIO, de Lectione veterum scriptorum ecclesiasticorum, contra Iesuitas, qui patres dignitate cum consensu Bibliorũ exæquare conantur. Instituta publicè duabus vicibus, in gymnasio Dantiscano: Authore M. Andrea Frank, tunc temporis Rectore. 251.

V. AD Iacobi Ledesimę, monachi nouæ societatis, quam, non sine blasphemia, societatem Iesu nominant, libellum: quo probare nititur, Diuinas scripturas quauis passim lingua non esse legendas, & sacrificium Missæ, in Ecclesia Christi, Hebræa tantùm, Græca, aut Latina lin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

gua celebrandum: TH. Q. T. perspicua & breuis responsio. 259.

VI. THEOLOGICÆ Disputationis de Ecclesia, in Theses distributæ, quas in Academia Mussipontana, anno 1580. publicè defendit Illust. princeps ac Dom. D. Carolus à Lotaringia Cardinalis Vademõtanus: præside ac moderatore Luca Pinello, Monacho nouæ societatis, quam insigni cum blasphemia societatem Iesu appellant: TH. Q. V. perspicua & breuis Analysis & refutatio. 451.

VII. THEOLOGICÆ disputationis de vera & falsa differentia veteris & nouæ Legis, contra fundamentum Lutheranæ doctrinæ à Caluino etiam receptum, in Theses distributæ, quas in Academia Ingolstadiensi, anno 1580. publicè defendit Christophorus Sella Noribergensis, præside & cõsarcinatore Gregorio De Valentia, monacho nouæ societatis, quam insigni cum impudentia & blasphemia societatem Iesu appellant: TH. Q. T. perspicua & breuis Analysis & Refutatio 775.

AD

AD CHRISTIANVM LECTOREM, PRÆFATIO.

PRO Traditionum tacitarum seu verbi non scripti authoritate, cõtra libros canonicos Veteris & Noui Testamenti, acerrimè dimicant postremi tyrannidis pontificiæ defensores Iesuitæ, sicut ex eorum varijs scriptis apparet, eo fine vt manifestis de vera Religione & salute testimoniis è piorum manibus ereptis, Antichristi idola, nomine traditionum velata, vnusquisque recipiat & adoret. Hic est neruus regni pontificij & vnicum fundamentum quo tota illa declamationum & disputationum Iesuiticarum moles innititur. Porrò vt eludant inuictum illud cælestis veritatis Axioma, In verbo Dei Scripto omnia fidei Christianæ necessaria dogmata contineri: in suis responsionibus quantum possunt maiestatem verbi scripti eleuãt: non scriptum miris laudibus efferunt: dogmatum mentione sepulta ad Traditiones, (quarũ catalogum ab illis expectamus) confugiunt, nos veteris ecclesiæ pastoribus & Synodis bellum indixisse, se verò sensum & consensum verbi

& domus Dei tenere vociferantur. At si propius vrgeas, consensus iste nihil aliud est quàm farrago omnium illorũ Tridentini Concilij decretorum, quæ hodie ferro & flammis sibi viam aperiunt. Non puduit aũt Iesuitas, variis libris editis, adu. verbũ Dei scriptũ, pro Traditionibus, i. plerisq; suis suorúmq; magistrorum somniis, multa prolixè declamitare, quæ in compendium redacta Lectori Christiano offerimus.

De verbo Dei scripto, Iesuitarum Censura.

1. Scriptura (i. Verbum Dei scriptum, in libris veteris & noui Testamenti) est liber hæreticorum.

2. Vetus & fallax ars ac fraus est ad Scripturas prouocare.

3. E Verbo Dei hæreses omnes hauriuntur, Satana Duce.

4. Verbum Dei est (sicut ipse Christus) petra scãdali & signum contradictionis hoc tempore.

5. Hæreticorum Basis hæc est, Omnem sacris de rebus concertantium victoriam in sola scriptura esse constituendam.

6. Fons errorum & mos hæreticorum est, Scripturam facilem, solámque iudicem facere.

7. Prodest Scripturam in multis non esse apertam & perspicuam.

8. Scriptura sola non sufficit. i. scripturæ solis testimonijs omnia (i. omnes de religione controuersiæ) transigi nequeunt.

9. Scripturæ authoritatẽ recipiunt ab Ecclesiæ testimonio. Item ab ea Ecclesia Scripturæ approbatæ, sũt approbandæ: ab ea reprobatæ, sunt reijciendæ.

10. Difficultas Scripturarũ sat magno esse argumento debet, cur non omnes passim ad lectionem earum admittere consultum sit.

11. Non est quorumuis hominum sacras literas cõtrectare, aut religionis negotio se immiscere, quippe qui alienis curis præpediti huc mentem transferre nequeant, vt vel seriò ea contemplentur, quæ religionis esse diximus, vel etiam ad harum rerum interpretes sese conferant.

12. Non est (inquiũt) quod solliciti simus vt vulgus hominum rude & indoctum difficiles Scripturas meditetur.

13. Iuuenibus, quis arcana Scripturæ mysteria audeat concredere? Hos tamen non prohibemus, quin de ijs inter se conferant quæ in cõcionibus aut lectionibus didicerũt. Verum consultius esse ducimus Scripturarum intellectum illis non committere.

14. Chrysostomus non dixit ex eo hæreses oriri, quod Scriptura à vulgo nõ legatur, cum illud falsum esse tot hactenus secula docuerint, in quibus nulla vnquam reperta est hæresis quæ nõ Scripturis fuerit vsa: imò (vt audentius dicamus) quæ nõ ex scripturis occasionem acceperit.

15. Psalmo 19. vbi propheta dicit Legem Dei immaculatam conuertere animas, Mandata Domini recta lætificare cor, &c. nulla fit Scripturarũ mentio, sed tantùm legis & mandatorum Dei, in quibus vi-

ta omnis nostra, totáque salus consistit.

16. Theologicas quæstiones è solis Scripturis iudicari & absolui omnino non oportet.

17. In Scripturis vnus ac idē locus sensus diuersos frequenter admittit: imò verò vna ac eadem res non modò varia sed etiam contraria solet significare.

De Traditionibus, Iesuitarum Theses aliquot.

1. Quæ sermonis prophani nouitas, quæ iudicij temerarij peruersitas in istis hæret Euangelicis, qui propter suas persuasiones de alijs male cōceptas, nullum locum traditionibus & operibus à Deo nō mandatis reliquum esse sinunt? Quàm præposterè metuūt ne labores immodicos suscipiamus, néve cultus inutiles exhibeamus, si hoc illūdue factu necessarium esse, tum religionis, tum voti, tum obedientiæ, tum penitentiæ causa nobis statuerimus. Quid autem vel immodicum, vel inutile potest existimari, quod pius animus ad æternam illam maiestatē, quæ nunquam satis honorari ac diligi potest, colendā, vel ad salutem animæ, qua nihil est in mundo præstantius, comparandam, instituit atque molitur?

2. Sunt præter Decalogum alia præcepta (Ecclesiæ) Christianis obseruanda.

3. Summum atque externum iudicium Christus defert deferríque iubet ad Ecclesiam, id est ad Ecclesiæ præpositos & Rectores.

4. Diuina est ista hæc obseruatio, quæ nec aboleri potest humana authoritate, vt certis legibus, ijsque partim

partim scriptis, partim non scriptis, quas Apostolica nobis commendat traditio, Ecclesia regatur, dogmata conseruentur, religio vindicetur, alatur concordia, disciplina retineatur.

5. Triplicem scripturā habuit Ecclesia sub lege. 1. Digito Dei exaratā, decalogum videlicet. 2. Quam Mosi & Prophetis suo spiritu dictauit. 3. Pontificum decreta, quæ ex cathedra Mosis statuebāt. Cùm autē sub lege Euāgelica gloria domus secūdæ, hoc est Ecclesiæ, non sit minor gloria domus primæ, nimirū Synagogæ, debebit Ecclesia hac in re nō esse synagoga inferior: habebitq; manum sui spōsi, & genuinā scripturam. At Christus nihil scripsit quod extet. Quærenda est igitur alia scriptura, quā manu sua Christus exarauit. Eam nobis D. Paulus ex Hieremia Propheta ita manifestat, Dabo leges meas in mentē eorum, & in corde eorum superscribam eas. Christus enim nec Ecclesiam suā à chartaceis scriptis pendēre, nec mēbranis mysteria sua committere voluit (quod Moses olim magna ex parte fecerat carnali populo) Sed cùm spiritualem constitueret Ecclesiam, suo Spiritu S. informatam, vsus est sublimiori charactere, scribens digito Dei in corde Ecclesiæ.

6. Est autē scriptura hæc, Ecclesiæ Catholicæ consensus, & cōcors omnium Christianorū, qui sunt per orbem terrarū, doctrina: nō horum modò, sed & eorum qui per continuas successiones ab Apostolis ad nos vsque fidem propagauerunt, quæ scriptura, vt ait Apostolus, 2. Cor. 3. legitur ab omnib. Estq; illa

vnctio quæ docet nos de omnibus, quã qui percepit, non necesse habet ab alio doceri, sicut Ioãnes loquitur, 1. 3. cum sit θεοδίδακτος.

7. Huius scripturæ præstãtia multis partibus superat scripturas quas nobis in membranis Apostoli reliquerunt.

8. Illa est exarata digito Dei: hæ calamis Apostolorũ.

9. Illa est antiquior, nempe cum Ecclesia data: hæ posteriores, quia cõstat totis duodecim annis sine scriptis Apostolicis Ecclesiam fuisse.

10. Scripta Apostolorum prioris illius (Traditionis non scriptæ) confirmatione indiguerunt: quia Euangelio non crederem, ait B. Augustinus, nisi me Ecclesiæ authoritas commoueret.

11. Istæ (Scripturæ Canonicæ veteris & noui Testamenti) sunt litera mortua scripta atramẽto in mẽbrana, vel charta: quam si quis vel truncare velit, vel torquere, vel prauis expositionibus corrumpere, nihil sentiat: Illa verò (traditio nõ scripta) cùm scripta sit spiritu Dei viui in cordibus viuis Ecclesiæ, truncari & torqueri se non sinit: Sed sui per omnia similis perseuerat.

12. Istæ non omnia continent religionis mysteria explicitè, vt pote non ob id datæ vt formulã exactam & omnibus numeris absolutam nobis præscribant fidei, administrationis Sacramentorum, aliorúmue in Repub. Christiana necessariorum: sed occasione quadam, vel ad Iudæos & hæreticos confutandos vel ad abusus quosdã tollendos, vel ad fideles cõsolãndos, à quibusdã scriptæ & nõnullis Ecclesiis missæ. Illa autem, quam Spiritus sanctus in cordibus imprimere dignatus est, omnem veritatem in se habet, omnia fidei mysteria omnémq; rationem Christianæ religionis complectitur, & omnia dubia, quæ de fidei negotijs exoriri possunt dissoluit.

13. Spiritus sanctus (inquit Christus) docebit vos omnem veritatem. A qua Scriptura hoc habet Ecclesia, vt ab Apostolo, Columna & firmamentũ veritatis vocetur: & de ea à Christo dicatur, si Ecclesiã non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus?

14. Ex hoc sequitur hanc Scripturã (traditionem tacitam) esse omnium Scripturarum interpretem, omnium opinionum iudicem, omnium errorum expultricem, à cuius iudicio non liceat cuiquam ad alium iudicem prouocare, immò cuius iudicium omnes suspicere & sequi teneantur.

15. Vnde quando in religione quæstio mouetur de Christi diuinitate, de Sanctorum inuocatione, de cultu imaginum, similibúsque rebus, de quibus Scriptura diuina, in membranis relicta, quædã ad aliorum mentem dicere videtur, inspicienda atque peruolutanda sunt viua in corde Ecclesiæ diuinitus impressa atque inusta monumenta, in quibus (tanquam in clarissimis commẽtarijs ac certissimis explanationibus) acquiescere debemus, nimirum quid de his quæstionibus Ecclesia per orbem sparsa, & nunc & hactenus, ad Apostolorũ vsque tempora longa serie deducta crediderit atque seruauerit, & quo sen

Scripturas in contrariã partem allatas intellexerit.

16. Penes hanc Eccleſiam eſt quædam, etiam in ſacris literis expreſſa commutandi authoritas, non nulla etiam, pro ratione temporis, loci & perſonæ, inſtituendi par facultas. Penes hãc ſolam eſt ſacras Scripturas interpretandi & docendi inuiolabilis poteſtas, vt ſine ambiguitate doceat, quid in ÿs apertè, quid in myſterio contineatur, vel quid ex ÿs elicitum omnino credi debeat. Ac proinde nec minor illi, quam expreſſo Dei verbo, vindicãda eſt authoritas.

17. Tertij generis ſcriptura eſt in decretis Conciliorum generalium, quæ Chriſtus grauiſſimo ſuo teſtimonio & autoritate cõmuniuit. Luc. 10. Matth. 18. & 28. Quæ ſanè decreta (ſi veritatem, ſi obſignationem Spiritus ſancti, ſi præſentiam Chriſti ſpectes) idem habent pondus & momentum quod Sancta Dei Euangelia.

18. Omnia fidei myſteria, cæteráque creditu & ſcitu neceſſaria, in corde Eccleſiæ ſunt clariſſimè exarata: in membranis tam veteris quam noui Teſtamenti multa deſiderantur.

Plura poteram tibi exhibere, lector: ſed ad tam execranda mendacia tota mens ita cohorruit, vt longiùs progredi recuſaret. Quàm verò abſurda & impia ſint quæ euomunt noui iſti ſodales aduerſus ſcriptum Dei verbum conuicia, facilè percipis. Perpetua ſophiſtica ludunt, Chriſti Eccleſiam in Antichriſtiſ ynagogam transformãt, nouam fidei normam cudunt, Spiritum ſanctum conſtituunt ſibi ipſi repu-

repugnantem, & (quidquid conentur) tamen ſeipſos ſuis gladÿs iugulant: ſicut ex vnaquaque eorũ theſi non difficile eſt colligere. Exempli gratia: Scriptura (inquiunt) eſt liber hæreticorum. Illud pernegamus. Attende lector. Sub vnoquoque verbulo latet ſophiſma, quod excutiendum tibi relinquimus, videlicet quid nomine ſcripturæ, libri, hæretici, iſti intelligant: miras enim ſtrophas, æquiuocationes, amphibolias, perpetuas petitiones principÿ ab acutis diſputatoribꝰ expecta. Cæterum quænam eſt hæc conſequutio, Hæretici ſcriptura abutuntur, Ergo ſcriptura eſt liber hæreticorum? Immò ſcriptura nõ eſt hæreticorum liber, quandoquidem ea abutuntur. Huic falſæ theſi veram igitur opponamus. verbum Dei ſcriptum eſt liber Chriſtianæ Eccleſiæ: ideo κατ' ἐξοχὴν ſcripta Prophetarum & Apoſtolorum Biblia, id eſt libri appellantur. Nec hæreticis, ſed veris paſtoribus & pÿs omnibus dicitur, Attende lectioni: Scrutamini Scripturas: habemus firmiſſimum ſermonẽ propheticum, cui rectè facitis quod attendatis. Præterea, etiã ſi daremus ſcripturam hæreticis pertinacibus & conuictis eſſe auferendam, non ſequeretur, vt Ieſuitæ iubent, idiotas & laicos (quos vocãt) à lectione Sacrorũ librorum arceri debere, niſi prius impetrata ab Epiſcopo venia, ne ſcilicet fiant hæretici: quod eodẽ recidit ac ſi quis diceret, Vinũ viris ſobrÿs & modeſtis eſſe auferẽdũ, eoq; ebrioſi tã præſtãti Dei dono abutuntur. Hic vertat cogitationẽ æquus lector ad plauſtra illa impiorũ & ſpurciſſimorũ librorũ quos ſub Papatu ſcri

ptos, excusos, cõpactos videt, ferũt, & terũt Pontificij. Digna certè patellis opercula. Si quis verò sacra Biblia, Rabbinis istis insciis aut nolentibus, euoluat hæreticus habeatur: & meritò, quippe qui ex illa lectione turpitudinẽ eius Ecclesiæ quæ ex fideli facta est deplorata meretrix agnoscat, detestetur & longè fugiat. Sed de hoc argumẽto plus satis, còm tibi quinque tomis iã editis varij tractatus oblati sint, quibus Iesuiticæ cauillationes de Traditionibus, & Ecclesia, Veterum testimonijs prolixè refelluntur: vt isti vel desinant Apostolicorũ virorũ nomine ad mendacia sua legenda turpiter abuti, vel in peius proficientes ad Christi tribunal blasphemiarũ suarũ rationẽ reddituri tandẽ pertrahantur. Vnum illud addã si Traditiones omnes tacitas, tum sepultas, tũ ab illis aliisque Papæ mancipiis miris technis suffultas, à Dei spiritu trahere originẽ asserunt, vt solent: petimus conciliationem earũ cũ testimoniis ex verbo scripto desumptis. Sibi semper conuenit. S. Spiritus. Distinctionem triplicis Scripturæ si recipiunt, quorsum tam miserè torquẽt dicta Prophetica & Apostolica, vt ex ijs detortis, inuitis & repugnantibus, probent precationes & oblationes pro defũctis, Quadragesimale ieiunium, ciborum delectũ, cultum imaginum, purgatorium, ignem, chrisma, rasurã & suppellectilẽ missaticam sacrificulorũ, aliáq; eiusmodi, quæ tamen à traditione non scripta se accepisse fatentur? Integrã certámque fidei nostræ normam in scripto verbo non cõtineri Iesuitæ affirmant. Quibus autẽ traditionibus

defectum

defectum istũ suppleri velint, ab illis cupimus audire. Et quoniã vndiq; scriptis editis, tanquã telis, veritatẽ Filij Dei per latera nostra transfigere putãt, rogamus vt traditiones istas, nominatim, breui methodo, sine conuiciis & clamoribus nobis exprimere dignẽtur: vt quid sequi, credere, & recipere debeamus in veri Christianismi professione, semel à magnis istis magistris perdiscamus & sequamur. Interea nobis maneat liber iste Prophetarum & Apostolorum, quem hæreticorũ esse clamitant. Ridendas porrò nec non execrãdas nobis propinant assertiones suas quibus Ecclesiæ catholicæ & Apostolicæ nomen, nouæ ecclesiæ Romanæ tribuunt. De hoc quæritur, Iesuitæ. Vos affirmatis: nos cõstanter pernegamus. Ad testimonia veterum prouocatis: nos item. Iterum, qui sint veteres quæritur. Vos pro Apostolicis viris nõ modò qui proximè Apostolis successerunt, verùm etiã infinitos alios Patrum aut Doctorum Ecclesiæ nomine prorsus indignos (ac si numerandæ nõ ponderãdæ essent sententiæ) causæ iudices aduocatis. Nos ad scripta Sanctorũ, Patrum, Prophetarũ & Apostolorũ, vos reuocamus. Nec verè Apostolicorum virorũ fugimus iudicia, quatenus (vt ipsimet Apostolici viri hortantur & iubent) cum Propheticis & Apostolicis pronuntiatis conueniunt: quæ si non satis firma ad decidendas de religione controuersias asserere pergitis, Apostolicos viros arguite, qui ex scripto verbo in Concilijs, in colloquiis, in disputationibus, epistolis & refuta-

tionibus præclaram de Patriarchis vestris victoriam reportarunt. Accedite ad Legem & Testimonium, ad Propheticos & Apostolicos sermones: nisi forte lux ista traditionum vestrarum fucis & fumis officiat. Verùm, ad te redeo, Christiane Lector. Etiamsi hoc tomo aliæ disputationes de rebus grauissimis aduersus Iesuitas institutæ sint, tamen de vnico illo Scripturæ & Traditionum dogmate tecum agere volui, quoniam is locus Controuersiarum omnium quæ inter Christianas & Pontificias Ecclesias ortæ sunt cardo mihi semper visus est. Nã si Iesuitas aut cæteros ἑτεροδόξους cogas ad verbi scripti testimonia sistere suas opiniones in rebus quæ ad fidem & salutem æternam pertinent, stare non poterunt. Necesse est enim mẽdacij nebulas à veritatis Sole dissipari. Quæ igitur hic tomus, & priores alij à Theophilo nostro editi, varia doctorum virorum scripta anti-iesuitica exhibẽt, precor per Sacrosanctũ nomẽ Domini nostri & vnici mediatoris, IESV, quod isti impostores se & sua impudẽter & falsò adscribũt, vt modesto pióque animo euoluas, probes Spiritus an ex Deo sint, & agnitæ veritati des gloriam. AMEN.

Dauidis Chytræi

RESPONSIO AD ANTONII POSSEVINI IESVITÆ, ET MYLONII CVIVSDAM CRIMINATIONES.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. *Ioanni* III. *Suecorum, Gothorum, Vandalorum, aliarúmque gentium orbis Arctoi ampliſſimarum* REGI, *Domino clementiſs.*

Occaſio huius reſponſionis.

QVINDECIM anni ſunt, cùm Viennę in Auſtria aliquot mẽſes commorans, inter alios labores tum mihi mandatos, Syluulam de ſtatu Eccleſiarum Græciæ & Aſiæ, ex multorum præſtantium virorum, qui partim Græci erant, partim Byzantij & in Græcia aliquandiu vixerant, & humanitatis cauſa ſubinde ad nos accedebant, ſermonibus diligenter perueſtigatam, primùm collegi.

Laus Græcorum Patrum

Cùm enim fontes Doctrinæ Chriſti & Apoſtolorum, Græcis literis primùm nobis traditos, & ab eloquentiſsimis interpretibus Baſilio, Nazianzeno & aliis, qui longo poſt ſe interuallo, latinos omnes relinquũt, illuſtratos eſſe: Philoſophiam quoque vniuerſam,

Universidad de Deusto
Biblioteca

mathemata, artē medicā, & veterum monarchiarū historias, nos veteri Græciæ post Deū debere scirem: fateor magno & ardenti desiderio præsentis status Græciæ sub Turcarum Imperio cognoscendi, me accensum fuisse præsertim cùm funditus à Tyranno Turcico Religionem Christianam deleri, & doctrinam ac ritus Ecclesiæ Christi omnes aboleri & extingui, vulgo in Germania, & mihi etiam puero persuasum fuisset.

Status Ecclesiarum Græcarum.

Singulari igitur cum voluptate & lætitia quod antea mihi & multis in hac Germaniç parte aliis ignotum erat, didici, non libros solùm sacræ scripturæ & Euangelij Christi in templis Christianorum in Græcia publicè haberi & legi, & ritus à maioribus acceptos seruari: verùm etiam ordinē & gradus Episcoporum & Patriarcharum veteres, totamque politiam & iurisdictionem ecclesiasticā, à Turcico Imp. tolerari & defendi, ac, si non puriorem, certè non minùs Christianam, quàm in Pontificis Romani ecclesia, Religionem, in Græcia, sub Turcarum tyrannide reliquam esse.

Autoris consilium.

Hæc domum in scholam, ad Chronici lectionem reuertens, auditoribus nostris, non, vt Lutheranam doctrinam adstruerem, aut Pontificias aliarúmve sectarū opiniones refellerem, & illic, vel alibi dominari ostenderem: sed velut simplicem & nudam præsentis status ecclesiarum Græciæ & aliarum gentium historiam, nihil falsi fingens, nec quidquam

quam veri in huius aut illius gratiam reticens, simplici ac bona fide recitaui, μόνην τὴν ἀληθείαν θύων, solam veritatem cum audientiū vtilitate & oblectatione habens propositam, nec quidquam minùs suspicans, quàm post quindecim annos primum me publicè ὑπεύθυνον fore.

Posseuini ἰσοφήμης illius Mylonius, post tot annos, accusationem Orationis illius de Ecclesijs Græciæ capitalem, edito libello, Regiæ Maiestati Tuæ inscripto, instituunt, quibus respondere, Deo iuuante, & veritatem historiarū, quas Oratio illa exponit, & articulorum doctrinę, quos hæreseos & mendacij Posseuinus arguit, defendere hoc scripto decreui.

Posseuini ἰσοφήμης suitæ Mylonii que malus animus.

Nec dubito Regiam Maiestatem Tuam tali grauitate, prudentia & doctrina præditā, in Posseuini & Mylonij libello, Regiae Maiestati Tvae dicato, nō solū Orationis proteruiam & à Christiana mansuetudine & modestia alienam scurrilitatem conuiciorum, verùm etiam dogmatum, quæ tuenda nouis verborum præstigiis, ac coloribus pingenda susceperunt, manifestam impietatem & vanitatem ex animo improbare & detestari.

Iesuitica impudentia.

Vix enim ipsa, si loqui vellet, Impudentia, posset impudentiùs, & perspicuo Dei verbo, ac primæ & Apostolicæ ecclesiæ testimoniis ex diametro aduersantur dogmata, ideóque iamdudum ex ecclesiis regnorum tuorum,

per ſapientem & fortiſſimum regem Guſtauum patrem tuum laudatiſſ. memorię, explosa & ejecta ſunt, pro quibus, tanquam pro aris & focis, hi ſcriptores acerrimè pugnant: Inuocatio hominum mortuorum: Adoratio imaginum & ſtatuarum: Damnatio coniugij ſacerdotum: Sacrificium Miſſæ propiciatorium pro peccatis, pœnis ſatiſfactionibus & aliis neceſſitatibus viuorum, & pro defunctis ex purgatorio redimendis: Mutilatio Sacramenti, ſeu priuatio calicis: Miſſæ priuatæ ſeu ſolitariæ quæ proſint aliis, pro quibus offeruntur & applicantur, viuis & mortuis. Quæ omnia catholici iſti, vt aiunt, miſerati iſtorum Regnorum in ſeptentrione, ex quibus Religio, & interiores literæ, Apoſtolicique patres in exilium abierint: reſtitutũ iri in hęc regna, ſuis laboribus & ſcriptis, minimè ſe dubitare profitentur.

Iuſta autoris poſtulatio.

Cùm autem tuæ potiſſimùm Regiæ Maieſtati offerre ſua illis viſum ſit: veniam mihi quoque, clementiſſimè dabis, quòd R. M. Tuam, cuius animum ſua accuſatione præuenientes occupare illi voluerunt, me quoque pari beneuolentia audituram, & tum demum pronunciaturam ſpero. Non enim patronum mihi hac compellatione, ſed in grauiſſimis controuerſiis cenſorem quæro, cuius iudiciũ, propter doctrinam, rectum: & propter faſtigium Regiæ Maieſtatis, liberum & æquum fore confido.

Qualis patiẽtia deceat Chriſtianos, præcipuè veros Theologos.

Quòd, ſi me tantùm læderet priuatim hæc crimi-

criminatio vel de ingenij, prudentiæ, aut doctrinæ Theologicæ, quã nullam aut per exiguam in me eſſe, ipſe fateor: adeo etiam ſi de morum & virtutum laude (quas in ſanctis quoque non valdè ardentes, ſed tenues & inchoatas vmbras eſſe ſcimus) certaretur: prorſus Seueri exemplo, ἐμμελῆς τῶν πραχτέων ἀμελὴς δὲ τῶν περὶ ἐμὲ λογοποιημάτων, intẽtus in ea, quę ſũt agenda: & aliorum de me fabellas negligens: vt multas hactenus multorũ, ex propinquioribus locis me allatrantium', obtrectationes & iniurias: ita hæc quoque conuicia ſilentio diſſimularem & contemnerem. ſicut Atticũ ciuem legimus, cùm in publico foro quidã, audiente populo, omnia in eum maledicta & probra toto die iecisſet: prorſus nihil reſpondiſſe. Cúmque cõuiciator ſilentio factus audacior, abeuntem veſperi, omnibus verborum contumeliis, domum vſque inſectaretur: ille placido vultu, miniſtrum præire cõuiciatori cum face iuſſit, ne fortè in tenebris domum rediens alicubi offenderet. vel potiùs Dauidis exemplo, æquanimiter flagellũ Domini ferrem, qui vt variis modis ſuos exercere & caſtigare ſolet, mihi quoque ſatanas iſtos Colaphiſtas addidiſſet, ac bonũ pro his maledictis tandem redditurus eſſet.

Phocionis egregium facinus.

Dauidis patientia.

Sed cùm ipſius Filij Dei voce traditam, de præcipuis Chriſtianæ religionis noſtræ articulis, doctrinam, in hac ſchola, R. M. T. ſubditis & aliis propoſitam, Hęreſeos & mendacij nomine ſubinde repetito traducat & exa-

In crimine hæreſeos Theologum non decet eſſe patiẽtẽ.

Universidad de Deusto
Biblioteca

gitet:& atrocissimum Hæretici crimen nominatim impingat: hãc tam diram criminationem præterire impietas esset.

Quis modus in disputationibus Theologicis seruandus.

Respondere igitur breuiter decreui,nõ vt meam famam aut scripta tuear: omnia enim hæc Deõ & piorum iudiciis iã pridem commendaui:& ingenuè fateor,me,non solùm à sophistica,sed in vniuersum à rixis abhorrere, ac vt ille ait,aliquantò magis fatuum esse senem rixatorem,quàm senem amatorẽ sentio : & in hoc senectutis limine, & inualetudine perpetua, me ad mortem,quæ non procul abesse potest, præparo. sed vt iuniores & alios,qui in hac schola docentes audiuerunt, confirmem,ne de doctrina diuinitus patefacta,quam in R.M.tuæ regnis inclytæ memorię pater tuus doceri in ecclesiis,& propagari iussit,& quam in hac etiam ecclesia & schola collegę mei & ego fideliter sonamus,propter has sycophantarum criminationes minus honorificè sentiant, nec ab ea deduci se aut deterreri vllis calumniis sinant.

Impugnatio Euangelicæ doctrinæ à Iesuitis repetita ab eorũ maioribus Pharisęis iãpridem instituta est.

Vt enim Christi & Apostolorum temporibus impij Pontifices, Pharisæi & Sadducæi & eorum satellites propter ordinariam successionem & gubernationem,ecclesiæ nomẽ & veritatis possessionem falsò sibi arrogãtes, Christum ipsum, velut Hæreticum, mendacem,ac blasphemum damnabant: & omnes Apostolos,ijsdem hæreseos & seditionis criminibus fœdatos, crudeli odio & suppliciis persequebantur;ita non miremur alios quoque

que doctrinam à Christo & Apostolis traditam piè & fideliter profitentes,& impios cultus ac Idola verbo Dei taxantes,iisdem præconiis à Pontificum satellitibus,ornari.

Summa doctrinæ Ecclesiarum quæ Augustanam cõfessionem profitentur.

Regulam certè & Normam fidei ac inuocationis Dei & cultuum ipsi exhibendorum vnicam & immotam sequimur doctrinam Christi,ipsius voce traditã & sacris Prophetarum & Apostolorum scriptis comprehensam,& symbola ecclesiæ catholicæ,& primæ ac purioris ecclesiæ Synodorum probatarũ, Nicenæ,Byzantinæ,Ephesinæ & Chalcedonensis de dogmatibus decreta,& scimus hoc genus doctrinæ, quod in confessione Cæsari Carolo V.Augustæ exhibita profitentur ecclesiæ nostræ,non farraginem vt impudẽtiss. hi sycophantæ conuiciantur:sed verè cõsensum esse catholicæ ecclesiæ Christi,quẽ fideliter tuemur,ac DEO iuuante semper aduersus omnis generis furores,Epicureos, Iudaicos,Mahometicos, & quoscũque Hæreticos, expressè pugnantia cum articulis fidei certo verbo Dei patefactis, pertinaciter propugnantes,constanter tuebimur.

Iesuiticę censuræ vanitas.

Non enim protinus hæreticum est, quod Posseuino aut Mylonio hæresin sapit,vt non continuò sanctum est quod placet. Candidũ & æquum lectorem omnium patrum scripta desiderant,qui si desit,nec in Cypriano , nec Hilario,nec Hieronymo, nec Origene, nec Augustinõ aberit, quod ad hæresis crimen trahi possit. Quid igitur magni sit in meis,

qui nihil sum, commentariolis alicubi reperire, quod interpres iniquus ad calumniam detorqueat?

Iesuitarum audacia Sycophantica,

Alienissimum autem est ab omni humanitate, & cum Christiana charitate pugnans, tuis rebus omissis, in alienis scriptis obambulare, & Momum quendam, seu potiùs sycophantam agere. Cùm nihil ita piè & circumspectè à quoquam dici aut scribi queat, quod non malignè interpretando deprauari vel stropha aliqua eludi possit: ac, vt verè Erasmus suis calumniatoribus alicubi respondit: in tanta ingeniorum, opinionum ac iudiciorum varietate, omnibus omniũ suspicionibus, causationibus, deprauationibus, detorsionibus, satisfacere, nec potest quisquã, nec fieri refert, cùm & in Apostolicis literis inueniat calumnia, quod arrodat, nec vllus omnino scriptor orthodoxus ad hunc vsque diẽ tam felix extiterit, vt non cum venia legendus sit.

Quo animo legendi veteres & recẽtiores Scriptores.

In Romanorũ Pontificum, in Hieronymi & Augustini scriptis inueniuntur, quæ sententiam habent simpliciter hæreticam, si quis nunc ea profiteri contendat. Sunt humani quidam lapsus, quos aliis meritis condonat æquitas. Non enim omnis error hæresis est, ac quid faciat hæreticum Augustinus existimat regulari quadam definitione comprehendi aut omnino non posse, aut difficillimè posse.

Iuxta hæreticos doctrinam à Tertulliano traditã, Iesuitę reperientur peruicaces hæretici.

Tertulliano Hæresis est doctrina, quam quis

quis arbitrio suo eligit, non traditã in Euangelio. Nobis enim, inquit, nihil eligere pro arbitrio licet, sed si quis aliud euangelio prędicauerit, anathema sit. Quæ definitio si valebit, omnia, quę in libello tuo Possevine aduersus me defendenda suscipis dogmata, manifestissimæ Hæreses erunt. Vbi enim in Euangelio Christi & Apostolorum Missę absque communicantibus celebrandæ mentio vlla? Vbi in Missa corpus & sanguis Christi Deo à sacerdote offerri pro viuis & mortuis iubetur? Vbi calycis vsus Laicis prohibetur? Vbi coniugio sacerdotibus interdicitur? vbi ad statuas & imagines aduolui, & homines mortuos inuocare docemur? An non his omnibus contraria Christus & Apostoli tradiderunt? an nõ prima & purior ecclesia aliquot seculis statuas & imaginès non modò non adorauit, sed etiã vt ethnica Idola prorsus detestata ne tolerare quidem in templis voluit? an non Missæ venales & solitarię, primæ illi & Apostolicæ ecclesiæ fuerunt ignotæ? an non integri Sacramenti vsus à Christo & Apostolis ecclesiæ traditus ab omnibus patribus religiosè conseruatus est? Quid de circumgestatione panis, ne quidem ab ipso PP. Vrbano, cùm festum corporis Christi institueret, mandata, dicam? Idem quod præceptorem meum Melanthonem alicubi dicere memini: Si iam reuiuiscerent Ambrosius & Augustinus, vt non dicam de Apostolis, & venirent ad hæc spectacula, in quibus longo

Iesuiticæ matæologiæ summa.

Ambrosio & Augustino ignota missæ theatricæ spectacula.

ordine incedunt sacrificuli gestantes ligneas, argenteas, marmoreas statuas, deinde verò sequeretur Hierophantes gestans panem, viderentque circumfusam multitudinem inuocare hunc panem, expauescerent, ac interrogarent vbi gentium essent, & quæ nouæ post suam ætatem Ethnicorum ceremoniæ natæ essent. Non enim putarent se in loca ecclesiæ Christianę venisse. Cùm verò audirent, Cœnam Domini in hunc morem conuersam esse, tum verò simul dolore atque indignatione exardescerent, & magno animi motu populum ad verum Sacramenti vsum reuocarent, & de veris pietatis exercitiis monerent.

Conclusio Posseuinum & Mylonium (nõ Chytręum) esse hæreticos.

Tam tetros errores, euangelio Christi & Apostolicæ ecclesiæ testimoniis, aduersa frõte repugnantes, ad quos iudicandos & refutandos, non tam scientia, quàm conscientia opus est: cùm Posseuinus & Mylonius in hoc libello suo profiteantur: & fucosis sophismatum præstigiis tueri conentur: se ipsos potiùs Hæreticos agnoscere ac emendare primùm debebant, priusquam curiosè in alium inquirerent, adeóque petulanter & procaciter non prouocati criminarentur.

Hæc conuicio omnium atrocissimo, quod libelli sui titulo Posseuinus præscripsit, opponere, quãtum nunc quidem videbatur, inirio volui.

Scopus autoris.

Nunc ad Impostturarum ipsius, sic enim ipse loquitur, farraginem, oppositam Orationi de ecclesiis Græciæ, refutãdam accedo.

Qua

Qua absoluta Mylonij etiam criminationes, in epistola nominatim ad R. M. T. aduersus me accendendam prefixa, breuiter depellam.

Prima Iesuitæ calumnia.

Initiò, inquit, in ipsa Græcia hodierno die non modò doctrinam & ritus Christianæ religionis, verùm etiam ordinem & gradus Episcoporum sub Turcica tyrannide vigere ait. At paulò pòst, Chytræus in Græcia & Asia fatetur esse ritum inuocandi beatissimam virginem Mariã & sanctos alios, & pias eorum imagines: fatetur plerosque Basilij sententiã probare, quòd iusti apud DEVM sint, qui appensa lance, plura in se bona opera quàm peccata inueniant: fatetur Thomæ Aquinatis summam, à Græcis studiosè legi. Cùm autem hæc omnia conuelli à Lutheranis soleant: ecquid hæc ad Lutheranismi cõprobationem faciunt? quidnam hæc ponderis ad recentes hęreses adstruendas habet? An non suo se gladio iugulat Chytræus, dum in Græcia vigere doctrinam ab antiquis tẽporibus ostendit, quæ cum hæresibus Germanicis conueniat? Hactenus Posseuinus.

Chytræi responsio.

1. De proposito in publicanda oratione de statu Ecclesiarum in Græcia.

Respondeo autem nunquam mihi, ne per febrim quidem somnianti, in mentem venisse, quod Posseuinus in hac Oratione propositum mihi fuisse fingit, vt persuaderem imperitis, Græcorum religionem cum Lutherana prorsus conuenire: aut præsidia & firmamenta nostræ doctrinæ à recentibus Græcis peterem: aut Græcos in Lutheranorum cõfessionem vel aliorum qui ex Germania eam

Patriarchæ Græcorum miserant, concessisse.

Simplicem & nudam Historiæ commemorationem, & formam Græcarum ecclesiarum præsentem, siue nostris, siue Pontificiis, siue aliarum gentium Christianarum institutis congrueret, adumbrare auditoribus volui.

Confirmationem verò & comprobationem nostræ Doctrinæ, nõ à recentibus Græcis aut Latinis, non Posseuinis vel Myloniis, sed ex summi Doctoris & seruatoris nostri Iesu CHRISTI & Apostolorum ipsius scriptis oraculis petimus, & primæ ac sincerioris ecclesiæ, Apostolorum temporibus vicinæ, testimonia adiungimus. Non igitur meæ Orationis propositum seu scopum, quem subdolè & sycophanticè transponit & peruertit, sed laruam à se confictam Posseuinus oppugnat, & toties in singulis paginis iterat, asseuerat, inculcat, quasi quod per se falsum est, crebrò asseuerando verum fiat, ac mendacium esse desinat, si constanter idem ac subinde mentiaris.

2. De inuocatione & imaginibus Sanctorum.

Quod verò de Benedicta ac beatissima virgine Maria ac cæteris sanctis Dei amicis, Posseuinus hoc loco intexuit, fatemur eos eximio & singulari honore afficiendos, & grata mente ac voce, eorum fidem, confessionem, humilitatem, patientiam, labores, & benemerita erga ecclesiam, celebranda esse. Statuas autem & imagines Mariæ aliorúmue sanctorum & Mariam ac sanctos ipsos adorare,

rare, & auxilium ac liberationem in periculis, morbis, morte, ab iis petere & expectare: id siue à Græcis, siue à Latinis fiat, cùm Norma Inuocationis æterna, verbo Dei tradita, quæ vnum solum verum DEVM opitulatorem in ærumnis inuocare iubet: & cum prima & puriore ecclesia Græca & Latina, Apostolorum ætati proxima, planè pugnare scimus. Quæ scriptura de hoc narrauit, inquit Epiphanius, quis Prophetarum præcepit Hominem adorari, nedum mulierem? Est honoranda Maria, sed nec Maria neque quisquam SANCTVS ADORETVR. Si enim Angelos adorari non vult, quantò magis Annę filiam. An non Idolatricum est Statuas, humanas Imagines præ se ferentes, adorare &c.

Hoc antiquissimæ Græcæ ecclesiæ testimonium, quia cum Norma veritatis diuinæ congruit, sequentium seculorum consuetudini palàm Idolatricæ, siue in Græcis siue Latinis templis seruetur, (neque enim firmamẽta & præsidia fidei nostræ à Græcis vel Latinis, sed ex vnica verbi & veritatis diuinę Norma petimus) longè ante ferẽdum esse, omnes sani fatẽrentur. Nec te Posseuine arbitror Thomæ Aquinatis vestri dogma defensurum, qui Imaginẽ Christi, & crucẽ Christi, Adoratiõe latriæ (quæ certè solius Dei propria est) adorandam esse docet. Sic ad Basilij lances bonorum & malorum operum in DEI iudicio appendendas quod attinet, te quoque sentire arbitror, magis cum Pauli doctrina Rom. 4.

3. De dicto Basilij, à Iesuita detorto pro meritis operum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

affirmante Abrahamum non ex operibus, sed fide, propter solum Christum, coram DEO iustificatum esse, congruere, quod alio loco idem Basilius inquit, Christum nobis factum esse sapientiam à Deo, iusticiam & sanctificationem, & redemtionem, sicut scriptum est, Qui gloriatur in Domino glorietur. Hæc est enim perfecta & integra gloriatio in Deo quando neque propter iustitiam suam quisquam effertur, sed agnoscit sese indigere vera iusticia, fide autē SOLA in Christum iustificari. Quam postremam sententiam *Victor Massylienſis disticho complexus est: Credidit, & nudæ fidei consensio* SOLA, *Plenam ad Iustitiæ & meriti reputata coronam est.* Et Nazianzenus, Basilio ὁμόψηφον.

Basilius seipsum explicat.

Οὐ νόμος, οὐ δεκάται μ' ἐοὐκ ἔργματα καλὰ σαώσει,
Σὴ δὲ χάρις, σοὶ δ' οἶκτος ἐμοὶ σάξειε βεβηλῳ
Ἣν μόνην δειλοῖσιν ἄναξ πόρες ἐλπίδ' ἁλιτροῖς.

Non lex, non decimæ, benefacta nec vlla beabunt: Tua verò Gratia, & misericordia mihi immundo stillet, Quam solam miseris peccatoribus spē salutis præbuisti. Ab hac doctrinæ sinceritate, Græcis ecclesiis primum à Paulo Apostolo traditæ, cùm recesserint posteriores: nulla in his articulis, fidei præsidia aut testimonia ab eis petimus, sed ad primos & limpidissimos Græciæ ecclesiæ, ab Apostolis eruditæ fontes seu ad ipsa Pauli Apostoli scripta, Græcis ecclesiis missa, nostros auditores reuocamus, ac tantùm abest, vt persuadere simplicibus, Lutheranam doctrinam cum Græcis ecclesiis congruere conemur, vt Refutatio Censuræ à Stanislao Socolouio vestro emissæ, de qua tantopere Mylonius iactitat, iam publicè in lucem edatur, vt lectis vtriusque partis scriptis, vltrò citróque inter Patriarcham Græcum & Lutheranos, quos nominas, commutatis: de re tota facilius iudicari à piis & candidis lectoribus & veritas illustriùs conspici possit & retineri. Sed ad Posseuinum redeo.

Stanislai Socolouij censura.

Is secundo loco arrodit, quòd *Missas priuatas absque communicantibus celebrari à Græcis non solere dixi.* Id cùm negare nullo modo audeat, rursum priorem cramben reponit, Græcos, quibus tanquam patronis vti velit Chytræus, superstitionis, Idolatriæ, & aliorum errorum paulò pòst ab eodem argui. Nō igitur patrocinio eorum iuuari Chytræum posse, etiamsi Missas priuatas non celebrent. Atqui ad patrocinium Græcorum nunquam confugit Chytræus. Historiam solummodo eius, quod apud Græcos fieri aut non fieri, Græcarum rerum periti norunt, recitauit, siue cum Pontificiis siue cum Lutheranis, vel aliis conueniat. Vnde tamen, ex veteris & puerioris ecclesiæ ritibus, aliquanto plus reliquū apud Græcos, quàm in Pontificio regno, mānsisse euidenter apparet.

Secunda Posseuini Iesuitæ calūnia.

1. Responsio.

Deinde, Græcos non omnes hoc facere, Posseuinus ait, in Corcyra, Creta, Chio, magna Græcia, Sicilia. Atqui non de Italiæ regione, quam ante Christi nati tempora magnam Græciam nominārunt: non de Sicilia

Universidad de Deusto
Biblioteca

nunc Hiſpaniæ regi: aut Inſulis paucis Venetæ aut Genuenſi Reipublicæ ſubditis, vel alioquin Romani Pontificis Imperium eccleſiaſticum agnoſcentibus, ſed de interiore & vera Græcia, Turcico Imperatori hoc tempore parente, & Byzantini patriarchæ inſpectioni ſubiecta, me locutum eſſe ipſe intelligit.

De Miſſis priuatis.

Tertiò ſtupidè ignorari fingit, Nullam poſſe dici priuatam miſſam, quæ pro toto Chriſti Domini corpore myſtico celebretur. Nullas igitur preces & orationes priuatas dici poſſe Poſſeuinus diſputabit, quæ iuxta Chriſti præceptum à nobis, priuatim, in cubiculo ſolis, ad Deum funduntur, quia pro toto Chriſti Domini corpore myſtico ſeu tota eccleſia fundantur. Atqui priuatas Miſſas ipſe ſcis appellari, quę in angulis monaſteriorum aut templorum, à ſolo ſacrificulo, nullis, quibus ſacramentum diſpenſetur, aliis præſentibus, celebrantur. Has ſiue ſolitarias ſiue priuatas Miſſas appelles, non enim de nomine litigari neceſſe eſt, pugnare cum inſtitutione & mandato Chriſti, iubentis, non ſolùm ſacerdotem benedicentem ſacrificare aut edere, ſed alios etiam Chriſti diſcipulos accipere & mãducare: & Pauli Apoſtoli ordinationi ac tõtius primitiuæ eccleſiæ exemplo & teſtimoniis contrarias eſſe, adeo manifeſtum & Sole meridiano clarius eſt, vt multi etiam catholici, qua appellatione vobis tributa, memini præiudicare voluero, ſeu Pontificiæ religionis patroni, qui non contra animi ſententiam & propriam conſcientiam agnitos errores & Idola defendunt, apertè id fateantur.

De Miſſa priuata quorundam Pontificiorum iudicium.

Celebre nomen ante 40. annos fuit Ioannis Hofmeiſteri, Carmelitæ, quem Carolus Imp. ipſe, cum Petro Maluenda, ad colloquiũ Ratisbonenſe delegit. Is precationes Miſſæ declarans Rem ipſam clamare inquit, tam in Græca, quàm Latina eccleſia, non ſolùm ſacerdotem ſacrificantem, ſed & reliquos preſbyteros, Diaconos, nec non & reliquam plebem, aut ſaltem plebis aliquam partem communicaſſe, quod quomodo ceſſauerit mirandum eſt, & vt bonus ille vſus, in eccleſiam reuocetur, laborandum.

1. Ioãnis Hofmeiſteri.

Eraſmum Roterodamum virum incomparabilem, & tot Romanis Pontificibus Leoni X. Adriano VI. Clemẽti VII. Paulo III. quorum aliqui publicis Diplomatib⁹ doctrinam & ſcripta illius comprobárunt, cariſſimum inter catholicos & orthodoxos doctores haud dubiè tu quoque Poſſeuine recenſebis. At is ad Iulium Pflugium epiſcopum itidem catholicum, & Carolo V. Cæſari catholico familiarem, ſcribens, CHRISTVS inquit: in Sacramento Euchariſtiæ, eſt ſub ratione cibi ac potus, vt ſumma cum animi puritate ſumatur, non vt oſtentetur, aut in ludis, publicisque pompis circumferatur, aut in equo circũarua vehatur. Id nequaquã eſt veteris exempli, ſed in hoc multitudinis affectui, plus ſatis

2. Eraſmi Roterodami.

indultum est,& paulò antè, *Sunt qui requirant in missa communionem. Sic fateor fuit à Christo institutum,& olim ita consueuit obseruari.*

3. Georgij Cassandri.

Hanc apertam & ingenuam veritatis confessionem, doctissimus vir, & propter pietatis & moderationis studium singulare, optimo Imp.& Romanæ ecclesiæ addictiss. Ferdinando carus, Georgius Cassander Brugensis, qui Coloniæ magnam vitæ partem inter Pontificios actam finiuit: pluribus verbis repetitam, aliquot etiam Synodorum decretis confirmat.

Priuatæ missæ à protestantib. meritò damnatæ, sicut & à veteribus.

Quod de priuatis Missis protestantes queruntur, non omnino præter rationem est, si priuatarum Missarum nomine intelligant eas Missas, in quibus solus sacerdos confecta sacramenta participat, nec vlla mysteriorum distributio fit. (Quæ aptiore nomine solitariæ missæ vocantur) quæ veteribus quoque cùm primùm in Monasteriis quibusdam inoleuissent, improbatæ fuisse videntur, vt patet ex Canone quodam Concilij Nannetensis, in quo sacerdos solus missam celebrare vetatur, absurdum enim esse, vt dicat, Dominus vobiscum, Sursum corda, aut gratias agamus Domino Deo nostro, cùm nullus sit, qui respõdeat aut in Canone, & omnium circumstantium, cùm nemo adsit: aut inuitent ad orationem, cùm dicit, Oremus, cùm nullus sit qui secum oret. Itaque concludit *Ridiculosam illam superstitionem*, maximè à monasteriis Monachorum exterminandam esse.

1. A Concilio Nannetensi.

Ita

Itaque iubentur prælati prouidere, vt presbyteri in cœnobiis & in aliis ecclesiis, cooperatores habeant in celebratione Missarum.

2. Ex Concilio Papiensi

Huic concilij Nannetensis decreto simile reperitur ex concilio Papiensi Cap. 132. *Vt nullus Presbyter solus Missam celebrare præsumat*, quia ita nec verba Domini saluatoris, quibus mysteria corporis, & sanguinis suis discipulis celebranda contradidit, nec Apostoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis actibus enucleatim legitur, ita debere fieri vllo modo.

3. Ab Odone Camerasesi.

De his solitariis Missis scribit Odo Cameracensis in Canonem, antiquitus eas in vsu non fuisse, videlicet, cùm nullæ missæ, sine collecta, hoc est, cœtu aliquo vnà offerẽtium, & sacrificia participantium agerentur. Eum autem morẽ solitarias missas celebrandi, maximè in monasteriis monachorum obtinuisse, solitarias autem Missas etiã habitas fuisse, quas sacerdos cum vno aliquo ministro celebrabat, idem Odo testatur.

4. Ab antiquioribus ecclesiasticorũ officiorũ interpretibus.

Huc etiam pertinet, quod quidam antiquiores ecclesiasticorum officiorum interpretes, *Eam solam Legitimam Missam esse fateantur, cui intersint Sacerdoti respondantes, offerentes, atque communicantes*, quod ipsa precum in sacra actione compositio euidenter demonstrat, in qua actione offerentium & communicantium aperta fit mẽtio. Et alius quidam ecclesiasticarum rerum peritissimus scriptor, ante annos 500 ita scriptũ reliquit, scie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum iuxta antiquos patres, quòd soli cõmunicantes diuinis mysteriis interesse consueuerunt, vnde & ante oblationem iuxta Canones iubebãtur exire Catechumeni, & pœnitentes, videlicet qui nondum præparauerunt se ad communicandum.

5. A consideratione sacramentalis consecrationis.

Hoc quoque ipsa sacramentorum innuit cõfectio, in qua sacerdos, nõ pro sua solùm oblatione & cõmunicatione, sed & aliorũ rogat, & maximè in oratione post cõmunionẽ pro solis cõmunicantibus orare videtur. Nec propriè communio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participent. Et quidẽ hunc antiquum esse Romanæ Ecclesiæ morem doctissimi quique agnoscunt, quem etiam hodiè ecclesia Æthiopica diligenter & religiosè obseruat, vt confessio Fidei Æthiopum, quæ extat, perspicuè demonstrat.

Conclusio superiorum dictorum.

Hæc catholicorum tuorum, & orthodoxorum ecclesiæ Romanæ doctorum testimonia, Possevine, an nõ suo te gladio iugulant, dum Christi & Apostolorum ordinationẽ, imò & Synodorum canones mandare ostendunt, ne absque communicantibus Missæ celebrentur, nisi fortè hoc quoque, quòd agnitam veritatem profiteri fuerint ausi, inter Hæreticos numeras, & Mendaces ac Impostores haberi voles, quibus à tot Romanis Pontificibus & Imperatoribus testimoniũ orthodoxæ veritatis & vitæ, ac morum integritatis eximiæ præbitum est.

Iesuitæ ob-

At sacrificij Missæ plurimos alios participes,

pes, eadem hora & momento, alibi fieri, opponis, & Missæ vim non ex præsentia plurium sed ex Christi præsentia & oblatione pendere. Atqui sacramenta in quantum sunt Sacramenta seu signa Gratiæ Dei efficacia, scis non prodesse aliis, nec fructum sacrificij Christi applicare aliis, qui ipsi iis non vtuntur, nec fidem propriam ad eorum perceptionem adferunt. Vt igitur pro alio baptizari, vel absolui, sic cœnã Domini pro alio accipere vel applicare nemo potest, sed propria cuiusque fide & proprio vsu sacramenti fit applicatio, vt disertè docent dicta: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Iustus fide SVA viuet. Non profuit eis verbum auditum, non coniunctũ cum fide andiẽtium, multò minùs sacramẽtorum vsus prodest iis, qui ipsi non vtuntur, nec fidem ad vsum eorum adferunt. Ita enim instituit Christus Eucharistiam, vt singuli eius participes, corpus & sanguinem Christi accipiant, manducent & bibant, & hac sumptione fidelem Christi memoriam in suo pectore excitent, & se redemptionis per Christum factæ recordatione consolentur. Oblationis corporis & sanguinis Christi in Eucharistia per sacrificulum faciendæ, nullus apex verborum institutionis Christi in Euangelistis & Paulo meminit.

Iectio pro missis priuatis.

Responsio.

Marc. 16. 16. Rom. 1. 17. Habac. 2. 4.

Matth. 26. 28. 1. Cor. 11. 25.

2. Responsio

Communionem autem plurium in legitima cœnæ celebratione necessariam esse, perspicuè verba institutionis Christi iubentia

plures accipere, manducare, bibere, & hoc in memoriam Christi facere: & Paulus communionē corporis Christi in missa non spectando, sed panem frangendo, distribuendo fieri, testantur, quia omnes ex vno pane participamus.

3 Responsio ex cōfessione ipsius Iesuitæ petita.

Ac Posseuinus ipse, in fine huius secundæ impostoræ, vt sui semper similis sit, hoc est, pugnantia loquatur, in vniuersa ecclesia catholica frequentissimos laicos, octauo quoque die, ne dicam quotidiè solitos esse communicare. Ipsa igitur veritatis euidentia hanc confessionem Posseuino quantumuis repugnanti exprimit, verè & rectè me in illa Oratione scripsisse, de veteris & purioris ecclesiæ doctrina & ritibus apud Græcos reliquum esse, vt Missas priuatas seu solitarias absque communicantibus celebrare non soleant.

Tertia calūnia.

Tertium caput calumniarum Posseuini est, quòd scripserim nullam in Græcorum Canone *Sacrificij corporis & sāguinis Christi, pro redemptione viuorum & mortuorum oblati*, mentionem fieri, sed λογικὴν λατρείαν, preces, gratiarum actiones, &c. offerri.

At D. Basilius & Chrysostomus (ait Posseuinus) in Liturgiis suis precantur, vt memor sit DEVS omnium dormientium in spe resurrectionis vitæ æternæ. Hinc triumphās Epiphonema seu Epinicion addit, *An hìc non fit Mentio sacrificij pro mortuis oblati?*

Respon-

Respondeo. Insigne puerilis sycophanticæ & cauillationis friuolæ specimen, in hac Posseuini collectione, & clausula triumphali video: Mentionem sacrificij *Corporis & Sanguinis* Christi pro mortuis ex purgatorio liberādis in Missa oblati, in his Basilij & Chrysostomi dictis ab eo allegatis, vt nec in toto Canone Missę vtriusque, nulla omnino quisquam vel Lynceis oculis præditus viderit. Quæ enim hæc consecutio est, Basilius in suo Canone meminit eorum, qui in fide & spe resurrectionis & vitæ æternæ obdormierūt: & benè eis precatur, vt in pace & luce vultus diuini quiescant. Ergo Basilius sacrificium corporis & sanguinis Christi, in Missa, pro mortuis & ex igne purgatorio liberandis, offert, & hanc oblationem eis prodesse ex opere operato affirmat. Responsio. Basilius explicatur.

Vel, Chrysostomus in suo canone offert rationalem cultum pro in fide requiescentibus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, præcipuè pro sanctissima, immaculata, super omnes benedicta, Domina nostra Deipara, & semper virgine Maria. Ergo Chrysostomus offert corpus & sanguinem Christi in Missa pro mortuis, seu in fide requiescentibus patriarchis, prophetis, Apostolis, virgine Maria ex igne purgatorio liberanda. An igitur cruciari adhuc apud inferos Igne purgatorio, vel gloriæ tenebris teneri, vel perfecta visione Dei carere Mariam virginem & Apostolos somniat, vnde per sacrificium Missæ libe- Chrysostomi Canon considerātur.

Universidad de Deusto Biblioteca

randi sint.

Quid rationalis cultus Chrysostomo.

Atqui Rationalis hic & incruentus cultus, quem Chrysostomus Deo offert, Sacrificium laudis & Gratiarum actionis est, pro collecta inde ab initio per Patres, Prophetas, Apostolos & propagata ecclesia, omnibúsque beneficiis, per Filium redemptorem ecclesiæ collatis. Hanc λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν pro patribus, prophetis, Maria virgine in suo canone offert, quã ad corporis & sanguinis Christi sacrificium in Missa pro mortuis ex igne purgatorio liberãdis: cuius in canone Chrysostomi vetusto, vestigium nullũ apparet, impudentissimè transferri omnibus cordatis apparet. Opponit enim Græcus Canon, exemplo Pauli Rõ. 12. λογικὴν καὶ ἀναίμακτον λατρείαν, Rationalem & incruentum cultum non modò brutarum pecudum sanguini, à Leuiticis Sacerdotibus fuso, sed etiam ceremonialibus hypocritarum ex opere operato se gratam Deo λατρείαν exhibere fingentium sacrificiis, ac vult prælucere toti piorũ, obedictię morali & omnibus nostris cultibus à DEO mãdatis agnitionem voluntatis Dei bonæ in Euãgelio reuelatæ, & veram fidem seu fiduciam mediatoris, propter quem solum nos & opera nostra Deo placemus, & ad hunc finem referri, non vt Gratiam Dei & salutem hoc opere operato mereamur, & bona ab eo velut emamus, sed vt obedientiæ & gratitudinis nostræ testimonium Deo declaremus. Posseuinus verò hoc loco, etiam commentitiæ

De Missa D. Iacobi & Clementis constitutionibus.

tiæ D. Iacobi Missæ, quæ tamen solitariis, mutis & angularibus, vt Germani vocant Pontificiorum Missis ex diametro repugnat: & Clementis cõstitutionum meminit quas nominatim & expresso decreto scit, non solùm à sexta Synodo in Trullo, verùm etiam ab ipsa ecclesia Romana, Dist. 15. C. *Sancta Ecclesia Romana*, velut Apocrypha & catholicis vitanda reijci & improbari.

Canonis Dionysiani explicatio.

Dionysius verò, Areopagites ab eo laudatus, nullam prorsus in ministerio synaxeos, seu Missæ ritibus, suo tempore vsitatis, sacrificij corporis & sanguinis Christi pro viuis aut mortuis offerendi, mentionem facit, sed diuina munera ipse sumit & omnibus sumẽda tradit: nec Missam (vel sacrificium) sed cõmunionem & Synaxin appellat. Nec pugnãtia sunt, quòd in Canone Missæ, Græcis à Basilio & Chrysostomo traditæ, nullam sacrificij pro viuis & mortuis mentionem fieri: & tamen nunc opiniones de applicatione sacrificij Missæ *Alicubi*, quam vocem non bono consilio Posseuinus omisit, inoleuisse, ac vt in Papatu, Missas emi, dico.

Alia Iesuitæ obiectio pro missæ sacrificio.

Scitum verò inprimis Posseuino, ad sacrificium Missæ pro viuis, & mortuis ex purgatorio liberandis, adstruendum videtur, quòd Passionis Domini oblationem mãcam à nobis reddi fingit, si non vti profuit in cruce, ita etiamnum viuis & mortuis prodesse dicatur.

Responsio.

Quis verò vnquam negauit, omnes inde vsque ab initio mundi ad Deum conuersos, &

Universidad de Deusto
Biblioteca

in vera agnitione & fide Christi propiciatoris mortuos, beneficio passionis Christi saluatos esse? Verùm quid hæc ad Missas, merita monachorum, & alia viuêtium suffragia, quibus in purgatorio mortuorum animabus, remissionem peccatorum venialiũ quo ad culpam, & mortalium quo ad pœnam, & satisfactionem peccatis debitam, confici fingitis?

Responsio 2. Quis vnquam in his ecclesiis docuit ociandum esse, & inter canharos perpetuo torpore viuendum, sola verò, nescio qua, dæmoniorũ fide facinora quæque delenda, nec vlla ratione pro viuis orandum &c. cuius impudentissimæ criminationis vanitas, cùm omnibus vanissima esse appareat, refutatione indigna est.

Alia obiectio Iesuitę ex Canone Græco petita. Quod autẽ verba Canonis Græci, τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν, non ad eleemosynas, sed corporis & sanguinis Christi pro viuis & mortuis ex purgatorio liberandis oblationẽ transferenda sint, duas rationes adfert, quia post consecrationem Eucharistiæ dicantur: & quia eleemosynæ, non Deo, sed nobis offerantur, quarum vtraque vana est. Scit enim

Responsio. ipse, Græcos consecrationem, inuocationi ex interuallo sequenti recitationem verborum Domini tribuere: & Basilij Canonem, post

De consecratione in Græca Ecclesia. hæc verba, *Tua ex tuis* &c. panem & vinum ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος nominare, & petere vt hæc ἀντίτυπα seu panem, ipsum honorificum corpus Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi: quod autem est in calyce,

calyce, ipsum sanguinem Dei & saluatoris nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita, efficiat. Quibus verbis demum cõsecrationem perfici Græci existimant.

Quid eleemosynę significent in Græco Canone. Eleemosynas verò inprimis DEO offerri, & sacrificia DEO grata & accepta esse, Pauli dicta, Ebr. 13. Philip. 4. & Christi in extremo iudicio sententia Matth. 25. tum prolixa concione. Irenæus de his ipsis eleemosynis in cœnæ Domini celebratione ad vsus pauperum oblatis, lib. 4. cap. 32. 33. demonstrat.

Ego verò non eleemosynas tantùm, sed λογικὴν λατρείαν, preces, Gratiarum actiones, laudes Dei, his verbis in Canone Græco offerri dixi, quod ex tota serie orationis perspicuum est. Nam post præfationem & Gratiarum actionem solennem, & recitata institutionis verba, addit Sacerdos, *Memoriam igitur celebrantes salutarium Christi passionum, viuificæ crucis, sepulturæ, resurrectionis, ascensionis &c. Tua ex tuis tibi offerimus, per omnia & in omnibus, Te laudamus, tibi benedicimus, tibi gratias agimus &c.* Hæc perspicua Gratiarum actionis seu Eucharistici precum & laudum sacrificij, pro omnibus beneficiis Christi ecclesiæ donatis verba sunt, quæ ad eleemosynas etiam, quas, pietatem & gratitudinem erga Deum suam testantes, pij ad cœnam Domini accessuri, in templis eo tempore offerebant, rectissimè accommodari manifestum est, *Tua largitate nobis primùm donata, & iam à pijs in vsus pauperũ oblata, offerimus, Tibi Gra-*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tias agentes pro omnibus tuis corporalibus & spiritualibus beneficijs, pro alimentis vitæ, pro donata nobis in salutem passione, resurrectione & ascensione filij tui, cuius beneficia omnia, per vsum panis & vini Eucharistici, quem corpus & sanguinem filij tui facis, omnibus fide sumentibus applicare & obsignare dignaris.

Cõfirmatio superioris ἐξηγήσεως.

Certum est enim, de pane & vino, in vsus ministrorum & pauperum per populum ad altare Deo oblato, partem in vsum Eucharistiæ consecratam, & populo sumenti sacramentum, distributam esse: & de his populi oblationibus & sacrificijs, multas Missę precationes loqui, ex ipsis Missæ Pontificiæ propugnatoribus doctissimi nostra memoria fatentur, ac vt à superstitione & contemptu Canõ Missæ vindicetur, opus esse sentiunt, priscum morem, in conuentu populi & collecta aliqua, eleemosynas, seu panem & vinum offerendi, reuocari. Hunc enim antiquissimum ecclesiæ morem fuisse notissimum est, inquit Cassander. Quò pertinent Orationes illę, quę Secretæ dicuntur, & prima pars Canonis, qua dona & munera populi & sacrificium laudis, quod à circumstantibus offertur, Deo commendantur, ita, vt si orationibus his sua veritas constet, intelligi debeat, ea symbola panis & vini, quę in Dominica mensa ad consecrationem proposita sunt, nomine populi esse oblata, & symbola esse sacra interioris sacrificij, quo se populus, & omnia sua Deo vouet & dedicat.

Postea

Postea ad rectè intelligẽdum & excusandum Canonem, ait necesse esse multiplicem vocabuli Sacrificij vsurpationem, nouies ferè in Canone variatam obseruari. Ac primùm in Canone, Doni nomine intelligi *Sacrificiũ populi*, quod consistat in (eleemosynis seu) pane & vino, in quo duo rursum considerẽtur, Externa actio populi offerentis, & interior significatio, qua populus per fidem & deuotionem seipsum, & sua omnia Deo dedicat, sacrificium laudis Deo immolat, de quo in Canone dicitur: vt accepta habeas hęc dona, Hactenus Cassander. De λογικῇ λατρείᾳ in Canone Chrysostomi paulò antè dixi.

De incruẽtõ Sacrificio Iesuitæ sententia.

Quale autem istius Oblationis genus sit, quod Rationabile & incruentum seu λογικὴ καὶ ἀναίμακτος λατρεία in canone Chrysostomi dicitur, Posseuinus ex variis illius appellationibus & epithetis, in Græca ecclesia vsitatis, intelligi vult. Quę tamen omnia, nihil minùs confirmant, quàm quod ipse sibi probãdum proposuit, In Missa sacrificiũ corporis & sanguinis Christi, pro mortuis ex igne purgatorio liberandis Deo offerri.

Explicatur à Chytræo.

Λογικὴ enim & ἀναίμακτος θυσία, Rationale & incruentum sacrificium, nõ sola cœna Domini, in qua sacrificij Christi, semel in cruce peracti, recordatio fit, sed tota piorum obedientia, prælucente vera agnitione Christi & fide facta, & ad hunc finem, vt Deus honore afficiatur, relata, nominatur: & sanguineis brutarum pecudum sacrificiis Leuiticis, & ἀλόγοις

Cœna Domini quomodo Sacrificium.

Universidad de Deusto
Biblioteca

hypocritarum operibus, opponitur.

Contra Sacrificium Missæ pro viuis & mortuis, varia argumenta.

Ἱερὰ, non Cœna Domini tantùm, sed omnes pij, imò etiam vasa, sacris vsibus destinata, à Mose vocantur. Imò à Græcis Hieromonachi quidam perpetuò cœlibes & calogeri seu καλοὶ καὶ ἱεροὶ postea à Posseuino ipsi laudantur. Sed ex hoc epitheto non efficitur,

1. sacrificium pro viuis & mortuis ex igne purgatorio liberandis in Missa offerri. μυστήριον

2. sæpissimè Paulo Doctrina Euangelij de redemptione generis humani per Christum facta, cùm ignota esset omnibus creaturis diuinitus reuelata dicitur, nec vspiam ad cœnã Domini in specie accommodatur: nisi in dicto 1. Cor. 4. Sic nos æstimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei, simul complecti ministerium Euangelij, Baptismi & Cœna Domini velis. Vt autẽ Doctrina Euangelii, nõ ideò sacrificium pro viuis & mortuis ex purgatorio redimendis haberi potest, quia μυστήριον Paulo subinde dicitur: ita nec Missæ sacrificiũ, ex hac appellatione à Græca ecclesia cœnæ Domini tributa, confirmari potest.

3. Cœna Domini quomodo λειτουργία.

Λειτουργίαν verò, seu sacram operationẽ, Nazianzeno cœnam perhiberi, quis miretur, cùm Paulus se ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον τοῦ θεοῦ sacrificare Euangelion Dei, seu prædicando & docendo Euangelium, cultum Deo gratũ præstare affirmet. At hæc ad sacrificium Missæ pro mortuis ex igne purgatorio liberandis adstruendum, quid ponderis habent, vel quid omnino

omnino pertinent.

Sic τελετὴν ἀποῤῥητον & τελετὴν τελετῶν à Synesio & Dionysio nuncupari quid vetat, cùm in Euangelio & sacramentis, sacrificiũ Christi propiciatorium, pro salute generis humani semel in cruce peractum, quo omnium nostrûm peccata perfectè expiata sunt, singulis fide accipientibus dispensetur & applicetur, sicut Christus ipse hac voce τετέλεσται in cruce vsus est, vt consummatum esse sacrificium ἱλαστικὸν & impletas omnes de passione & morte Christi Prophetias, & finem esse dolorum Christi, ostenderet, & Hebr. 10. Paulus vnica oblatione τετελείωκεν.

4. Quo sensu τελετὴ à veteribus voce tur.

Apostolos in Actis cœnam Domini ἁγίαν προσφορὰν, sanctam oblationem, vocare, in Bibliis, quæ mihi hactenus videre contigit nusquam inuenio, & falsi crimen non hoc vno in loco solùm à Posseuino committi, certũ est λειτουργίαν publici officij administrationẽ Græcis significare non dubium est. Sic Act. 13 Prophetas & Doctores Antiochiæ λειτουργοῦντας, id est, officium docendi & scripturam Propheticam interpretandi suum publicè administrantes, Lucas scribit, iussos esse Barnabã & Saulũ seperare. Verùm quid hæc ad sacrificia Missæ pro mortuis ex igne purgatorio redimendis pertinent, cùm ne cœnæ Domini quidem expressa ibi mentio fiat, tametsi simul administratam ab iis cœnã esse, non negauerim. Chrysostomus certè λειτουργούντων eo loco simpliciter reddit κηρυττόντων prædi-

5. Impudens audacia Iesuitæ.

Λειτουργία quid.

cantibus illis. Paulus magistratus politicos vt Claudium & Neronem suo tempore Imperium summum tenentes, λειτουργοὺς θεοῦ ministros Dei, seu publicum officium à Deo ordinatū administrantes nominat. At hos Missæ Sacrificulos fuisse, vel corpus & sanguinem Christi pro viuis & mortuis Deo obtulisse Posseuinus quidem affirmauerit. Qua igitur fronte, sacrificium Missæ pro mortuis ex igne purgatorio liberandis, quod in Græco Canone nusquam offerri dixi, in Apostolorum actis confirmari ex vocabulo λειτουργεῖν ratiocinatur.

Obiectionis ex Canonibus Apostolicis petitæ explicatio.

Quod ad Canones Apostolorum attinet: etsi scit Posseuinus ipse, C. *Sacram Romanam ecclesiam*, dist. 15. eos, inter scripta Apocrypha, & Catholicis vitanda, recensere, tamen suo se gladio iugulare mauult, quàm sacrificij mentionem Can. 3. factam prætermittere, cùm tamen Canon ab eo citatus sententiam, de sacrificio corporis & sanguinis Christi, pro viuis & defunctis Deo oblati, oppugnet magis quàm confirmet. Hæc enim verba sunt Canonis. *Si quis Episcopus aut Præsbyter præter ordinationē Domini, quā de sacrificio instituit, alia quæpiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino sicera, aut confecta quædā, aut volucres, aut aliqua animalia, aut legumina supra altare obtulerit, vt, qui contra ordinationem Domini faciat, deponitor, excepto nouo frumento & vuis opportuno tempore. Præterea licitum nō esto aliquidpiam admouere ad altare, quàm oleū in candelabrum, & incensum oblationis tempore.* 4. O

mnium aliorum pomorū primitiæ episcopo & presbyteris domum mittuntur, non super altare. Manifestum est autem, quòd Episcopus & presbyteri inter diaconos & reliquos clericos eas diuidunt.

Hæc manifestum est non de sacrificio corporis & sanguinis Christi, Pontificio, sed de oblatione Panis, Vini, frugum, vuarum, olei, à populo olim in vsus pauperum & Clericorum facta, dici, ex quibus partem, in altari oblatam, Sacerdos consecrabat, sicut ex concilij Neocæsarienſis etiam Can. 9. manifestū est. Presbyter lapsus ante ordinationem, &c. oblata non cōsecret. Prius igitur oblata sunt ad altare, antequam in corpus & sanguinem Christi consecrarentur. At Pontificia corporis & sanguinis Christi pro viuis & defunctis oblatio sequitur consecrationem. Toto igitur genere alia est oblatio, de qua, consecrationem præcedente, Concilium Neocæsarienſe loquitur, quam προσκομιδὴν etiam Iustinianus appellat.

Alia obiectio Posseuini ex Iustini Martyris auctoritate petita.

In primis verò fraudulenter & impudenter ad comprobandum Missæ pro viuis & mortuis ex purgatorio redimendis sacrificium, Iustini martyris autoritatem detorquet, cuius integra rituum cœnæ Domini eo tempore vsitatorum descriptio in Apologetico extat, vbi nulla syllaba sacrificij corporis & sanguinis Christi pro viuis & defunctis meminit.

Responsio.

Ad Tryphonem verò vbi Malachiæ Prophetæ vaticiniū, de sacrificiis Christianorū,

Universidad de Deusto
Biblioteca

in omni loco offerendis, allegat, disertè inquit, Preces & Gratiarum actiones, solas esse perfecta & placentia DEO sacrificia, quæ sola Christiani facienda acceperint, etiam cum alimento suo sicco & humido fruentes, passionis Christi recordantur, verba Græca illustriora sunt. τὰς εὐχὰς αὐτῶν θυσίας καλεῖ. ὅτι μόνὴ ἡ εὐχὴ ἡ εὐχαριστία ἀπὸ τῶν ἀξίων γινόμενα τέλειά μόνα καὶ εὐάρεστά ἐστι τῷ θεῷ θυσίαι ἁγιάσας φησι. ταῦτα δὲ μόνα ἡγιάσμενοι παρέλαβον ποιεῖν, καὶ ἐπ' ἀναίμακτος δὲ τροφῆς αὐτῶν ξηρᾶς τε καὶ ὑγρᾶς, ἐν ἧ καὶ τοῦ πάθους, ὃ καὶ πάνδε δι' αὐτὸς οἶδε τὰ θεὸν μέμνηται.

Et paulò ante. *Per nomen primogeniti eius filij, veri Sacerdotes* DEI *sumus, sicuti ipse Deus testificatur dicens, quòd in omni loco ingentibus sacrificia ipsi placentia & munda offerant. Non recipit autem ab vllo sacrificia* DEVS *nisi per sacerdotes suos. Omnes igitur, qui per nomen hoc sacrificia offerunt, quæ tradidit Iesus Christus super Eucharistia panis & calycis, quæ in omni loco terræ fiunt à Christianis, recipiens* DEVS *testificatur sibi placere. Ea verò, quæ à vobis, (Judæis) & vestris illis sacerdotibus (Leuiticis) fiunt, auersatur dicens: Sacrificia vestra non accipiam, &c. & postea. Nullum omnino est genus hominum, siue Barbarorum siue Græcorum, in quibus non per nomen crucifixi Iesu Christi Preces & Gratiarum Actiones Patri & factori vniuersorum offeruntur.*

Egregiam verò confirmationem sacrificij Missæ pro viuis & mortuis, ex igne purgatorio redimẽdis. Vbi tota disputationis Iustini series osẽdit, cũ de Eucharisticis Precum &

Gratiarũ actionis sacrificiis, quæ in cœnę Domini administratione solẽnes Deo in omnibus gentibus offeruntur, nõ à sacrificulis vnctis & rasis, sed ab omnibus Christianis, quos Sacerdotij honore DEVS per filium suũ sum mum sacerdotem dignatus est.

Conclusio totius disputationis de Missę sacrificio.

Has cerrationum fraudulentarum phaleras Posseuine Theologotate, quibus populũ Christianum & imperitam præcipuè multitudinem decipere & fascinare moliris, (& qui velut probri loco Grammaticã aliis obijcis) Grammatici & Pædagoguli, sermonis & phrasis Sacræ scripturæ, & Patrum ecclesiasticorum non prorsus ignari, quantumuis à vobis ex sublimi despecti ac spreti, agnoscunt, &, si non prorsus detrahere, certè retegere & aliis agnoscendas proponere possunt,

Quarta calũnia aduersus Communionem sub vtraque specie.

Quarta Posseuini impostura exagitat, quòd *Integrum Sacramentum, seu vtramque speciem, populo etiam à Græcis distribui dixi.* Id cùm verissimum, & mandato Christi, instituẽtis cœnam non pro Apostolis tantùm, sed omnibus ecclesiæ ciuibus, quos Omnes ex calyce bibere iubet: & Ordinationi Pauli ad Corinthios, quater mutatis verbis, præceptum de vsu vtriusque speciei repetentis & omnium patrum scriptis consentaneum, & plurimis seculis etiã in Latina ecclesia vsitatum, apud Græcos verò in hodiernum vsque diem prohiberi, Posseuinus fateri cogatur: tamen impostura & mendacium suum veritati certæ & immotæ affricat, quod aliquibus quadra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Pro communione sub vtraque specie argumenta.

gesimæ diebus προηγιασμένοις vtantur. Nō enim firma & certa collectio est, si præsanctificati vescantur, propterea eos vna tantùm specie vti solere ac etiamsi illis diebus quidam vterentur, tamen vtriusque speciei vsum, à Christo institutum, populo *Non prohibent*, sed toto reliquo anni tempore Plebi ministrant.

1.

Ecclesiæ Græcæ.

Quare nihilominus verum manet, quod in Oratione mea scripsi, integrum Sacramentū seu vtramque speciem populo etiā à Græcis distribui.

2.

Idque ex suo præsenti domino & familiari, Ioanne Moscorum tyranno, qui pacem cū Stephano Poloniæ rege confecit Possevinus coràm cognoscere potuit, cùm Græcarum ecclesiarum ritus in Moscouia sequantur, vtramque Sacramenti partem coniunctim illic populo exhiberi. Sicut publicis literis ad Carolum V. Cæsarem, & omnes Imperij ordines, ante 27. annos scriptis, quæ in multorum manibus sunt, Moscus ipse testatur, dum se & ecclesias suas à societate Romanæ ecclesiæ, propter vsum vtriusque speciei non excludendos esse prolixè disputat. Verùm quid disputatione in re omnibus piè eruditis nota, opus est.

Ecclesiæ Moscouiticæ.

3. Omnes Ecclesiæ, sub vtraque specie communicarunt. Ergo à Christiana Catholica Ecclesia defecit Ro

Fatentur ipsi Pōtificiæ religionis scriptores aliqui, compertissimum esse, *Vniuersalem Christi Ecclesiam, in hunc vsque diem*, occidentalem verò seu Romanam mille amplius à CHRISTO annis, in solenni præsertim & ordinaria huius sacramenti dispensatione, vtrā-

que

que panis & vini speciem, omnibus ecclesiæ Christi membris exhibuisse, id quod ex innumeris veterum scriptorum, tam Græcorum quàm Latinorum testimoniis manifestum sit, atque vt ita facerent, inductos fuisse, primùm instituto exemplóque Christi, qui hoc sacramentum corporis & sanguinis sui, duobus hisce, panis & vini symbolis, discipulis suis fidelium communicātium personam repræsentantibus præbuit, tùm quia in sacramento sanguinis, peculiarem quandam virtutem & gratiam hoc vini Symbolo significatam esse credebant, tùm ob rationes mysticas huius instituti, quæ à veteribus variè adducuntur, videlicet ad repræsentandam memoriā passionis CHRISTI in oblatione corporis & effusione sanguinis, iuxta illud Pauli: Quotiescunque comederitis panem hunc, & calycem Domini biberitis, mortem Domini annunciate, donec veniat. Item, ad significandam integrā refectionem, seu nutritionem, quæ cibo & potu constat, quomodo CHRISTVS inquit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, &c. Item ad designandam redemptionem & tuitionem corporis & animæ, vt corpus pro salute corporis, & sanguis, pro salute animæ, quæ in sanguine est, dari intelligatur, ad significandum quoque, CHRISTVM vtramque naturā assumpsisse, corporis videlicet & animæ, vt vtramque redimeret.

manus, quæ vsum calycis populo abstulit.

Quare hæc consuetudo in ecclesia quoque

Latina, mille amplius annis tenuit, vt tam populo quàm Clero, in celebratione Missarum, post mysteriorum consecrationem, seorsum corpus, & seorsum sanguis Domini præberetur.

Responsio ad commenta rationis & prudentiæ humanæ quę tãdem calycis vsum populo negauit.

Atque ad effusionis periculum euitãdum, in plerisque locis calycibus (qui ministeriales vocabantur) argenteæ fistulę inserebãtur, postea tamen huius periculi metus effecit, vt intinctus in sanguinem Domini panis dominicus vulgo exhiberetur, qui mos huc vsque per Græciam & Armeniam obtinet, postea ad omissionem alterius speciei in aliquibus locis ventum est, sic tamen vt in vtraque specie communio non prorsus abolita sit, sed in quibusdam locis, præsertim in Monasteriis retenta, ídque vsque ad annum amplius M. CCC. donec hæc consuetudo in altera specie communicandi populi, totam ecclesiam Latinam penè inuasit. Quæ consuetudo, cùm eam nonnulli vt sacrilegam & nefariam cõdemnarent, à Concilio Constantiensi & Basiliensi probata & sancita fuit, ita tamen, vt Bohemis, certis intercedentibus conditionibus & pactis, vtriusque speciei vsus cõcessus fuerit, neque tamen hac sanctione communionem vtriusque speciei à populo totam sublatam, sed ob certas & graues causas ad tempus intermissam, & suspensam voluerunt, sic vt aliis causis vrgentibus eam restituere, & in vsum reuocare ecclesiæ liberum sit. Quare non temerè est, quod optimi quique etiam catho-

Concilij Cõstãtiensis & Basiliensis σοφὸν φάρμακον.

catholicæ professionis in diuinorum & ecclesiasticorum scriptorum lectione versati, & his, quas supra diximus, rationibus incitati, summo desiderio potiundi Dominici calycis incenduntur, omnibúsque modis contendunt vt hoc salutare sacramentum sanguinis Christi, vnà cum Sacramento corporis, iuxta veterem & multis seculis perpetuatam vniuersalis ecclesiæ consuetudinem, in vsum reducatur, vel certè libertas, quæ ducẽtis annis adhuc valuit, in vna vel vtraque specie communicandi restituatur.

Itaque non modò nil Ecclesiasticæ autoritati contrarium: imò verò Ecclesiasticę paci, & vnitati conueniens, & propè necessariũ futurum puto, si vel illi, penes quos ecclesiæ gubernatio est, priscum hunc communicãdi morem restituãt, vel ecclesiæ, paulatim, quod citra grauem perturbationem fiat, ad eũ, quẽ initiò habuerunt, longóque tempore retinuerunt, morem redeant.

Ioãnis Eccij splendidum mendacium pro communione, sub altera specie refutatur.

Nequeo sanè satis mirari Ioannem Eccium, virum alioquin insigni ingenio & memoria præditum, qui in Apologia principũ catholicorum scribat, se non meminisse legere, in ecclesia Romana Eucharistiam sub vtraque specie communicatam Laicis, nisi quòd argumentum sumi possit ex vita S. Laurentij. Mirum? si nõ meminerit calycum ministerialium in ecclesiis vrbis Romanę, quorum in libro Pontificali subinde fit mentio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quos ita vocatos fuisse, quòd ex iis populo sanguis Dominicus ministraretur, vel ex suo Caietano recognoscere potuisset. An ignotũ esse potuit? quod in Decretis quoque legitur à Sotero Papa, in Cœna Domini pœnitentes, ad percipienda corporis & sanguinis Domini Sacramenta reconciliari? Quid? an non meminerat Gregorij Pontificis Romani (vt eius antecessores taceamus) qui in 4. Dialogorum scribit, *Christi sanguinem, nõ iam in manus infidelium, sed in ora fidelium fundi?*

Et in Homilia Sabbati Paschalis apud populum differens: *Quid sit*, inquit, *sanguis agni, non iam audiendo, sed bibendo didicistis?* Quem morem Sanguinis Dominici porrigendi, & antiqua Sacramentaria D. Gregorij, & libellus ordinis Romani apertè testantur, & Romani Pontifices in solenni officio constãter semper retinuerunt, vsque adeo, vt Martinus sanctus, etiam post tempora Constantiensis Synodi, in solenni Paschæ officio, iuxta præscriptum ordinis Romani, vniuersum populum corpore & sanguine Domini communicâsse, legatur.

Iesuiticæ impudentiæ solida refutatio.

Hæc cùm ipsi scriptores Pontificij fateantur: Posseuinus tamen impudentissimè frontem perfricãs, eos, qui vrsere vrgentúe petitionem vtriusque speciei, nescire ait quid petant aut quid velint, nisi libertatem, quæ ex DEO non est. Iamdudum enim nullos episcopos aut sacerdotes legitimos, ideóque nec ecclesiam habere. Scimus autem non tantùm pios

pios & optimos principes Ioannem electorem Saxoniæ, Georgium marchionem Brandeb. & cæteros illis communi confessione coniunctos, & Sacerdotes eorum plerosque ab ordinariis episcopis consecratos, vsum vtriusque speciei restituisse, verùm etiam inuictissimum & optimum Imperatorem Ferdinandum, magno & ardenti studio ac zelo, petitionem vtriusque speciei apud cõcilium Tridentinum, & Pontificem ipsum vrsisse: ac Vrbanum Gurcensem episcopum, mandato optimi Imperatoris, hac vna de causa Venetias profectum esse, vt Græcæ ecclesiæ morem in distributione vtriusque speciei, ex ipsis Græcis, qui magno numero illic negocian tur, & templum proprium habent, certò cognosceret. Tamdiu etiam institit & vrsit Cęsar Ferdinandus, vt tandem Pontifex Pius IIII. die xvi. Aprilis, potestatem in Austria & Bauaria Laicis vtramque speciem Eucharistiæ distribuendi, certis tamen cõditionibus, concederet.

An tu igitur Posseuine, hos omnes, qui petitionem vtriusque speciei vrsere vrgentúe, nesciuisse ais, aut nescire, quid petant, aut quid velint, nisi libertatem quæ ex DEO non est? Si de Lutheranis, quos appellare soletis, vel Principibus vel populis solis loquerêre, excusationem apud tuæ farinæ sycophantas facilè inuenires. At sapientissimum & optimum Cæsarẽ Ferdinãdum, cui eximię pietatis & orthodoxiæ catholicæ testimoniũ, ipsi

Universidad de Deusto
Biblioteca

patres Tridentini solenne præbuerunt, nesciuisse quid peteret, aut quid vellet, nisi libertatem, quæ ex Deo non est, & nullos episcopos aut sacerdotes legitimos, ideóque nec ecclesiam habere, vereor vt tui ipsius socij laturi sint. An libertatem, quæ ex Deo non est, quærere tibi Posseuine videntur, qui integri sacramenti vsum à DEO ipso institutum & mandatum, & in vniuersali Christi ecclesia, vt Cassander vester ipse testatur, in hunc vsque diem, in Romana verò mille amplius à Christo annis conseruatum, sibi etiam restitui flagitant?

Quinta calũnia: de coniugio ministrorum Ecclesiæ.

De quinta impostura tua, insectante, quòd *Maritos à Sacerdotio nõ arceri apud Græcos*, verissimè scripsi, breuissimè respõdeo. Te ipsũ quod scripsi, verum esse, negare non posse.

1. Respõsio.

Etsi enim concedere velim, quod opponis, neminem Græcorum Sacerdotum post ordinationem ad nuptias accedere, aut mortua priore, alteram ab eo postea vxorem nõ duci, & episcopos interdum ex Hieromonachis electos perpetuò cœlibes esse: tamen nihilominus verum & certissimum manet, quod scripsi, in Græcis ecclesiis maritos à sacerdotio non arceri.

2. Responsio confirmata autoritate S. Pauli Apostoli.

Quod verò ad ipsum Sacerdotum coniugium attinet, quod totis decem paginis Posseuinus sibi hoc loco, omnibus veteratoriæ suæ sophisticę neruis intensis, oppugnandum suscipit: Primùm accipio conditionem, ab ipso propositam, vt non recentis fecis Græcorum,

rum, sed ipsiusmet Apostolicæ & primitiuæ, vel adeò vniuersæ Græcæ ecclesiæ ante 700. annos testimonia & exempla de coniugio sacerdotum adferantur. Quæ verò illustriora Apostolicæ & primitiuæ ecclesiæ Græcorũ testimonia & exempla haberi possunt, quàm Apostolus Paulus ipse, Græcarum ecclesiarũ in Creta & Epheso Episcopos iubens, in singulis oppidis presbyteros constituere ΑΝΕΓΚΛΗΤΟΥΣ (qui non possint ob crimẽ aliquod legibus prohibitũ in ius vocari) *Vnius vxoris viros* (non scortatores, aut adulteros polygamos, vt Iudæi & ethnici eodem tempore pluribus iuncti erant, sed maritos honestos) qui Liberos habeant fideles, nõ infames luxu aut contumaces.

1. Tim. 3. *Oportet episcopum* sine crimine esse, vnius vxoris virum, sobrium, modestum &c. liberos habentem obedientes cum omni grauitate. Diaconi similiter Vxores habeant graues, non maledicas, sobrias, fidas in omnibus. Diaconi sint *vnius vxoris viri*, liberis suis rectè præsint & propriis domibus.

Ad Corinthiorum ecclesiam, itidem Græcam, scribens Apostolus cap. 7. *Vnusquisque* propter Fornicationes (vitandas) vxorem suã habeat, & *Vnaquæque* proprium virũ habeat, & postea virginibus & viduis, non præceptũ aut legem certam præscribit, sed consulit vt sic maneant, nõ quòd coram DEO remissionem peccatorum aut salutem æternam ampliorem, abstinentia à coniugio mereantur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed propter præsentem necessitatẽ, seu multiplices molestias & ærumnas coniugij vitãdas,& quia cœlibes,qui donum continentiæ habent,faciliùs iactationis & exilij miserias sustinere,& expeditiùs labores ministerij ecclesiastici obire,& quæ Domini sunt curare possunt.Hoc autem, inquit Paulus, dico, vt quid vobis vtile sit (non coram Deo magis meritorium)ostendam:*Non vt laqueum* (Legem aut vota, quibus constricti teneamini) *vobis iniyciam*,non vt per meam traditionem aut vota, vlli homini vllis sacerdotibus vel Episcopis futuris,coniugium prohibeam.Id enim *doctrinam Dæmoniorum* alibi Paulus expressè nominat, sed tantùm propter finem vtilem,vt à multiplicibus coniugij, liberorum & rei domesticæ,curis ac ærumnis:coniugalibus liberi,rectiùs se animo tranquillo & vacuo totos studiis doctrinæ de DEO dẽt, & ad officia ministerij expeditiores sint si contineant,sin minùs,nubere iubet.Honorabile enim *Coniugium in omnibus* (etiam sacerdotibus est)& thorus coniugalis impollutus & castus est.Scortatores autem & adulteros Deus iudicabit,

3. Responsio ex Canonib. Apostolorũ petita, & à VI. Synodo Cõstantinopolitana in Trullo confirmata.

Ex Apostolorum Canonibus, quæ tu vel lut authenticos laudas Posseuine, nihil citabo,nisi vnicum quartum Canonem.*Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus vxorem suam prætextu religionis non abiycito,si abiycit*, segregatur à cõ munione: si perseuerat, deponitor. Hic certè Canon, Apostolicæ & primitiuæ ecclesiæ testimonium,de coniugio sacerdotum honorabili,& sancto, admodum illustre cõtinet,quod vniuersa ecclesia Græca, non ante septingentos tantùm annos,(quem numerum tu mihi Posseuine præscribis, quòd recentes ab antiquæ puritate ecclesiæ deflexerint) sed ante nongentos annos, in solenni Oecumenica Synodo Constantinopolitana VI.in Trullo repetitum, denuò sanciuit & confirmauit.Cuius Oecumenicæ Synodi decretum in Iure Canonico etiam dist.xxxi.C. *Quoniam* recitatur. Sed ex Græco fonte illustrius his verbis redditum est. *Quoniam in Romana ecclesia,loco canonis traditum esse cognouimus,vt ij,qui digni habendi sunt ordinatione Diaconi vel Presbyteri,profiteantur,se deinceps cum vxoribus suis non congressuros : Nos sequentes veterem Canonem Apostolicæ & sinceræ ordinationis, legitimas sacrorum virorum cohabitationes coniugales,etiam ex hodierno die in posterum valere,ratas & firmas esse voluimus. Nullo modo eorum cum vxoribus propriis coniũctionem dissoluentes,aut fraudantes eos consuetudine coniugali,quæ conueniente tempore fiat.*

Itaque si quis dignus inueniatur Hypodiaconi, Diaconi aut Presbyteri ordinatione, is minimè prohibendus est hunc gradum ascẽdere,ideo, quòd cum legitima vxore cohabitet. Nec tempore ordinationis suæ postuletur ab eo,vt profiteatur, quòd abstinere velit aut debeat à legitimo congressu cũ propria vxore,non autem indiscriminatim cũ vxoribus suis coniunctionem habebunt, sed vicis suæ tempore abstinebunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Si quis igitur præsumpserit, contra Apostolicos Canones, Diaconos & sacerdotes post ordinationem consuetudine cum legitimis suis vxoribus privare, deponatur similiter & qui ordinantur, si vxores suas prætextu pietatis abijciant, excommunicentur.

Hæc vniuersalis Synodi Constantinopolitanæ VI. definitio, non solùm, quod scripsi in Ecclesiis Græcis maritos à Sacerdotio non arceri, verissimum esse demonstrat, verùm etiam sophismatis illius, quo posteà Possevinus vtitur, vanitatem, quo canonem Apostolorum, non de thoro seu cohabitatione, sed de cura vxorum, vt eis in monasterio vel alibi alimenta ministrentur, loqui fingit, perspicuè refutat.

4. Respõsio illustribus exemplis & testimoniis suffulta.

Præterea Apostolos ipsos Sacerdotũ noui testamenti principes, ac in his Petrum Apostolorum principem, & Paulum, consuetudine coniugali vsos esse IGNATIVS discipulus Apostolorum, ad Philadelphienses scribens, vt de Clemente Alexandrino, & aliis taceam, testatur: & Canonem, doctrinæ Apostolicæ, congruentem addit, *Si quis legitimam* (Coniugum) *commixtionem & liberorum procreationem nominet φθορὰν δὲ καὶ μυσαρὸν, corruptelam & inquinationem seu labem, talis Apostatam illum Draconem in se habitantem fouet.*

Canon doctrinę Pauli 1. Tim. 4. Conueniẽs.

Hæc Apostolicæ ac primitiuæ ecclesiæ Græcorum, ad quã me prouocas, & antiquorum patrum scripta cùm legi, Possevine, tantum abest, quemadmodum impudentissimè fingis,

Iesuitæ vana conscientiæ appellatio.

fingis, vt me aliquando fidei catholicę cõtraria docere agnoscens damnatum esse clamârim: vt doctrinam Apostolicam in primitiua ecclesia propagatam, contra conscientiam à vobis allegari, imò veteratoriè & flagitiosè corrumpi & aboleri euidentissimè cernam.

Responsio obseruanda.

Tueris impudentissimum Syricij PP. Decretum, quo Sacerdotibus coniugium ea etiam de causa prohibendũ decernitur, quòd, qui secundum carnem viuunt, Deo placere non possint, cùm carnis opera à Deo damnata, Paulus non coniugium à Deo ipso mãdatum & sancitũ, sed scelera & flagitia, lege Dei prohibita, quæ aduersatur Deus & pœnis præsentibus & æternis punit, appellet, Gala. 5. Manifesta sunt opera carnis quæ sunt, fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitię, contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes & his similia. De quibus prædico vobis, quòd qui talia faciunt, regnum DEI non hæreditabunt.

Alia Iesuitæ obiectio impudentis.

An tu cum Syricio tuo, Possevine, inter hæc carnis opera, ex hæreditate regni cælorum excludentia, coniugium Honorabile cõram DEO, & thorum castum & impollutum accensere audes? An non Ignatius, Ioannis Euangelistæ discipulus, optat dignus in regno DEI inueniri, vt ad pedes illorum coniugum Abrahami, Isaaci, Ioseph, Esaiæ & aliorum Prophetarum, item Petri, Pauli, & a-

Responsio.

liorum Apostolorum, locum habeat? An in Sacerdotibus, qui vnius vxoris viri sunt, non permanebit spiritus DEI in æternum, quia caro sunt? vt impuro ore blasphemas.

Tertia obiectio.

Addis, facilè me intellecturum, à tempore Apostolorum, quicunque, ob sanctitatē episcopi, aut sacerdotes in honore ab ecclesia habiti fuêre, nunquam eos vxores duxisse, aut si ante ordinationem duxerunt, ab earum postea consuetudine prorsus abstinuisse.

Responsio, exemplis cõfirmata.

1.

An verò non pudet te Posseuine manifestæ vanitatis, de qua ex vniuersa ecclesiæ historia redargui possis? Nam vt de Apostolis ipsis taceam, qui maritos honestos, vxorem & liberos habentes, eligi Episcopos & Diaconos iubent: an non in honore ob sanctitatem & doctrinam in ecclesia fuerunt, Hilarius Pictauorum Galliæ episcopus & confessor, qui anno Christi 370. floruit? *Cui non progenies nocuit, non obstitit vxor Legitimo coniuncta thoro, non horruit illa Tempestate Deus thalamos, connubia, tædas. Sola erat in precio, quæ nunc incognita, virtus.*

2.

An non Polycrates Ephesi episcopus ad Victorem, PP. Romanum, septem ex parentibus suis per ordinem fuisse episcopos, quorum ipse octauus sit, commemorat? Quid de Spiridione Cypri Episcopo dicas, cuius sanctissimi viri puritatem, & ecclesiastici ordinis obseruationem exquisitam, in admiratione fuisse vetustas iudicat? an non vxorem & liberos, & in his filiam Irenen habuit? nec tamen

tamen propterea coram DEO inferior fuit. Apud Eusebium Chæremon episcopus Nilopolis cum grandæua coniuge in exiliū profectus nusquā apparuisse scribitur, qui fortè, vt Enoch, viuus in cœlum translatus est. 4.

Honoratissimos in ecclesia episcopos Basilium & Naziāzenū, parentibus episcopis prognatos, & Gregorium Nyssæ episcopum, Basilij fratrem, maritum fuisse, omnibus, qui historias legerunt, notum est. Omitto plurimos alios, quorum à PP. etiam scriptoribus nomina recensentur.

Quarta obiectio.

At post ordinationem episcopi ab vxorū consuetudine apud Græcos prorsus abstinuerunt, inquit Posseuinus. Quę istháec impudentia est talia affirmare, cùm vniuersalis Synodi Byzantinæ VI. decretum solenne prorsus contrarium extet.

1. Responsio.

In summo honore sui temporis, & admiratione totius posteritatis fuit SYNESIVS Cyrenaicæ episcopus, qui disertè testatur, se in episcopatu, non vt adulterum clàm vxoris suæ consuetudine vsurum, id enim minimè iustum esse, sed cupere se episcopum etiam multos & bonos ex ea cultores Dei suscipere, ἅτε ἱερὰ Θεοφίλει χεὶρ, γυμαῖκα ἐπισεδῶκε. Προαγορεύω τοίνυν ἅπασι καὶ μαρτύρομαι, ὡς ἐγὼ τοιοῦτος, ἅτε ἀλλοπροιώσομαι καθάπαξ, ἅτε ὡς μοιχὸς αὐτῆ λάθρα σωιόσομαι. τὸ μὲν γὰρ ἧκιστα εὐσεβὲς, τὸ δ' ἧκιστα νόμιμον, ἀλλὰ βελήσομαι τε καὶ εὔξομαι συχνά μοι πάνυ καὶ χρησὰ γένοιτο παιδία. 2.

Extant etiam in ipsis Iuris Pontificij Canonibus Testimonia, quæ Sacerdotes & 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Diaconos iam ordinatos consuetudine coniugali vsos declarant dist.31.C.Aliter se oriẽtalium traditio habet ecclesiarum, nã earum Sacerdotes, Diaconi & Subdiaconi in matrimonio copulantur.

Instantiæ Iesuiticæ refutantur.

Cúmque de Græcis ecclesiis præcipuè inter nos agatur: Id enim oppugnat Posseuinus, quòd maritos à Sacerdotio apud Græcos non arceri in Oratione mea scripsi: omissis occidentalibus, Græcas seu orientales Synodos ab ipso Posseuino titulo tenus citatas

1. Instantia.

consideremus. Allegat concilium Ancyrainum, quod manifestissimè testatur, etiã post

Responsio.

ordinationem licuisse Diaconis matrimonia contrahere, qui licẽtiam ab episcopo habuerunt. Potuerunt itaque episcopi dare facultatem ducendi vxores Diaconis iam ordinatis. Canon. X. *Diaconi, quicunque cùm ordinantur, in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere vxores, nec posse continere: hi postea si ad nuptias venerint, maneant in ministerio, propterea quòd his episcopus licentiam dederit.*

2. Instantia.

Ex Niceno I. Canonem tertium allegat, in quo sancitur, *Ne quis episcoporum, cæterorúmque clericorum, cum extraneis seu sub introductis*

Responsio.

mulieribus habitet. Has ille legitimas vxores seu coniuges intelligi vult, cùm vel ex Chrysostomi Sermone πρὸς τὸς ἔχοντας συνεισάκτους constet, non vxores legitimo coniugio iunctas, sed contubernia mulierum non coniugatarum hoc Canone prohiberi.

Interea nullius momenti apud Posseuinũ est, quod in præsenti controuersia præcipuũ est, quod Historia ecclesiastica refert. In deliberationibus Synodi Nicenæ visum fuisse aliquibus, introducere legem, vt Episcopi, & Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi, cum coniugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgentem autem in medio Paphnutium confessorem contradixisse, honorabiles confessum nuptias: & castitatem dixisse, concubitum cum propria coniuge. Suasitque concilio, ne talem poneret legem, grauem asserẽs esse causam, quæ aut ipsis aut eorum coniugibus occasio fornicationis existeret. Et hæc quidem Paphnutius, licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit: Synodúsque laudauit sententiam eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in vniuscuiusque voluntate, non in necessitate dimisit.

5. Responsio ad Sen. 5. argumentum adu. dogma Iesuiticum de cœlibatu.

Effugium Posseuini.

Hoc insigne Synodi Nicenæ testimoniũ, vt eludat & ecclesiæ eripiat Posseuinus, Socratem historiæ ecclesiasticæ scriptorẽ probatissimum, mendacij accusari à Gregorio Papa, ideóque ecclesiæ catholicæ nunquam fuisse probatum ait. At locum illum Gregorij, si inspexeris lector, Posseuinum ipsum de Socrate mentiri deprehendes. Nullam enim mẽtionem Socratis à Gregorio fieri cernes, sed Sozomenum solum à sede Apostolica nõ recipi videbis in iis, quę de Eudoxio & ipsius sectatoribus damnatis scribit, imò & Synodi Constantinopolitanæ I. acta non recipi à se-

Lib. 6. Epist. 31.

Refutatio effugij Iesuitici.

Universidad de Deusto
Biblioteca

de Apostolica scribit, nisi quæ contra Macedonium definita sunt. An verò propterea vera non erunt, quia Gregorius ea non recepit? Atqui de Eudoxio Ariano subdolo, cuius consilio postea Gothis, doctores fidei Christianæ ab Imp. petentibus Ariani missi sunt, non Sozomenus solus, sed & Theodoretus & Socrates sæpè meminerunt.

Etsi igitur aliquod hæc Gregorij epistola, in Sozomeni autoritate labefactãda, pondus haberet: tamen ad Socratem nihil pertinet, qui eandem de Paphnutio historiam recitat. Quòd si huic de Sozomeno Gregorij epistolæ tantum tribuit Posseuinus: an igitur proximè præcedentis epistolæ testimonium idem momentum habere volet? vbi fidenter affirmat Gregorius, *Quisquis se vniuersalem episcopum vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrere quia superbiendo se cæteris præponit. Neque enim quisquam se Episcopum episcoporum constituit.*

Lib. 1 c. 11.

August. Tom. 7. fol. 83.

Aliud effugium.

At Nouato fauerunt Socrates & Sozomenus. Nũc igitur, si modò verum est quod obijcis, Historia rerum in ecclesia gestarum, verissimè ab eis scripta, eam ob causam reijcienda est. Eusebius signifer fuit Arianæ factionis, ideóque ab Athanasio etiam post Nicenam Synodum passim traducitur. Nũ propterea fides historiæ illius ecclesiasticę deroganda est. Nullam igitur prorsus historiam ecclesiæ Christianæ, dignam fide, primis trecentis annis vsque ad Constantini tempora habe-

Responsio.

habebimus.

3. Effugium.

At præcisè aduersatur hæc Paphnutij historia, tertio Concilij Niceni Canoni, cui tot patres sanctissimi subscripserunt? Respõdeo nequaquam aduersari. Non enim prohibet tertius Canon (*Ne quis episcoporum cæterorúmque clericorum cum extraneis mulieribus habiter*) cohabitationem cum propria coniuge, sed contubernia mulierum non coniugatarum, seu extranearum, vt Ruffinus vertit, quas συνεισάκτους nominârunt, de quibus & multorum patrum orientis epistola ad Dionysium Pontificem Romanum de Paulo Samosatense, contubernium mulierum, quas συνεισάκτους Antiocheni appellant, (non vxores coniugatas, vt fingit Posseuinus) sacerdotibus permittente conqueritur, à quibus Nazianzenus etiã dehortatur.

Responsio.

Τὰς ϑ' συνεισάκτους ὡς δὴ φάσκουσιν ἅπαντες,
Οὐκ οἶδ' εἴτε γάμῳ δώσουσιν, εἴτ' ἀγάμους
Θήσουσιν εἴτε μίσον τι φυλάξουσιν τὸ ἐγώγε,
Κἂν με λέγητε κακῶς, τὸ παράγαν ἐπαινήσομαι.

Quales verò fuerint mulieres, Chrysostomus in Sermone περὶ τὲς συνεισάκτους ἔχοντας declarat. Sunt qui puellas innuptas, aut viduas, sine nuptiis & concubitu ducẽtes, domi perpetuò collocant, & ad extremam vsque senectam secum inclusas tenent, non liberorum procreandorum causa, neque enim aiunt, se cum eis rem habere, neque libidinis gratia, siquidem illas se dicunt incorruptas inuiolatásque seruare. Non igitur legitimas vxo-

res, Canon Nicenus, sed mulieres extraneas, seu subintroductas, seu non coniugatarum cõtubernia, exceptis matre, sorore, amita &c. vitare iubet: vt manifesta impudentia sit, ad prohibẽdam coniugum propriarum cohabitationem verba Canonis detorquere.

Instantia Iesuitica

At denuò instas, Posseuine, Paphnutium simul adiecisse, non esse permittendum, vt sacris ordinibus initiati, postea ducerent: & antiquam ecclesiæ traditionem allegare. At

1. responsio

multò antiquior & sacratior est Traditio ipsius DEI Verbo ecclesiæ tradita, quæ & in veteri Testamẽto Sacerdotes, quibus quotidie sacrificium Deo offerendum erat, vxorẽ ducere iubet: & in nouo Testamẽto, vxorem & liberos habere episcopo & presbytero cõcedit, & honorabile coniugium in omnibus, (etiam sacerdotibus) & castitatem esse cum propria vxore consuetudinem coniugalem adfirmat.

2. Nec vniuersalem illam traditionem, de vxore post ordinationem nõ ducenda, fuisse, Concilij Ancyrami, quod circiter xx. annos Nicenum præcessit, Canon X. docet, qui Diaconis, etiam post ordinationem, matrimonium contrahere concedit, cuius paulò ante verba recitaui.

Ea Synodus cũ à te ipso nominatim citata sit, aliquid credo valere eius autoritatẽ sines.

3. Quòd si GANGRENSEM quoque Synodũ, quæ non longo interuallo Nicenã secuta est, citare tibi libuisset: multò illustriora veritatis testi-

testimonia aduersus ὁμόψηφον tuum Eustachium, qui Sacerdotum in coniugio viuentiũ Benedictionem & communionem ferre tã quàm abominationem iussit, reperisses. Ita enim Canone iiij. definit. *Quicunque discernit presbyterum coniugatum, quòd propter coniugium non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit,* & Cano. I. *Si quis vituperat nuptias (sacerdotum vel alias) & dormientem, cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur aut culpabilem existimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.*

Sed in re manifesta pluribus verbis nihil opus est, cùm iure diuino coniugium in veteri & nouo testamento Sacerdotibus permitti: tãtùm autem humanis legibus & episcoporum statutis prohiberi manifestè omnibus constet, & Pontificij scriptores, in quibus aliquid conscientiæ est, ipsi relaxari legẽ de cœlibatu optent, & fœdissimos fructus ac tetra & horrẽda flagitia & scelera per legem de cœlibatu, sub prætextu puritatis, mundiciei, castitatis, sanctimoniæ, in ecclesiam velut diluuium inuecta, deplorent. Nulla hîc arcana reuelo, non ignota loquor, liceat vulgata per orbem referre, canit Mãtuanus scriptor planè Catholicus & Carmelita monachus, quæ referre me sanè pudet.

4. Responsio autoritate testium pontificiorum roborata.

Erasmus, quo neminem sapiẽtiæ, doctrinę & eloquentiæ laude celebriorem in Germania patronum Pontificij habuerunt, testatur, *nusquam minus inquinatam morum integritatem,*

quàm apud coniugatos reperiri, cæteros sub vmbra castitatis turpiùs libidinari, ac rogat, ne quis hîc cogat esse disertum. Idem, plerosque istorum, qui nunc continentiam profitentur, lõgè aliò spectare ait, nimirum ad ocium, ad culinam, ad tyrannidem, ad licentiùs tutiúsque peccandum, ad præbendas & dignitates, ad præposituras & abbatias. Quid autem mirum, si ætate Augustini dictę sunt aliquot virgines sanctimoniales nupsisse, cùm hoc seculo tot dicantur esse monasteria, quæ nihil aliud sunt quàm publica lupanaria, plura priuata, tum in his quæ maximè probatæ disciplinæ sunt, multò plures sint, quæ velum habent, quàm quæ virginitatem.

Memini sti, Posseuine, quid Bauaricæ Historiæ scriptor catholicus Auentinus, de legę cœlibatus ab Hellebrando PP. clericis impo sita, sub catholicis Principibus Bauariæ scripserit, annis ampliùs mille post Christum natum Sacerdotes illa tempestate publicè vxores, sicuti cæteri Christiani, habuisse, liberos procreâsse &c. His cùm connubio interdiceret Hildebrandus, maxima pars sub honesto Castimoniæ (summæ & decentissimæ puritatis Posseuinianę) nomine, stupra, incestus, adulteria, passim & impunè committebant, & postea, Gratissima hæc (Lex de cœlibatu) fuit scortatoribus, quibus, prò vna vxore sexcentas iam mulierculas licebat &c. (pudet enim me sequentia adscribere) sed plerisque Episcopis, aliis eruditis, simplicibus, apertis atque

atque bonis, nouum dogma, pestifera hęresis quæ vnquam Christianum conturbâsset regnum, visa est, & Maximilianus I. Imperator Matthiæ Lango Gurcensi, Bauariæ episcopo, Cardinali postea Saltzburgensi, falsè aliquando obiecit, Sacerdotes Laicis vnam vxorem permittere, quam, qualibuscũque moribus sit, nunquam dimittere liceat, Sacerdotes verò quotcunque velint habere, & dimittere cùm velint, & alias ducere pro libidine.

Annon Pius II. Pontifex Romanus, ipse dixit, fuisse aliquas causas, cur Sacerdotibus adimeretur coniugium, sed multò maiores causas esse, cur restituendum sit. Et alius. Ex nimis rigida & intempestiua huius constitutionis (de cœlibatu sacerdotum) exactione, grauissima & abominanda in ecclesia scãdala extitisse videmus: nam causæ illæ, quibus maiores ad constitutionem hanc faciendam inductos esse diximus, non solùm hodie cessârunt, sed etiam in contrarium sunt conuersæ, nam primum videmus hoc decreto vsque adeò castitatem & continentiam in clero nõ confirmari, vt per illud ad omne libidinis & flagitij genus, fenestra aperta esse videatur. Item vsque adeò non refrenatam in clero auaritiam, vt etiam frena magis laxata videantur, tum res in plerisque sacerdotibus ita comparatæ sunt, vt coniugum piarum consortio non modò ad functiones ecclesiasticas obeundas non impediãtur, sed etiam

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad earum procurationem adiuuentur ab eis. Quemadmodũ de patre suo Gregorio & matre Nomia. Gregorius Naziãzenus testatur sunt & contrà plerique cœlibes, qui vsque adeò cœlibatu suo, ad ea, quæ Dei sunt expeditiùs curanda, nõ incitantur, vt etiam contrà curis huius seculi supra reliquos homines immergantur, & obruantur. Ad ea igitur incommoda & scandala euitanda & tollenda restat primùm vt in posterum ordinãdis hoc statutum relaxetur, & more veteris ecclesiæ & hoc vsque ad Orientalium Ecclesiarum honesti quoque mariti ad ecclesiæ ministerium admittantur, & extra tempus ministerij, familiaritate quoque suarum coniugum vti permittantur, iuxta Canonem sextæ Synodi generalis, quo decernitur, nullo modo legitimas Diaconorum & Presbyterorũ nuptias esse dissoluendas, nec ante ordinationem ad profitendam castitatem esse compellandos.

Franciscus Turrianus Iesuita. lib. 2. de dogmaticis Charactеribus.

Nec audiendus est nouus quidam in ecclesia dogmatistes, qui vnus contra omniũ veterum, & recentium ecclesiasticorum scriptorum sententiam, cœlibatum ordini sacro ἐπουσιωδῶς, hoc est, substantialiter & lege diuina adiunctum esse contendit, necesse in potestate Pontificis nec ecclesiæ, vt coniugij vsum sacerdotibus permittant, non magis, quàm furandi aut latrocinandi, atque eo modo vniuersam ecclesiã tam Orientalẽ quàm Occidentalem violati diuini iuris accusat illam

illam, quòd coniugium in Sacerdotibus hactenus obseruarit: hanc, quòd eam rectè facere iudicârit. Caietanus certè Cardinalis, Ordinem non esse impeditiuum matrimonij fatetur, & Innocentius Papa ipse in C. placet, de conuersione coniugatorum ait, Matrimonium iure diuino non prohibere susceptionem sacrorum ordinum: sed tantùm ex constitutione ecclesiæ. Imò etiam post consecrationem sacerdotem posse contrahere matrimonium, nisi ecclesiæ statuto hoc prohibitum esset.

Quæ autem autoritas talis statuti esse potest? quod legi Dei, sacerdotibus in veteri & nouo testamento coniugium permittenti, quod expressis Canonibus Apostolorum 1. Timoth iij. Tit. 1, & alibi, quod primitiuæ ecclesiæ testimoniis, quod vetustissimarum Synodorum, Nicenæ, Gangrensis & Sexti vniuersalis Concilij Constantinopolitani, & tot piorum, sapiẽtum doctorum iudiciis repugnat.

Sexta calumnia, de sacrificio Missæ pro animabus ex purgatorio liberandis.

Sexta Possevini impostura traducit, quod Chrysostomi Liturgiam, Oblationem corporis & sanguinis Christi, pro animabus ex igne purgatorio liberandis, nullam facere adfirmo. Corradit igitur ex aliis Chrysostomi operibus dicta, quæ memoriam mortuorum & orationes pro mortuis offerri præcipiunt. Non defatigemur, inquit Chrysostomus, preces pro mortuis offerendo. Commu nis totius orbis victima preces sunt. Ergo

Obiectio Iesuitæ ex Chrysostomi dictis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Chryſoſtomus oblationem pro animabus defunctorum Deo offert.

Responsio. Atqui ſcis Poſſeuine nõ de ſacrificio pro cum, ſed de ceremoniali ſacrificio corpo & ſanguinis Chriſti, quod Miſſæ proprium eſſe vultis, an pro viuis & defunctis ex purg torio liberandis in Chryſoſtomi Liturgia o feratur, inter nos diſceptari. Scimus veter loqui de Oratione pro mortuis (inquit Ap logia Conf. Auguſt.) ſed applicationem Cõ nę Domini pro mortuis ex opere operat improbamus. Quam ex Chryſoſtomo nu quam probabis. Scimus oblationes ciborũ & aliorum munerum, ad vſus pauperum clericorũ, olim in exequiis mortuorũ & An niuerſariis fieri ſolitas, nec celebrationem vſum Cœnæ Domini, cognatis defuncti lim in funeribus cõſuetum (vnde Oblation & Miſſæ pro defunctis nomina & ritus pr mùm orti ſunt) quiſquam prohibet.

2. Reſpõſio autoritate S. Scripturæ confirmata. Sed Cœnam Domini pro animabus mo tuorum ex Purgatorio liberandis applicari vel hac opinione pro mortuis orare, qui ſi nunc in purgatorio igne crucientur, vt de noſtris precibus & ſacrificiis redime di ſint, id etiãſi à Chryſoſtomo diceretur: t men clariſsimis verbi diuini teſtimoniis, q animas piorum hinc deſcendentes rectà ſinum Abrahæ ſeu Paradiſum, ſeu vitam æ ternam, non in cruciatus purgatorij venir nec poſt mortem vllum indulgẽtiæ ac ſatiſ factione pro peccatis, per noſtra vel alio rum

rum opera exoluẽdæ locum eſſe docent, aduerſa fronte repugnare alibi demonſtratur. Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiſo. Sapient. 2. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & nõ tanget eas tormentum mortis, ſed ſunt in pace. 2. Cor. 5. Reportabit vnuſquiſque iuxta id quod fecit in corpore. Galat. 6. Vnuſquiſque proprium onus portabit. Quidquid enim ſeminauerit homo hoc & metet, ſicut Matth. 25, in ſententia extremi iudicij commemorantur opera, non quæ alii viuentes pro defunctis fecerunt, vel ipſi poſt mortem in Purgatorio paſsi ſint, ſed quæ credentes in Chriſtum benedictum, & proximo egenti benefacientes, ipſi in hac vita præſtiterunt. Hebr. 9. Statutum eſt hominibus ſemel mori, poſtea iudicium. Nam poſt animæ à corpore exceſſum, ſtatim fit bonorum & malorum diſtinctio, inquit Iuſtinus Quæſt. 75. Ducuntur enim ad loca, quæ eis digna ſunt ab Angelis, bonorum quidem in Paradiſum, improborum verò ad inferorum loca Eccleſiaſt. 11. In quemcumque locum ceciderit arbor, in eo permanebit. Hæc verba interpretans D. Hieronymus addit, Mortis tempeſtate ſubmerſus, quaſi lignum, vbicunque ceciderit, ibi iugiter manebis, ſiue te rigidum & trucem, ſiue clementem & miſericordem vltimum inuenerit tempus.

Cúmque alioquin ſacrificij aut Orationis pro mortuis in tota veteris & noui Teſtamẽ- 3. Reſponſio.

ti scriptura Canonica, nec mandatũ vllum, nec doctrina, nec promissio, nec exemplum in tot funerum historiis extet: tutissimum est in vniuersum eam omitti. Nam quod sine scripturæ autoritate dicitur, eadem facilitate contemnitur qua recipitur. Et quò euaserint tandem, licet non mala pietatis specie initiò susceptæ Orationes & Oblationes pro defunctis: tetræ superstitiones & abusus idolatrici secuti testantur.

4. Responsio ad locum ex Macab. 2. lib. desumptũ.

Nam quod ad vnicum 2. Maccab. XII. capitis exemplum attinet: manifestum est, non modò librum esse apocryphum, ex quo nulla ad ecclesiasticorum dogmatum autoritatem confirmandam testimonia depromi possint: verùm etiam exemplum illud cum regula verbi diuini perpetua & immota ex diametro pugnare, dum ex opere operato, peccata interfectorum, qui sine pœnitentia decesserant, sacrificio expiari posse cogitat. Quod ne Pontificij quidem ipsi probare audent.

Nec in Græco fonte sit expressis verbis mentio sacrificij pro mortuis, sed tantùm misisse 2000. drachmas Maccabæus περὶ τῶν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν dicitur. Nec vlla eo ipso in loco, vel vnicâ syllabâ, Ignis Purgatorij vel cruciatuum, ex quibus ante resurrectionẽ suffragiis viuentium liberari possint, sed tantùm resurrectionis mẽtio fit, in qua bis mille istos Iudæos, qui in sua impietate interfecti fuerant, sacrificio pro peccato expiatos, cum cæteris piis consistere & saluari posse, sine vllo verbi Dei testimonio ratiocinantur, si tamen non tota illa narratio commentitia est, cuius nec 1. Machab. 5. eandem historiam recitans, nec Iosephus, vllo verbulo meminerunt.

5. Responsio ad locum Dionysij.

Longam postea Dionysij, quem Areopagitam vocant, laudationem Posseuinus, Erasmo, homini plus Grãmatico quàm Theologo, ipse θεολογώτατος opponit, & sanctam Romanam catholicam ecclesiam, ritus Apostolorum à Dionysio descriptos inter medias hæreses retinere iactitat: cùm nullum, ne quidem in Missæ seu synaxeos Dionysij ritibus, sacrificij corporis & sanguinis Christi, pro viuis & defunctis vestigium monstrare possit, ne dum in vnctione & exequiis defunctorum, vbi Dionysius, Oleo sacro, non ægrotos adhuc viuentes, vt Pontificij, sed iam mortuos vngit, & Orationem pro mortuis fundit, quæ in Vigilias deinde translata est, vt DEVS defuncto propitius sit, eumque in lumine & regione viuentium in sinu Abrahę, Isaac & Iacob collocet, &c. Cui orationi epiphonema Posseuinus adiiciens. Nullum ne ergo inquit, Chytræ, Oblationis pro mortuis hinc vestigium cernis?

Ego verò applicationis Cœnæ Domini pro mortuis, & oblationis corporis & sanguinis Christi in Missa, pro animabus ex igne Purgatorio liberandis, nullum in hac Dionysij precatione, vel vllis aliis ipsius scriptis, vestigium ab vllo etiam Lynceo cer-

ni posse, adfirmo.

6. Responsio, quæ orationes pro mortuis excutit.

Quod verò ad Orationes pro mortuis attinet: has scimus veteres, non velut satisfactiones pro peccatis mortuorum, aut redemptiones animarum ex pœnis Purgatorij vsurpasse, sed vt superstites, & lugentes, fidem suã de beata requie & salute piè defunctorum & condonatione reliquiarum peccati, quas in carne circumtulerunt, confirmarent, & promissiones de remissione peccatorum, & beata conditione & statu animarum sibi arctiùs infigerent & applicarent, & promissionum illarum cogitatione se erudirent & consolarentur, & se defunctorum desiderio, verè & ex animo affici, & bene ipsis velle, ac beata omnia precari declararent, sicut ex Dionysij Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. VII. verbis perspicuum est, quibus precatur sacerdos diuinã clementiam, vt cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, eúmque in luce statuat & regione viuorum, in sinubus Abrahę, Isaac & Iacob, in loco vnde aufugit dolor & tristitia & gemitus. *At fortasse inquies* (adhuc verba Dionysij recẽseo) *te ambigere, cuius rei gratia præsul diuinam precetur clementiam defuncto peccatorum veniam postulans, æqualem sanctis ac lucidissimam sortem. Si enim eorum, quæ in vita gessit, bonorum aut malorum à diuina iustitia percipiet præmia, perficit autem actiones suas in vita ista defunctus: quænam hunc oratio præsulis ad aliam (præter illam quam meruit: vitæ hîc actæ respondentem) transferet requiem?*

Non ignoro quidem & ego diuinis eloquijs accedens: singulis reddendam pro meritis sortem, concluſit enim, inquit, apud se, & referet vnusquisque ea quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum. Quòd autem & iustorum preces etiam in vita ista & nedum post mortem, ijs solis prosint qui digni sunt: scripturæ nos edocet sacrosanctæ traditio. Quid enim Sauli profuit Samuelis oratio? Quid Hebræorum iuuit plebem, prophetica interpellatio? Huic obiectioni postea Dionysius respõdens, ait, *Venerandus antistes de scripturis diuinitus traditis didicit, vt ijs, qui piè vixerunt, iucũdissima diuináque vita pro merito redditur, non recordante diuina bonitate per summam clementiam maculas, quæ illis ex humana infirmitate adhæserunt, nullus enim est mundus à labe. Ista quidem nouit Pontifex promissa à sanctis eloquijs: Petit autem ea fieri, donarique eis, qui piè vixerunt, præmia sacra: simul quoque seipsum ad imitationẽ Dei benignius formãs, & aliorum dona quasi propriæ expetens gratias, nec ignorans veras repromissiones futuras. Præsentibus etiam apertè demonstrat, quòd (quæ ab eo sacro iure postulantur) omnino illi consequentur, qui in vita diuina consummati sunt. Postulat itaque sanctus Antistes quæ sunt promissa diuinitus, atque accepta Deo, & quæ largienda non ambigit, & præsentibus apertè insinuat quibus bonis donandi sunt sancti.* Hactenus Dionysius. In hanc sententiam, factas pro mortuis precationes, non vt ex Igne Purgatorio liberentur, sed vt superstites & lugẽtes fidem suam de beata requie & salute piè de-

Universidad de Deusto
Biblioteca

functorum confirment, & promissiones remissionis peccatorum & vitę æternę sibi applicent,& se mortuo beneuelle,& omnia bona optare declarent:Apologia etiam Cõfessi: Aug.non improbari ait.Quis enim non bene precetur amicis mortuis,ac vt Deus ipsis propicius & clemens sit, ex animo optet? Sed nostris precationibus & sacrificiis ex igne purgatorio mortuos liberandos esse, nusquã sacra scriptura præcipit.Cùm igitur nec promissio,nec exemplum in sacra scriptura vllũ de Oratione pro mortuis extet: nullum esse articulum fidei,aut cultum Dei necessarium, manifestum est.

Aduersus purgatorium Pontificium argumenta.

PVRGATORII verò Ignis apud inferos, peccatorum labes post hanc vitam exurentis dogma,ex Platonis Gorgia,& Phædone, & Poetarum figmẽtis ethnicis,ab Origene primùm in Ecclesiam Christi inuectũ, & apparitionibus spirituum ac spectris postea confirmatum & auctum esse,omnibus constat. Manifestæ autem Regulæ & principia fidei Christianæ sunt, Non à mortuis vetitatem. Ad legem magis & testimonium:Quòd si nõ dixerint iuxta verbum hoc, nõ erit eis matutina lux. &, frustra colunt me mandatis hominum. Ignis verò Purgatorij apud inferos peccata expiantis, nullum in tota veteris & noui Testamenti scriptura Canonica, vel testimonium expressum, vel exemplum extat, tametsi creberrima mortis & sepulturæ defunctorum mentio,in tota Patrum, Prophetarum

1. Cõmẽtum est humanũ.

2. Principiis fidei Christianæ repugnat.

3. Caret exẽplo & testimonio Scripturæ.

tarum & Apostolorum historia fiat. Sed de Purgatorio post mortem, & de sacrificiis ac precibus ex Igne Purgatorio defunctos releuantibus, in Moyse etiam prolixè & scrupulosè omnia sacrificiorum genera enumerãte, syllaba nulla comparet.Quod autem sine scripturæ authoritate dicitur : eadem facilitate contemnitur, qua recipitur, vt Hieronymi verbis vtar.

Quod verò ad Græcos attinet, à quibus, Eos,qui in fine vitæ primùm ad Deum conuersi sunt,alio loco media conditione inter beatos & damnatos collocari dixi,vnde eos eleemosynis & precationibus viuorum liberari sentiant:sed tamen hunc locum IGNEM Purgatorium non appellare,verbotenus ferè hãc totam sententiam ex Actis Synodi Ferrarienſis & Florentinæ,cui vnà cum Imperatore,Palæologo,Patriarcha Grecorum Ioſephus,& Episcopi Græcarum Ecclesiarũ præcipui interfuerunt, descripsi, vbi in publica Synodi disputatione Græci de Purgatorio sententiam suam declarantes,post expositionem loci 1.Cor.3.non de igne purgatorio sed æterno,addunt.Nos enim (Græci) PVRGATORIVM, NON IGNEM, sed obscurũ quendam locum & laborum plenum esse censemus,in quo quidem existentes animæ, lumine diuino priuantur,donec coadiuuante Ecclesia expientur & liberentur. Hæc cùm ex ipsius Græcæ Ecclesiæ, Confessionem suam in Florentina Synodo publicè per legatos

4. Ignis purgatorius Papisticus à Græcis Ecclesiis repudiatus est.

Universidad de Deusto
Biblioteca

edentis ore descripta sint: tamen mendacium esse, Possevinus mendaci ore clamitat, quòd scripsi, locum hunc Purgatorium, IGNEM à Græcis non appellari.

Acta igitur Generalis 8. Synodi Græcorũ & Latinorum Florentinæ, quam Pontificij sic appellant, ex quibus hæc descripta sunt, mendacij arguat, nõ me, qui nihil de dogmatis Purgatorij veritate aut falsitate in ea oratione disputas, nec Græcis aut Pontificiis aut Lutheranis quidquam præiudicãs, nudum ac simplicem præsentis doctrinę ac fidei Ecclesiarum Græcarum historiam recito.

Nihil de Apologia Græcorum in Basiliensi Synodo exhibita, quæ expressè ignem purgatorium refutat, dicam.

In ipsis Florentinæ Synodi literis vnionis Græcorum & Latinorum, quas Possevinus allegat, non IGNIS, sed pœnæ purgatoriæ in genere nominantur. At illas ipsas vnionis literas, post Ioseph Patriarchæ Græcorũ mortem, Florentiæ erectas, à quibusdam in ipsa Synodo reclamantibus Græcis Episcopis nunquam comprobatas, & posteà reuersis domum legatis publico decreto à Græcis reiectas & damnatas esse omnibus notum est.

Obiectio Iesuitę pro purgatorio.

Citas Maximum & Ioannem Damascenum, cuius nomine extantem orationem de Defunctis si probas, impios etiam Idolatras ac ethnicos, sine agnitione & fide Christi & sine vlla pœnitentia mortuos, liberari ex igne purgatorio, precib. & aliis bonis operibus

Refutatio.

ribus posse docebis. Affirmat enim Damascenus tuus, Traiano Cæsari ethnico, veniam peccatorum, ad preces Gregorij, aliquot post mortem illius seculis à Deo donatam esse: adfirmat Falconillam ethnicam, & in gentili impietate mortuam nescio cuius martyris precibus saluatã. Narrat Macarium pro mortuis precantem, ex arido cranio, cui sermonem veritatis Deus inspirârit, de statu defunctorũ multa didicisse. Has fabulas si pro articulis fidei, quia in oratione Damasceni de defunctis recensentur, tueri voles: non mirum est, ignem etiam purgatorium, illius autoritate à te defendi.

Sed in libris de Orthodoxa Fide Damasceni, quibus vniuersæ Theologiæ summam complecti voluit, nullum de igne purgatorio apicem reperio: sicut nec inter Gregorij Nysseni opera, quæ ego Coloniæ edita habeo, ea quæ citas hactenus inuenio. Nec ex Nysseno, sed Prophetarum, Christi & Apostolorum doctrina, confirmationes dogmatum petendas esse scio.

Ex Theodoreto erasum esse in Græcia locum de purgatorio coniectas. Cur non similibus & grauioribus coniecturis, multa à monachis latinis suppositicia in veteribus inserta esse dicis? Miram enim audaciam & impudentiam fuisse describentium veteres libros constat, qui vt imponerent indoctis, multa de suo, cũ autoribus pugnantia adscripserũt.

2. Obiectionis refutatio

Dionysij verò Areopagitæ, vt nominas te

3. Obiectionis refutatio

Universidad de Deusto
Biblioteca

stimonium à te laudatum,& paulò antè à me integrè recitatum,quid quæso ad Ignem tuũ purgatorium fouendum,ponderis habere po teſt? Cuius ne ſcintilla quidem elici,ex citata Dionyſij precatione & omnibus illius ſcri ptis poteſt.

4. Obiectionis refutatio

Quod ad Lutherum attinet,quis neſcit initio diſputationis de Indulgẽtiis,cum, non modò Purgatorium,ſed etiam Romani Pontificis primatum,& alias eius temporis publicas perſuaſiones, non impugnaſſe, donec paulatim illuſtrata certaminibus veræ doctrinæ luce,vt plurimos alios, ita hunc quoque de cruciatibus& pœnis piè defunctorum apud inferos errorem refutauit.

Septima calumnia de inuocatione Sanctorum. & de imaginibus.

Septima Poſſeuini Impoſtura prolixè exagitat, quòd Inuocationem hominum mortuorum & imaginum,apud Græcos quoque vſitatam,velut tetram & idololatricam improbem,& ex Eccleſiæ agro & finibus exterminandam eſſe iudicem.Itaque Mariæ virgini matri, & ſanctis in cœlo, me bellum inferre, & blaſphemias aduerſus Deum,& tabernaculum eius,ac eos,qui in cælo habitãt, effundere, & Mariæ ac ſanctis honores debitos inuidere,&c.declamitat.Huic vt falſiſſimæ,ita prorſus Tragicæ criminationi, initio ſolis Epiphanij, Græcæ Eccleſiæ Doctoris præcipui, verbis reſpondebo. *Reuera ſanctorum erat corpus Mariæ, Reuera virgo erat ipſa virgo & honorata, ſed non ad Adorationem nobis data, ſed ipſa adorans eum qui ex*

1. De inuocatione Sanctorum obiectio.

Reſpõſio,ex Epiphanij verbis colle cta lib.3. Tom.2. hær. 79.

ex ipſa carne genitus eſt. Sit in honore Maria: ſed Pater & Filius & Spiritus S. adoretur, MARIAM NEMO ADORET, *non dico mulierem,imò neque virum,* DEO *debetur hoc myſterium. Neque Angeli capiunt talem glorificationẽ. Compeſcantur à Ieremia tales mulieres,ne dicant honoramus reginam cœli,nouit enim Taphnas has punire.* Et anteà: *Aequale eſt in vtriſque his ſectis detrimentum,cum illi quidem vilipẽdant ſanctam virginem:hi verò rurſus vltra decorum glorificent. Non conuenit autem colere ſanctos vltra decorum,ſed honorare ipſorum Dominum. Quæ verò Scriptura de hoc narrauit? Quis Prophetarum præcepit hominem Adorari, nedum mulierem? Eximium equidem eſt vas, ſed mulier, ſicut Helias,ex matre virgo,ſicut Ioannes,ſicut Thecla ſancta. Et Maria adhuc honoratior hac eſt, propter diſpenſationem myſterij, qua digna facta eſt. Sed neque Helias adorandus,etiamſi viuus in cœlo ſit, neque Ioannes adorandus, neque Thecla, neque quiſquam ſanctus adoratur. Non enim dominabitur nobis antiquus error, vt relinquamus viuentem,& adoremus ea,quæ ab ipſo facta ſunt. Coluerunt enim & adorarunt creaturam præter creatorem,& ſtulti facti ſunt. Si enim Angelos adorari non vult, quanto magis eam, quæ genita eſt ab Anna,quæ ex Ioachim donata eſt Annæ. An non eſt idolatricum hoc,mortalem naturam in hominum oculis Deificans,ſtatuas, humanas imagines præ ſe ferẽtes,adorare? Et mortui quidem ſunt, qui adorantur:ipſorum verò imagines, quæ nunquam vixerunt(neque enim mortua eſſe poſſunt,*

Universidad de Deusto
Biblioteca

quæ nunquam vixerunt) Adorandas introducunt, adulterante mente ab vno & solo Deo.

Appellatio conscientiæ Iesuiticę, si qua est.

Hæc tibi Epiphanius pro me respondet Possevine. Hunc igitur in nomine Iesu adiuro te Possevine, vt conscientiam suam interroget, Cur, cùm Ecclesia omnis sciat, credat, fateatur, quidquid in Virgine beatissima, cæterisque cœlitibus est boni, id ab ipso Deo manasse: ac verò ancillæ & seruorum honorem ad Dominum redundare: seipsum macceret, quòd à Deo vocatis amicis & sanctis, honor Inuocationis adhibeatur & per eos ad communem Dominum aditus pateat? Cur item imprimis sanctissimæ virgini Epiphanius ipse homuncio Honorem adorationis, salutationem, preces, ab hominibus inuideat? Respondet, Quia Honos solius Dei creatoris proprius est Inuocatio, tribuens Deitatem & omnipotentiam rei inuocatæ, & quia Idolatricum est mortuos eorúmque Imagines adorare.

Cum Epiphanio igitur, non mecum expostules, si quid hæc responsio tuis dogmatibus Idolatricis dissonum habere videbitur:

2. Responsio ex Hieronymo.

Respõdeat Hieronymus. *Quis, insanum caput, Martyres aliquando adorauit, quis hominem putauit Deum? Nos ne Angelos quidem aut Archangelos adoramus, & seruiamus creaturæ potius quàm creatori.*

3. Responsio Chytræi.

Iam meis verbis respondeo. Beatissimam virginem Mariam, Dei tabernaculum, animatum Dei templum, Dei genitricem, Benedi-

dictam, Gratiæ plenam, Spiritus sancti organum, virtutum omnium Deo placentium exemplar, summo inter omnes Angelos & homines honore & veneratione dignã esse, vero corde & clara voce profitemur. Omnes etiam Sanctos cæteros, à Deo vocatos amicos, æterni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi consuetudine in cœlo fruentes, eximio & singulari Honore afficiẽdos, & Memoriam eorum grata & honorifica celebratione in Ecclesia conseruandam & ornãdam esse, eorúmque laudes & prædicationes, ad Dei laudem & prædicationem, à quo omnia sanctorum dona emanârunt, pertinere docemus, vt verè scripsit commilito olim meus Henricus Sthenius: Hos ego cùm laudo, laus ea tota Dei est. Nam Dei præsentia, bonitas, sapientia, veritas & misericordia, in patefactione Doctrinæ, in collectione Ecclesiæ, vocatione doctorum, ministerio, doctrina, miraculis, virtutibus, & aliis donis ac liberationibus sanctorum agnoscitur & celebratur: & ipsi sancti laudantur, quòd donis Dei fideliter vsi sint: & Exempla fidei, de omnibus doctrinæ Christianæ articulis, Constantiæ in confessione, Patientiæ & aliarum virtutum in sanctis lucentia, cæteris ad imitationem proponuntur. Hic verus & legitimus Sanctorũ Honos & cultus est. Adorare autem statuas & imagines, & Mariam, & sanctos in Christo mortuos inuocare, & auxilium ac liberatio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

nem in periculis, morbis, morte & aliis vitæ necessitatibus ab eis petere & expectare: id seriò improbamus, & tetram, impiam, à Deo reiectam, & planè ethnicam idololatriam esse docemus, quod affirmat sanctus Thomas vester, Imaginem & crucem Christi eadem adoratione Latriæ, (Dei propria) qua Christus ipse adoratur, à nobis colendam esse. Hęc enim illius verba sunt in Tertia Sūmę Quęst. 25. art. 3. & 4. *Cùm Christus adoretur adoratione latriæ, cōsequens est, quòd eius imago sit adoratione latriæ adoranda. Eadem enim reuerentia imagini Christi & ipsi Christo exhibenda est.* & paulò pòst, *Crux Christi, vtroque modo est à nobis veneranda, vno scilicet modo in quātum repræsentat nobis figuram Christi extensi in ea: alio modo ex contactu ad membra Christi, & ex hoc, quod eius sanguine est perfusa. Vno quolibet modo Adoratur eadem adoratione cum Christo, scilicet Adoratione latriæ. Et propter hoc etiam Crucem alloquimur & deprecamur, quasi ipsum crucifixum. Si verò loquimur de effigie crucis Christi in quacunque alia materia, puta lapidis, vel ligni, argenti & auri: sic veneramur crucem tantum vt imaginem Christi, quam veneramur adoratione latriæ: vt suprà dictum est.*

Thomæ Aquinatis blasphemum dogma.

Talem crucis & Imaginum Christi cultū, quæ adoratione latriæ, soli Deo debita, adorātur, simpliciter idolatricū esse, tādiu sentiemus, donec Posseuinus blasphemum hoc dogma, pium & orthodoxum esse demōstrabit.

bit. Prorsus enim, vt apud Ethnicos, statuæ Deorum & Heroum cultæ, & ab aliis alia dona petita sunt: ita in Regno Pontificio, Marię & sanctorum Imagines adoratæ, & munera inter sanctos distributa sunt, ita, vt ipsi Homines mortui fingantur esse opitulatores, & alij alia bona tribuere, alij alios morbos depellere.

S. Catharina in multis Academiis præest studiis doctrinæ & sapientiæ, vt apud Ethnicos Pallas.

Papatus & Ethnicismi collatio.

S. Nicolaus & Christophorus tribuunt felicē nauigationem liberationē ex periculis in mari: sicut apud Ethnicos Neptun', Palæmō, & cæteri Dij, Deæque marinæ.

S. Anna & Erasmus dant opes & diuitias, vt Iuno.

S. Georgius bellatorum & equitum patronus est, sicut Mars, & Castor ac Pollux.

Vrbanus & Medardus vinearum vbertati præsunt, vt apud Thebanos Bacchus. VVendelinus pastor vt Aristeus. Morbos depellūt S. Quirinus, S. Antonius, Valentinus, Rochus, sicut apud Ethnicos Apollo & Æsculapius.

Sed Papistæ singulis ferè morbis singulos medicos præficiunt. S. Valentinus Epilepsiæ medetur. S. Antonius igni sacro, quem Græci Erysipelas nominant. S. Rochus & Sebastianus, peste laborantibus subueniunt. Apollonia dentium doloribus. Otilia & Iuliana oculis medicinam faciunt.

Cyriacus & Anastasius dæmoniacos liberant.

S.Laurentius & Florianus igni præsunt,& domos aduersus incendia custodiũt, vt apud Ethnicos Vulcanus & Vesta.

Aurifices S.Eulogium : Medici, Cosmam & Damianum:Iurisconsulti,Iuonem: Pictores,S. Lucam : Sutores , Crispum & Crispinianum:Fullones,S.Seuerum : Dani , Canutum:Sueci,Olaum:& singulæ nationes & vrbes suos patronos & Deos peculiares habẽt, sicut in Ieremia dicitur, secũdum numerum ciuitatum tuarum sunt dij tui Iuda.

Horrenda Idolomania.

Editum est ante paucos annos Psalterium Virginis Mariæ, Germanicè conuersum , in quo , omnes,in Psalmis ad vnum solum verum Deum Iehoua directæ Inuocantiũ compellationes , & preces ad virginem Mariam transferuntur. In te *Domina* speraui , non confundar in æternum,in Gratiam tuam suscipe me.

In manus tuas *Domina* commendo spiritum meum , totam vitam & diem vltimum meum. Miserere mei *Domina*, quæ mater vitæ nuncuparis,& secundum viscera misericordiarum tuarũ *munda me ab omnibus iniquitatibus meis*. Qui habitat in adiutorio matris Dei,in protectione eius commorabitur,Domina refugiũ facta es nobis rin omnibus tribulationibus nostris.

Has & similes inuocationes Mariæ virginis DEI genitricis, quibus palàm diuini honores,quòd ab omni iniquitate nos emũdet,

quòd in omnibus periculis opem ferat,quòd liberet ex morte,ac quòd eadem adoratione, latriæ,qua Christus ipse adoratur , imagines quoque & crux Christi adorandæ sint , velut palàm idolatricas & Ethnicas improbamus. Hic status cõtrouersiæ est Possesuine: de quo præcipuè dimicatur.Non an colenda & celebranda sit memoria sanctorum,nõ an honore & laude afficiẽdi sint sancti , quod prolixè semper concessimus:Sed an eos non solùm vt intercessores , verùm etiam vt opitulatores, & largitores bonorum inuocare & auxilium ac opem in omnibus periculis,morbis,morte,ab eis petere debeamus, vt in vestro Psalterio Mariæ precamini.

Status cõtrouersiæ de Inuocatione Sanctorum.

Ad beatam Mariam cùm tribularer clamaui,& exaudiuit me. Domina libera nos ab omni malo. Beati qui in ea habent spem & confidentiã. Beati,qui per illam suscipiunt felicitatem æternã. Qui confidunt in te, mater Dei , non timebunt à facie inimici. Eripe me Domina ab omni malo , & ab hoste inferni defende me , confringe vires eius malignas &c. Has & similes inuocationes, nõ modò testimonia scripturæ nulla habere,verùm etiam ex diametro cum Norma verbi diuini pugnare constat. Itaque ab Ethnica hac consuetudine inuocandi homines mortuos,eorúmque statuas adorandi , ad vnius solius veri Dei,æterni patris, filij & spiritus sancti inuocationem,vnici mediatoris Christi merito & intercessione nitentem , homines reuocamus , iuxta æternas & immotas

Inuocationis B.Mariæ exemplum & refutatio.

Veræ inuocationis cõfirmatio. Deuter. 6.13. Matth. 4.10. Psal. 50.15. Psal. 120.1. Ioann. 16.23. Matth. 11.28. Rom. 10.14.

Regulas vocis diuinæ: *Dominum Deum tuum adorabis. Inuoca Me in die tribulationis. Ad Dominum cùm tribularer clamaui. Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis, Venite ad me (Christum) omnes, qui laboratis & onerati estis. Quomodo autem inuocabunt, in quem nõ crediderunt?* Atqui in solum Deum, nõ in sanctos credimus. Solum igitur Deum non sanctes inuocemus. Nec vlla inuocatio, nullus cultus placet Deo sine fide, opus illud à Deo præcipi & recipi statuente. Sed inuocatio beatorum in cœlo, nullum prorsus testimonium, nullum mandatum, nullam promissionem, nullum exemplum in verbo Dei habet, quo solo Fides nititur & regitur. Planè igitur inanem & impiam esse talem inuocationem non dubitemus.

De Sanctorũ inuocatione nullum exemplum, nullum mandatum, nulla promissio extat in S. Scripturis.

Etsi enim, vt alibi dixi, viui pro viuẽtibus in hac vita Deum inuocant, vt Moses pro Israëlitis intercedit, Abraham pro Abimelecho & Paulus 1. Tim. 2. pro omnibus hominibus intercessiones fieri iubet: & Rom. 15. Colos. 4. pro se preces ad Deum fieri petit: tamen vt mortuos seu sanctos in altera vita oremus, vt apud Deum pro nobis intercedãt: nullum in toto verbo Dei mãdatum, nullam promissionem, nec exemplum vllum habemus. Nobis autem in Ecclesia, ad vnicam verbi diuini Regulã omnis Inuocatio & omnes Dei cultus dirigendi sunt. Nec viuorum preces, ea

Quo modo Sancti in hac vita alij pro aliis orent.

opinione, qua Pontificij sanctos mortuos inuocant, pro nobis in hac vita fieri petimus, vt videlicet eorum meritis exaudiamur, iuuemur, & saluemur: sed tantùm, vt vnà nobiscũ fiducia vnici mediatoris Christi pro nobis Deum inuocent. Cùmque inuocatio sit præcipua pars cultus diuini, & honos soli DEO debitus vero affectu cordis ad præsidium & auxilium eius quem inuocat, confugiẽs, perspicuum est, ne viuentes quidem à nobis inuocari, sed tantùm peti, vt Deum vnà nobiscum pro nobis inuocent.

Manifestæ idololatriæ Iesuiticæ refutatio.

Quòd si quis sanctos in cœlo etiam differat non inuocandos, vt opitulatores & largitores bonorum, sed tantùm compellandos esse, vt Deum pro nobis orent: primùm Mariæ Psalterium vniuersum & plurimæ in Ecclesia Pontificia multis iam seculis vsurpatæ precationes Sanctorum, quæ ab ipsa virgine Maria & cæteris sanctis certa bona, & liberationes ex periculis sibi cõcedi & dari petunt, prorsus damnandæ & abolendę erunt. Deinde respondeo, vt antea, Nullum de hac Inuocatione mortuorum, vt apud Deum pro nobis intercedant, in sacris literis mandatum, nullam promissionem, nullum exemplũ verbi diuini extare.

Inuocatiõ sanctorum detrahit Deo omnipotentiam, omni scientiam, prouidentiam, be-

Postea vt pios hoc tempore in Persia vel Ierosolymis absentes compellare in precãdo non debeo, cùm eos exaudire meam petitionem, & desideria ac gemitus cordis mei videre & intelligere, (quod solius Dei propriũ est,) non statuam: ita etiamsi animæ sancto

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum in cœlo pro nobis in specie orarent: non tamen sequitur, nominatim eas à nobis compellandas esse. Nam compellatio rei inuisibilis & absentis, tribuit ei omnipotentiã, quòd vbique adsit, & gemitus ac vota cordium introspiciat & exaudiat. Solus autem Deus corda hominum introspicit 2. Paral. 8. solus nostros gemitus cernit. Psal. 38. Abraham verò nescit nos, & Israël ignorat nos. Esa. 63. In summa, Omnis Inuocatio sine fide est inanis. Inuocatio hominum beatorum in cœlo nullum verbi Dei testimonium habet, imò expressè, etiam Angelorum adoratio, verbo Dei prohibetur. Fit igitur sine fide nitente mãdato & promissioni Dei. Sine fidè autem impossibile est Deo placere.

Conclusio disputationis de inuocatione & cultu Sanctorum.

Hunc statum disputationis, in controuersia, de Inuocatione & cultu sanctorum, breuiter monstrare hoc tempore volui, quo considerato, præstigiæ & sophismata, quibus glaucomam obijcere piorum oculis Posseuinus conatur, facilè iudicari possunt.

Quòd si qui studio veritatis, has cõtrouersias cognoscere integras cupiunt: extant scripta, quę vniuersæ doctrinę Ecclesiasticę summas continent, & lectori nõ calumnioſè iudicanti, satisfacere possunt.

Cùm autem inter præcipuos & summos Dei cultus sit vera inuocatio & celebratio Dei, ad quam à Deo cõditi, & per Filium redempti sumus, & spiritu Gratiæ ac precum sanctificamur: & hic cultus propriè discernat Ecclesiam à cæteris gentibus, & præcipuum sit in tantis vitæ ærumnis piorum præsidium: imprimis veram & incorruptam de hac virtute omnium summa & Christianorum propria doctrinam, in Ecclesia cõseruari necesse est. Quare si vitã & vires Dei sufficiet, cùm Posseuinus & Mylonius denuò, p è & rectè tradita arrodere non cessabunt: non deerunt, qui totam hãc de vera vnius solius veri Dei, per Christum vnicum mediatorem inuocatione: & de impia, Idolatrica, & planè Ethnica imaginum & Statuarum, ac hominum Sãctorum adoratione, Pontificia, doctrinã vberiore explicatione illustrent.

Totius responsionis ad Posseuini Iesuitæ calũnias conclusio.

Nunc capita solummodò Impostrarum Posseuini, quibus Orationem de statu Ecclesiarum Græciæ meam, impudenti ore & calamo impietatis accusare ausus est, retegere ac refutare volui. Nec dubito, omnibus eruditis & candidè iudicantibus, Sole meridiano clariùs patere, me non solùm quod ad historiam attinet, vera, & certò ac exploratè cognita, & perspecta de Ecclesiis Græcis in Oratione illa recitasse, verùm etiam inanes ac futiles sycophantias, ac verè impostoras esse, quibus hæreseos & mendaciorum eam insimulare Posseuinus & criminari conatus est.

Ad Mylonij, Iesuitæ sectæ patroni calumnias responsio.

Nunc ad Mylonij epistolam, Posseuini impostoris præfixam, dignum tali patella operculum, & similes labris lactucas, venio. Ac de

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hæresibus variis, quibus plures ex R. M. T. & Daniæ regnis, Rostochij, me, dum vixi, & literas humaniores docui, infecisse, initiò queritur: satis hactenus tota superiore Apologia disceptatum esse arbitror.

De historia Augustanæ confessionis à Chytræo scripta.

De libro Augustanæ Confessionis autem, ad quem mox deflectit, in quo seriem deliberationum & Actorum de religione, quæ in comitiis anni 1530. Augustę, exhibitionem confessionis illius proximè præcesserunt & comitatæ sunt, bono studio collegi: cuius exemplum latinum, quod ad R. M. T. ante quadriennium misi: Mylonius, insigni audacia simul R. M. T. & pluribus etiam aliis Principibus à me dicatum fuisse adfirmat: simplex & breuis mea defensio est. Si. R. M. T. quæ in Germania ministros & amicos multis in locis habet, verè cõperiet, Latinam illam Cõfessionis Augustanæ historiam, ad R. M. T. missam, vlli Regi aut principi alteri Nominatim dedicatam esse, aut vlli homini, nisi in genere pio & candido lectori, à viro optimo & doct. Matthia Rittero primùm inscriptam fuisse: tum me huiusmodi hominem, qualem Sycophantæ isti haberi volũt, esse existimet. Sin verò secus se rem habere, & planè commentitium esse quod obiicit, deprehendet: tum clemẽter me hac suspitione liberet, nec cęteris in accusationibus fidem illis manifesta in vanitate deprehensis, habendã esse statuat.

Subiungit Mylonius, edito libro de Confe

fess. Aug. me purum Lutheri sectatorem videri voluisse, sed paulò pòst in Oratione de Ecclesiis Boëmiæ, Picardos laudantem, non Lutheranum, sed Picardicum & Caluinianũ ostẽdisse. Ego verò, vt ab omnibus sectarum & hominum denominationibus alienus: ita Christi redemptoris pro me crucifixi solius nomine censeri, & Christianus esse ac perhiberi cupio.

De nominibus Lutheri & Caluini quæ à Iesuitis in inuidiã & odium trahuntur.

Lutheri verò Confessionem, Christi doctrinæ congruentem, cuius in Augustana Confessione summa comprehẽsa est, tum de cæteris fidei nostræ articulis, tum de vera & substantiali corporis & sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ prędentia, vero corde me amplecti: & sententiam, quę cum lacte nutricis, ex verbis institutionis Christi, & Lutheri Catechismo, mihi, à carissimo Patre meo, Matthæo, pio & fideli Ecclesiæ ministro, instillata est: & in omnibus, in quibus à pueritia hucusque vixi, ac viuo, Ecclesiis, publicè semper sonuit: constanter retinere, semper professus sum: nec, si qui tãto interuallo, quanto altissimi cœli à terris distant, Christum à pane & vino & ore fumentis Eucharistiam abesse contendunt, siue Picardici, siue Caluiniani à vobis nominentur, vnquam me hac in parte doctrinæ illis assentiri ostendi.

Chytræus, Christianismum professus Lutheri dogma de reali corporis Christi in sacramento Eucharistiæ præsentia sequitur.

Picardos verò, vt vocas, in tota ferè doctrina & ritibus, ad primæ ac Apostolicæ Ecclesiæ puritatem & simplicitatem, multò quàm Posseuinos & Mylonios, eorúmque

Vide, Christiane lector commonefactionẽ Chytrei de S. Cœna, & eiusdẽ commonefactionis considerationẽ à Z. Vrsino scriptam. Inde disces quæ sit vera & falsa de S. Eucharistiæ Sacramento sentia.

Universidad de Deusto
Biblioteca

manipulares, propiùs accedere, adhuc adfirmare non vereor, & sanctos Patres ipsos, Apostolorum ætati proximos, iudices appello.

An Cytræus sit fanaticus & dãnatus, vt Iesuitæ cõtendunt.

Nec quemquam sanæ mentis hominem, adeò insanum fore arbitror, qui Posseuino & Mylonio crediturus sit, me, sanctos Patres legentem, eósque fœdis erroribus, quos docerem, patrocinari non videntem, de mente ac ratione deturbatum, clamasse, me damnatum esse, quòd fidei Catholicę contraria docerem, ac, quæ nolebam, in Patribus expressa reperirem. Hîc verò ad omnium piorum & doctorum, qui Patrum scripta egerunt, iudicia prouoco, an non omnes isti Religionis Papisticæ nerui, quos in hoc libello tuendos Posseuinus suscepit, funditus concidant & euertantur, si ex sanctis Patribus Apostolorum ætati vicinis, iudicium sumatur.

S. Patres, Apostolorum seculo vicini Iesuitarum erroribus aduersantur. Lib. 2. Epist. 3. Soph. 2. Citatur dist. 2. Homil. in 2. Cor. 8.

Dic, Posseuine, an sancti illi Patres vsquam integri Sacramenti, seu vtriusque speciei Eucharistiæ vsum laicis prohibuerunt? Cyprianus. *Calycem sanctificatum plebi minis-trandum*: Hieronymus *sacerdotes Eucharistiæ seruire, & sanguinem populis eius diuidere*: Augustinus *sanguinem de Calyce in ora fidelium fundi*: Chrysostomus, *Nihil differre sacerdotem à Laico in vsu mysteriorum ait. Non sicut in veteri lege partem quidem sacerdos comedebat: partem autem populus, & non licebat populum participem esse eorum, quorum particeps erat sacerdos. Sed nũc non sic. Verùm omnibus vnum corpus proponitur, &*

& vnum poculum. Quin & in precibus viderit quis populum multum simul offerre. Communes enim preces & à sacerdotibus & ab illis fiunt. Imò Gelasius Pontifex, *à Calyce sancti cruoris, non abstinere, sed aut integra Sacramenta percipere, aut ab integris arceri præcepit, Quia diuisio vnius eiusdémque mysterij sine grandi sacrilegio prouenire non possit.* Totum igitur dogma Pontificiũ & Synodi Constãtiensis decretum de Calyce Laicis non ministrando, abolendum & damnandum vobis erit, si sanctorum Patrum Apostolicis temporibus vicinorum testimonia iudicij normam esse voletis. Quis ex Apostolis & primis illis Patribus, Cœnã Domini pro aliis, viuis & mortuis ex Purgatorio liberandis, applicandẽ esse vnquam somniauit? Dist. 2.

Statuarum verò & imaginum sanctorúmque hominum defunctorum adorationes, an non prima Ecclesia prorsus vt ethnicam Idolomaniam est auersata? Epiphanius *se cohorruisse* scribit, *cùm in templo imaginem velo intextam videret.* Quanto zelo Mariæ virginis adorationem & donaria ei à mulierculis quibusdam Syriacis oblata idem Epiphanius detestatur, & inter hæreses recensет? *Deus Pater, inquit, & Filius & Spiritus sanctus adoretur. Mariam nemo adoret.* Prorsus igitur noua, & primæ illi Apostolicæ & Patrũ Ecclesiæ ignota dogmata sunt, hominum sanctorum & statuarum adoratio, Calycis Eucharistiæ prohibitio, Cœnæ Domini pro mortuis ex Purga-

Universidad de Deusto
Biblioteca

torio liberandis applicatio &c. quibus in hoc libello, contra animi sententiam patrocinaris, de quibus verè illud Hieronymi, non metuēs ne eodem gladio feriar, vsurpabo. *Cur quadringentis post Apostolos annis docere nos niteris, quod antè Ecclesia nesciuit? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vsque ad hunc diem* (Epiphanij, Hieronymi) *sine ista doctrina* (de inuocatione sanctorum & Statuarum: venalibus Missis: prohibito Laicis vsu Calycis: circumgestatione Sacramenti, &c.) *mundus Christianus fuit.*

Cùm igitur tot seculis à temporibus Apostolorum, Ecclesiam dogmatum istorum, à norma verbi diuini prorsus dissidentiū, ignaram fuisse Patres testentur: quanta impudētia sint commēti, quod de Patrum planè nobiscum in his articulis consentientium lectione mihi Posseuinus & Mylonius affingunt: R. M. tuæ & aliis cordatis apparet, ac illustrius ex præcedenti Responsione ad singulas Posseuini, oppositas orationi de statu Ecclesiarū meæ, reprehensiones, seu impostura, vt ipse loquitur, apparebit.

Ad quædam leuia Mylonij obiecta responsio.

Quid illustres Cōsiliarij, quíque sunt à secretis R. M. T. mihi tribuant, in manu mea situm non est. Certè ipse mihi quàm minimum sumo, ac vt Cœlius ille Calcagninus opinor, publicatæ à se bibliothecæ inscripsit, se diutino sexaginta annorum studio hoc didicisse, Mortalia contemnere, & ignorantiam suam nō ignorare: ita meam quoque imprudentiam,

dentiam, inscitiā & infantiā, vtcunque agnoscere didici, nec quenquam nisi meipsum cōtemno. Theologum me non esse fateor, sed tamen pietatis & doctrinæ de Deo veræ studiosum profiteor.

GRAMMATICI verò titulum, quo Erasmum & me Posseuinus dignatur, longè superiorem & digniorem existimo, quàm vt eum mihi debeam arrogare. Facilius enim esse iudico, Doctoris in vtroque Iure, & cæteris summis facultatibus, vt nominant, titulū sibi comparare, quàm Grammaticum bonum esse, seu sermonem Latinum & Græcum, in optimis autoribus, qui Theologiam, Mathemata, historias, artem medicam & reliquam philosophiam scriptis suis illustratam nobis tradiderunt, rectè intelligere & aliis enarrare posse: quod Grammatici munus esse eruditi norunt.

Sed his ineptiis relictis, finem præsenti Apologiæ tādem impono: & Filium DEI, fontem & custodem veritatis & pacis in Ecclesia salutaris, toto pectore precor, vt nos gubernet, doceat, seruet ac sanctificet in veritate sua, quæ est verbum ipsius, & semper Ecclesiam sibi æternam inter nos colligat, & contumelias diuini nominis sui ac blasphemorū rabiem compescat, vt ipse cum æterno Patre & Spiritu sancto DEVS benedictus in secula verè à nobis agnoscatur, inuocetur & celebretur. Datum Rostochij, Idibus Iulij,

ANNO M. D. LXXXIII.

SEX THESES DE SACRA SCRIPTVRA, ET ECCLESIA.

PVBLICIS IN ACADEMIA OXONIENSI DISPVTATIONIBVS, PROPOSITAE, EXPLICATAE, DEFENSAE, A IOANNE RAINOLDO.

1 Sacra Scriptura docet Ecclesiam, quicquid ad salutem est necessarium.

2 Ecclesia militans errare potest, & moribus, & doctrina.

3 Maior est authoritas sacræ Scripturæ, quàm Ecclesiæ.

4 Sancta Catholica Ecclesia, quam credimus, est cœtus vniuersus electorum Dei.

5 Romana ecclesia, nec est ecclesia catholica, nec sanum membrum Catholicæ.

6 Ecclesiæ reformatæ in Anglia, Scotia, Gallia, Germania, cæteríque regnis & Rebuspub. seipsas à Romana, iure segregarunt.

LECTORI S.

QVONIAM Iesuitæ variis scriptis, tum Latina, tum Germanica, tum Gallica, tum Anglica Lingua editis multa proferunt contra authoritaten Librorum Canonicorum Veteris & noui testamenti, Ecclesiam militantẽ errare non posse in doctrina, huius maiorem esse authoritatem, quam Scripturæ contendunt: Sanctam Ecclesiam Catholicam visibilem esse affirmant, Catholicissimum Ecclesiæ Romanæ alligant, Ecclesias quæ Papatu reicto Ecclesiæ verè Catholicæ membra factæ sunt Schismaticas esse vociferantur: has sex Theses doctissimi Viri D. Ioannis Rainoldi, in quibus breuiter & perspicuè de his rebus disserit, cum eiusdẽ præfatione huic tomo addere visum est. Num etsi aduersus alios Pontificiæ curiæ patronos scriptæ sint: tamen quum fundamenta cõtrouersiarum quæ Theologis intercedunt cum Iesuitarum sibola complectantur, & raro ad nos Anglicanæ editionis exemplaria perueniant, Vtilissimum istud opus denuo excusum, tibique oblatum Christiano animo accipias & legas velim.

VIRIS

VIRIS IN CHRISTO MIHI REVERENDIS,

Oxonienſis *alumnis Academiæ, Præfectis Collegiorum*, & ſtudioſorum cœtui, Ioannes Rainoldus gratiam & pacem à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.

SAMVELEM ſuum, quem Anna, minuẽdo ſterilitatis ſuæ probro, precibus ardentiſsimis à Deo rogauerat atque impetrarat, Anna mater, in lucem eductum & educatum, coram Eli ſacerdote Deo conſecrauit, *vt viueret & miniſtraret in templo Iehouæ*. Ego quoque meum quaſi Samuelem & primum partum induſtriæ, diuino beneficio ſterilitati conceſſum meæ, quum templo Iehouæ conſecrare cuperem: offerendum Deo coram vobis cenſui, patres, & fratres, in Chriſto chariſsimi, quibus cura templi ſiue commiſſa eſt, ſiue committetur, vt miniſtraret, ſiquid poſſet, *templo Dei viui*. Temerarium fortaſsis opus & paulo cupidius ſuſceptum quàm conſultius: præſertim, cùm tantum à perfectio- 1. Sam. 1. & 2. 2. Cor. 6. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ne Samuelis abſit. Et quidem eo ſemper hactenus eram animo, vt ea quorum feceram potius abortus, vereor, quàm partus, intra priuatos parietes contineri, quàm in lucem edi, & in atrio quaſi templi, quàm in templo verſari mallem. Egerunt enim mecum, & ſæpenumerò, & vehementer, & amiciſſimi, vt excudi typis paterer ac in publicum euulgari, cùm alias leuiculas lucubrationes, quibus ad palæſtram potiùs quàm ad pugnam meipſum exercueram: tum in primis Orationes quas, quum in noſtro collegio profeſſor eſſem linguæ Græcæ, de ſtudiis humanitatis atque Philoſophię ad auditores meos habui. Quod ego facere declinaui, neque inuidiâ, qui meipſum conſecraui ſtudio iuuandæ Eccleſiæ & Reipublicæ: neque ingratitudine, quaſi minus cupidè gratificarer illis quibus plurimum debebam: ſed partim verecundia, ne gloriolam cuiquam aucupari viderer, quæ iuuenes ardentius iuſto conſectantur: partim conſcientia infirmitatis meę, cuius nec ingenium, nec ætas, nec eruditio, ſatis erāt matura producendis fructibus, qui proponerentur omnibus guſtandi. Nam etſi prodeſſe ſtudeo quam plurimis, vt qui *non mihi ſoli ſed patriæ me natum* à Platone didicerim: *nec vlla re magis prodeſſe poſſum patriæ, quàm ſi tradam vitæ optimarum artium*, vt rectè viſum eſt Ciceroni: tamen verebar, ne peccarem vulgari vitio, *prurigine ſcribendi*, quam Horatius ſuo tempore vocauit *inſaniam*, quid feciſſet noſtro in quo

Plat. epiſt. 9. ad Archyt. Tarent.

Cic. lib. 2. de Diuinat.

Horat. epiſt. lib. 2. ep. 1. ad Auguſt.

quo tanta meſſis eſt & eminentium ingeniorum & operum excellentium, vt nihil admodum in lucem, non ingenio perfectum, non limatum iudicio, non politum induſtria, non opportunum fructu, non vſu neceſſarium, emittendum eſſe, viris ſapientibus iure videatur. Veruntamen, poſtquam illius profeſſionis humaniorum artium onere ſum leuatus, quo liberius Theologiæ ſtudio vacarē: quod prius in rebus leuioribus perpetuò pudore & iudicio facere declinaram, ne minus facerem maturè quàm faciendum cenſebam: id in re grauiſſima vt facere cogitarem, quāuis immaturius, officij religione erga Deum & eccleſiam ſum incitatus. Cuius conſilij & cogitationis, piorum partim ſuaſu partim deſiderio mihi ſuſcipiendæ, occaſionem præbuit Ricardus quidam Briſtôus, natione noſtrās, ſede Duacenſis, religione Romanus: qui venenatum opus aduerſus Ieſu Chriſti religionem & eccleſiam, religionem quam profitemur, eccleſiam cuius ſumus, noſtrate lingua ſcripſerat. Quod inſcriptum. *De Motiuis ad fidem Catholicam*, quum ederetur primò: poſtea contractum in libellum *Quæſtionum proponendarum hæreticis à catholicis*, curauit recudendum: & eandem Cramben, bis à ſeipſo, millies à Pontificis adminiſtris coctam, magno conuiuarum, vel periculo, vel faſtidio, periculo veſcentium, abſtinentium faſtidio, nobis appoſuit. Quantam in eo fecerit iniuriam

Idem impudenter & impiè admodū tentarunt Gallicè Hayus quidam, Scotus Ieſuita: & Germanicè Sebaſtianus VVero.

Universidad de Deusto
Biblioteca

eccleſiæ Anglicanæ, nec eius toti modò corpori, ſed etiam membris ſingulis, falſas & impias excitando ſuſpiciones, ingerendo contumelias, hæreſes obijciendo: fiet, vt audio, planum propediem, interim iudicandum piis relinquo: dum Sereniſſimam Reginam noſtram, alumnam pietatis, propugnatricẽ fidei, conſeruatricem pacis, nutricem Eccleſiæ, cuſtodem reipublicæ, parentem patriæ, non ſolùm [a] comparat Pharaoni, ſed etiam [b] innuit eſſe prætenſam, (c vt eam nominant Papiſtæ) non legitimam Reginam: [d] fideles ſubditos, qui Reginæ ſunt obſequentes, non officij vinculo, ſed humanitate quadam, ait obſequi: [e] proditores perfidos, quos ſuſtulit rebellio contra Reginam, adſcribit in numerum piorum Chriſti martyrum: [f] viros principes totius regni religionem noſtram eſſe pluſquam impiam expertos agnoſcere calumniatur: [g] Paſtores eſſe maculis ſcelerum notariſſimos, [h] nec vllos exiſtere ferè qui doceant, & qui doceant, eſſe mutos in fidei myſterijs: [i] Populos, vt quiſque maximè paſtorum recipit doctrinam, ita maximè facinoribus & flagitijs opertos eſſe, ſalutis certos è ſola fide, quantumuis viuant perditiſſimè: [k] in Academiis aut nullum omnino coli ſtudium, aut ſtudium loquentiæ non ſapientiæ, aut ſapientiæ non vniuerſæ, ſed exiguæ particulæ: [l] Rempublicam inundare non hominibus, ſed magiſtris hominum, qui neque Deum, neque Chriſtum, neque vitam magis hominis animæ

a Motiu. 47.
b Mot. 15. & 40.
c Bulla Pij Quint. cõtr. reg. Angl. Nicol. Sãder. de viſib. Monar. eccleſ. lib. 7. Laurent. Sur. in comment. rer. geſt.
d Motiu. 40.
e Motiu. 15.
f Quæſt. 48.
g Motiu. 39.
h Motiu. 31.
i Quæſt. 48.
k Motiu. 31.
l Queſt. 41. & Motiu. 31.

mæ quàm pecudis, poſtquàm è corpore migrauerit eſſe credunt: denique, (ne cæteras *iuniperorum prunas*, quas & in ordines totos generatim, & ſigillatim in pios plurimos atque doctos iaculatur, ex illis ſulphuris cauernis eruam,) ipſum quaſi corpus Eccleſiæ noſtræ, non vnam aut alteram hæreſin fouere [a] ſed excitaſſe multas hæreſes antiquas, [b] mille nouas ad minimum addidiſſe de ſuo: non vnum aut alterum peccatum committere, [c] ſed aperire publicam ſcholam peccandi, diſcipulis nequiſsimis, nequioribus magiſtris: [d] nullam eſſe prorſus ſalutem credere, nullam religionem, quod horreo referre, ſed iſte baſiliſcus ore virulento, noſtram Eccleſiam, nullam prorſus credere ſalutem, religionem habere nullam, dixit, dixit? immò verò ſcripſit, & ſcripſit ſtilo ferreo, ſcripſit ad æternum calumniæ monumentum. Ac iſtis calumniis aduerſus Eccleſiam, quæ paſsim intexuntur operi quaſi gemmæ, ſubſternuntur rationes aduerſus religionem, eodem patre-fatæ, calumniarum germanæ: re quidem ipſâ ſcopæ diſſolutæ, ſed tamen in ſpeciem acutæ & ſolidæ: quæ poſſent imperitos aculeo lædere, quamuis à peritis eliderentur ſine noxa: non ſecus atque ſcorpio, ſi ſauciarit hominem, infixo nocet aculeo: ſin allidatur ſtatim, & illinatur parti ſauciæ, nihil infert mali. Quamobrem vt iſte ſcorpio Briſtoi, non vno ſed gemino pungens aculeo (more ſcorpionũ nocentiſsimo-

Pſal. 120. 4.

Alia extant Ieſuitarum ſcripta in regnum, in ordines & pios doctóſque homines Anglos.
a Quæſt. 38.
b Quæſt. 51.
c Motiu. 39.
d Quæſt. 48.

Universidad de Deusto
Biblioteca

rum)altero calumniarum,altero cauillorum, nihil inferret mali noſtris hominibus, quos vel in Academiis, vel in aliis regni partibus ſauciaſſe creditur: multi pietatis ſtudio flagrantes optarunt vehementer eum allidi: vt illineretur,ſi non omnibus membris ſauciis, at quibuſcunque ſaltem Dei gratia, quæ ſola ſanat,ſalutem largiretur. Idque videntur eo vehementiùs exoptaſſe factum,quia nõnulli, homines medicinæ nimium imperiti, ſcorpionis huius ictus inſanabiles eſſe arbitrãtur. Nam & ipſe Briſtôus,vt Thraſo Terẽtianus ſua dicta prædicans, *Denique metuebant omnes iam me*:ſimiliter elatè quærit, *Ecquis è magnis magiſtris libello meo reſpondebit?* quaſi nullum haberemus,aut ſcutum in Eccleſia,quod igneta Satanæ tela reſtingueret, aut medicum in Iſraële qui pharmacum ſanandis ſauciis adhiberet:& neſcio quis Gnatho, famoſis carminibus pridem in Academia noſtra diſſeminatis, *Contremuiſſe duces Briſtôi fulmine motos*, quaſi principes copiarum,non modò militem exanimaſſet,inſolenter gloriatus eſt. Sed admonendus eſt Briſtous ſe nec ab omnibus formidari, vtcunque *Rhodium adoleſcentem tetigerit in conuiuio*:nec metuendum eſſe Chremi, licet *armatus vecti & peniculo, ſe virginem erepturum, & ædes expugnaturum & male mulctaturum Thaidem* minetur. Quod ſi paraſiti Pontificis Romani *fulmen* eſſe putant, quod ab eo vibratum eſt ad Angliam concremandam:ſine dubio tale fulmen eſt, quale fuiſſe cani-

Quæſt.34.

Famoſ.libel. Oxon.1577.

canitur *fulmen Salmonei, qui lampada quaſſans, Et ſonitus Iouis, & flammas imitatus Olympi.* Cæterùm id genus fulmina,quamuis ſint terrori leuibus Græcis & *Elidis vrbi*,quę regem habet Salmoneum: tamen non terrent inuictos Chriſtianos & ciuitatem Dei viui, quæ Regem habet Iehouam. Atque caueat ſibi ſerìò,ſi ſapiat, qui vibrauit, ne fulmen eius futile, (quomodo fertur accidiſſe *fulminanti Salmoneo*)vero ſummi Dei fulmine vindicetur, & ipſius & vrbis &ciuium interitu. Eccleſia quidem,quam Sanctus Dei Spiritus in omnem ducit veritatem, vt ab eo iam edocta eſt è ſacris Scripturis, ita porrò docebitur,fauente Deo,quantum interſit inter fulmen Briſtôi, & lucem Ieſu Chriſti: fulmen Briſtôi,cuius ardor affligit corpora quę contingit: lucem Ieſu Chriſti, cuius ſplendor delectat homines quos illuſtrat: fulmen peſtiferum, quod cæcitatem affert videntibus, mortem viuis,lucem, ſalutarem, quæ viſum impertitur cæcis,vitam mortuis. Neque verò deficimur multis viris piis,authoritate, doctrina,iudicio præſtantibus,inter illos ipſos quos per contumeliã Tertullus iſte nominat *magnos magiſtros*: à quibus id iampridem doceri potuiſſet. Quanquam id facere diu diſtuleront: ſiue quia iudicabant ineptias Briſtoi priùs refutatas fuiſſe quàm ſcriptas, quòd more ſcriptorum Pontificiorum nihil recens afferret,obſoleta recoqueret,vt ex illis qvnus olim obſeruârat:ſiue quia ſtatuebant eos re-

Virg. Aeneid.lib.6.

Apollodor. de orig. Deor lib.1.

Ioh.16.13.

Quæſt.34.

q Alexand. Noſ Vel.cũ ſur.Dorman. & Sander,in ca.33.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fellere primùm, qui ſcripſerant & prius & neruoſius, cæteros ſuo tempore deinceps aggreſſuri: vt[r] alter ſe cogitare nuper admonuit: ſiue quia controuerſiis ſatis explicatis operâ multorum, putabant ſibi finem facien dum huius operæ, tametſi nullum finem Papiſtæ facerent impudẽtiæ, vt[s] Ieremias, vbi ſemel reſponderat Hananiæ, repetenti priſtinum errorem non reſpondit: ſiue quia, fortaſſis, aliis non vacabat à curis grauioribus eccleſiæ paſcendæ, aliis non libebat in certamen ſe committere cum homine tam maledico, alij dum alios aggreſſos ſuſpicantur, curam abijciunt, omnes, aut[t] *ſtulto non* ſemper *reſpondendum, ne ſias ei ſimilis* ſe moneri meminerunt, aut[u] ſi *reſpondendum* eſſet ei in præſenti, *ne ſibi ſapiens videretur*, quis id faciat pendent animi. Ego verò, ne diutius aut inſoleſcerent Palæſtini, quaſi nullus eſſet inter Iſraelitas qui conſerere manum auderet cum Golia, aut ingemiſcerent Iſraelitæ, quum audirent *acies Dei viuentis ab incircumciſo Palæſtino probro affici*: decreueram, Dei gratiâ, tametſi forſitã à Golia fuiſſem, vt puer, habitus deſpectui, ſed tamẽ decreueram eum adoriri in nomine Iehouæ exercituum, Dei acierum Iſraelitarum. Verùm quum meipſum ad certamen comparaſſem, ac è torrente verbi Dei læues lapides elegiſſem, qui *diuinitus ſunt validi ad euertendas munitiones & omnem ſublimitatem quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei* audio confectum eſſe negotium à forti & fideli

[r] Gulielm. Fulk. præf. libr. contr. Hesk. Sãder. & Raſtell.

[s] Ier. 28. 11.

Prou. 26.

[t] Verſ. 4.

[u] Verſ. 5.

1. Sam. 17. 10.

2. Cor. 10. 4.

fideli milite Ieſu Chriſti, qui multos Paleſtinos antè debellauerat, cuius opus etiam, intellexi poſteà, commiſſum eſſe prælo, in lucem breui proditurum. Quamobrem, abiecto priore conſilio, conuertebam animum ad eam Briſtoi poſtulationem & promiſſionem, quâ prouocat ad pugnam de ſcriptura & Eccleſia, ſe paratum offerens ad hoc certamen ineundum. Cùm enim quidam è noſtratibus, ſub *indocti Chriſtiani* nomine, ſuppreſſo ſuo, *librum* edidiſſet, *De ſacræ ſcripturæ authoritate, & eccleſiæ*: poſtulat Briſtous, vt *edat libellum, adiecto ſuo nomine, cum approbatione Rabbinorum & priuilegio, ac ei propediem reſponſum iri* pollicetur. Mihi, neque librum, cuius exemplaria fuerant, vt auguror, omnia diſtracta, inuenire contigit: nec authorem libri, quia nomen ſuum, nõ dubito quin certo conſilio, ſuppreſſerat, conuenire licuit. Sed vt ſatiſfacerem, ſi non ex omni parte, ſaltem quoad poſſem, Briſtoi poſtulatui: paruũ hoc opuſculum quo res tractatur eadem, præfixũ habens authoris nomen, & approbatum, non *à Rabbinis*, (quos ei linquimus ſynagogæ, cuius principes *amant vocari Rabbi, Rabbi*, Magiſtri Noſtri,) ſed à viris grauibus & doctis quorum intereſt, in lucem emiſi. Quod eo fore gratius homini confido, quia nõ ſolùm illam, quam volebat edi, quæſtionem de ſcriptura & eccleſia, ſed etiam finitimas, de eccleſia præſertim, cuius nudo nomine triumphat, complectitur. Eo verò citius reſpõſum

Ret. Gul. Fulke. contr. Mot. Briſt.

Quæſt. 34.

Matth. 23. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Briſt. Quæſt. in Titulo libri.

expecto, quia iam elapſum eſt quadriẽnium, ex quo promiſit nobis *opus latinum*: cui, ſiue iam edito, ſiue mox edendo, poterit reſponſum, niſi moleſtum eſt, ad iſtas Theſes attexere. In quo ſi laborandum ſibi iudicarit: tria ſunt, & factu facilia, nec iniqua, vti mihi perſuadeo, quæ ab eo petam. Vnum, vt mearum Theſium contextum intertexat integrum ſuę reſponſioni, (quod in eius Quęſtionibus ego facere decreueram:) quo videant lectores, quid, quo modo, refellatur. Alterum, ne calces, quod aiunt, contra ſtimulos: vt cedat veritati, neque tenebras offundere luci manifeſtæ Solis iuſtitiæ, cauillationibus & calumniis moliatur. Tertium, vt, ſi pudeat eum dicere, *vincor veris*: ſaltem, in refellendis quæ refellenda ſuſcipiet, agat ſaniùs & ſolidiùs, quàm egit in principiis ſuis Doctrinalibus, opere pleniore verborum, quàm veritatis, Thomas Stapletonus. Qui, vt refutaret noſtram ſententiam, [x] *eccleſiam eſſe cœtum eorũ qui ſunt electi*, quod de Catholica docemus, & verum eſt: docet [y] *in eccleſia permiſtos eſſe malos bonis, reprobos electis*, quod ipſum quoque verum eſt, in Eccleſia militante. Sed verum vero conſonat, nec vna veritas euertit alteram. Statuitur à nobis, *Eccleſiam catholicam, quæ traditur in Symbolo Chriſtianæ fidei, cœtum eſſe vniuerſum electorum Dei.* Occurritur à Stapletono, *Eccleſiam militantem, cuius etiam in ſacra Scriptura fit mentio, neque cunctos, neque ſolos electos comprehendere.* Ac iſto reſponſo noſtrum errorem

x Princ. fid. doctr. lib. 1. cap. 4.
y lib. eod. ca 5.

rem & hæreſin Huſsitarum ſe refutaſſe gloriatur. Sed illud vſu venit, quod dicitur proverbio, *Falces rogabam, & illi negant liguones.* Cæterùm, Theſes meas, (vt reuertar ad inſtitutum) prout erãt deſcriptæ verſibus, & explicatæ præfationibus, de more publicarum noſtræ Academię diſputationum, emittendas cenſui: vel ee cauſa libentius, quòd ab exteris guſtari cuperem diſputationum noſtrarum genus: quas, & noſtra omnia, ſic abiicit [a] Briſtous, quaſi cum ipſis ſolis & nata & moritura eſſet ſapientia. Complectuntur autem ſex iſtæ Theſes, fontes præcipuos, & quaſi fundamenta controuerſiarum, quæ nobis intercedunt cum eccleſia Romana: vt earum lumen alicui futurum hominibus non præfractis & cæcis adiumento, cùm ad vtraſque Briſtoi nebulas, tum ad omnes caliginoſas cauillatiunculas ſimilium Briſtoi, diſsipandas, ſperem.

Theſium ratio & argumentum.

a Motiu. 31.

Nam cùm euidenti ratione conſtet, vt ipſa [b] Romana eccleſia fatetur, doctrinã vniuerſam religionis veræ, quæ vero Dei cultu pios ad ſalutem ducit ſempiternam, cõtineri verbo Dei: Romani, quo ſtabiliant ſuperſtitiones & errores ſuos repugnãtes ſcripturæ, [c] Dei verbũ in Scripturã & Traditiones diſtributum eſſe volunt: vt quæ non inueniunt in ſcripto Dei verbo, ę verbo Dei traditio ſancita eſſe cauillentur. Antiquum ſtratagema filiorum Satanæ: quo per inſidias olim ſunt adorti Scribæ Iudæorũ atque Phariſæi, Chri-

1 Theſis.
b In catechiſmo Conc. Trid.
c Ibid. in exord. catechiſmi.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stum ſeruatorem, [a] vt Euangeliſtæ ſcriptum reliquerunt: hæretici, [b] Tacianus, [c] Valentinus, Marcion, eorúmque aſſeclæ ſeruos Ieſu Chriſti, vt docent Hieronymus & Irænæus. Ac ab his parentibus illa peruerſa de Traditionibus, quæ tanquã Apoſtolicæ iactãtur ab hæreticis [d] vt priſcis, & ita nouis, orta eſt opinio: quã vt filiolam exoſculatur ſuam eccleſia Romana, parũ conſiderans ipſam eſſe ſpuriam, nõ ſuſceptam è Chriſto Ieſu, ſed ab hæreticis priſcis ſurreptam. Niſi fortè potius eã adoptauit à Marco Antonio [f] qui quum acta Cæſaris Senatus approbaſſet, adſcripſit actis Cæſaris quæcunque collibuit, & ea non minus rata eſſe voluit, quàm ſi Cæſar ipſe viuus approbaſſet. Sed opinionem ipſam eſſe ſpuriam, à quocunque fata ſit, ſeu hæretico, ſeu ethnico, eóque ſecludendam ex Eccleſia Iehouæ, [g] quam ingredi vetantur adulterinæ proles, oſtendi, prima Theſi: qua feci manifeſtum, è ſacra Scriptura doceri Eccleſiã quicquid ad ſalutem eſt neceſſarium.

Ab huius autem arcis quaſi propugnaculo deiecti Romani, confugiunt ad eccleſiam, [h] quam errare poſſe negant, vt quamuis ipſorum Traditiones, id eſt errores, à Chriſto non manarint, tamen nequeãt habere vitium, quòd ab Eccleſia teneantur. Cambyſen, regem Perſiæ, refert Herodotus, quum impio ſororis amore conflagraret, conſuluiſſe iudices Perſarum an ex iure regni liceret cum ſorore contrahere matrimonium. Cui reſponderunt illi, re deliberata, *Se nullam quidem inuenire legem, quæ permittat fratri ducere ſororem: veruntamen aliam inueniſſe legem, quæ permittat Perſarum regi, facere quicquid libeat.* Malè iudices Perſarum, ſi finxerunt iſtam legem: malè Perſæ, ſi ſanxerunt. Cæterùm, ex eo iudicum reſponſo Cambyſes inceſtas cum ſorore germana confecit nuptias. Hoc, vt impium, in Cambyſe reprehendunt Ethnici: & nonne Papiſtarum factum eſt ſimillimum? Romana eccleſia, Regina Babylonis, ſacrilego, non fratris, vt Cambyſes ſororis, ſed ſuperſtitionum & idolorum exarſit deſiderio, Conſulti ſunt Epiſcopi, Romanorum iudices, an ex iure Chriſti liceret cum idôlis & ſuperſtitionibus connubio iungi. Curarunt Epiſcopi Scripturas euoluendas, nec vllam legem inueniunt, qua permittatur ſuperſtitio & idolorum cultus: veruntamen aliam inuenerunt legem, qua cautum ſit, Eccleſiã errare non poſſe, quicquid conſtituerit. Malè iudices Romanorum, qui finxerunt iſtam legem: malè Romani, qui probarunt. Cæterùm ex iſta iudicum ſententia, Romana eccleſia nefandum cum idôlis & ſuperſtitionibus, prætexit coniugium, committit adulterium. Et tamen huius legis, quam in ædificij ſui fundamento ponit Briſtôus, mentionem facit, quaſi legis Auguſtini, quaſi Legis Chriſti: ſed impudenter & mendaciter: vt ſe nec verba Chriſti, nec Auguſtini men-

a Matth. 15. Marc. 7. 5.
b Hier. comment in Aggæ. cap. 1.
c Iren. cont. hæreſ. l. 3. cap. 2.
d Maximè de Tatiani radice creſcentibus Hieron. in Agg. ca. 1.
e Briſt. Quæſt. 29. Mot. 9.
f Cic. in Anton. Philip. 2.
g Deut 23. 2.
2. Theſis
h 24. q. 1. c a. recta. In glo. Catechiſ. Trid. in expo.
In Thalia.

Quæſt. 1. & 34.

Universidad de Deusto
Biblioteca

mentem intellexiſſe doceat. Ruinoſis ergo tam ædificij quàm fundamẽti parietinis ſubuertendis ſecũda Theſis adhibita eſt: quę manifeſtò probat, eccleſiam militantem errare poſſe cùm moribus, tum doctrina.

3. Theſis. Ea verò ſtabilita videtur ſuis viribus ſtabilire tertiam: qua pronuntiatur ſacram ſcripturam maioris authoritatis eſſe quàm eccleſiam. Mirarer equidem venire potuiſſe cuiquam vnquam in mentem, vt ſentiret ſecus niſi prædixiſſet Apoſtolus futurum, vt *homo*

2. Theſſ. 2. 4. *ſceleratus, perditionis filius ſederet in templo Dei tanquam Deus, atque adeò ſeipſum efferret ſupra Deum.* Cuius vaticinij viderunt complementum, qui viderunt Antichriſtum antepoſitum Chriſto: viderunt autem antepoſitum Chriſto Antichriſtum, qui viderunt plus eccleſiæ tribui quàm ſcripturę. Nam, quod detrahitur ſcripturæ, Chriſti verbo, reuera detrahitur authori verbi, Chriſto. Quod autem eccleſiæ tribuitur in ſpeciem: reipſa Pontifici Romano arrogatur. Vtrumque manifeſtum eſt ex

I Eccleſiaſt. hierar. lib. 1. & 4. [1] Alberto Pighio: cuius de ſcriptura, voce & eccleſia, quamuis inſolentes ſint admodũ & impiæ: tamen inter eos, qui præceſſêre Pighio, non defuere Principes eccleſiæ Romanæ, vt [m] Cuſanus Cardinalis, vt [n] patres Cõſtantienſes, qui loquerentur inſolentius. Quibus verò Pighium ſunt ſequuti, quamuis retineãt ipſos quaſi neruos Cuſani & Pighij, dum in ſcripturarũ interpretatione deferunt eccleſiæ poteſtatem prætoriam, aut Verrinam potius, vt

m Epiſt. 2. & 3. ad Bohemos.

n Conc. Cõſtant. Seſſ. 13. Hoc non obſtante.

vt [o] Cardinalis Hoſius: tamen induxerũt nouos colores, & de ſummo iure nonnihil remiſerunt: vt [p] Briſtõus noſter, ſequutus ſuum [q] Hoſium, nõ poſtulet maiorem, authoritate pari ſcripturæ ac eccleſiæ contentus eſſe videatur. Quanquam ita loquitur neſcio quo modo: vt ipſum id ſentire non auſim aſſeuerare. Nam etſi par vtrique vinculum obediẽtiæ, parem veritatem, vacuitatem ab errore parem attribuat: in eo tamen quod adiungit, *credi ſcripturæ propter eccleſiam*, ſi quàm eſt affinis verbis [r] Cuſani, tam ſit affinis ſententię, vt authoritatem ſcripturæ ab eccleſia pẽdêre arbitretur, & *eccleſiam impertiri*, vt expreſſè dicit [ſ] Pighius, *authoritatem canonicam ſcripturæ*: duriorem habet frontem quàm putaram. [t] Andradius quidem, explicator, & defenſor fidei Tridentinæ, multo modeſtius, (vt ſuam ei laudem tribuam) & religioſius, de authoritate ſcripturarum loquitur: quam agnoſcit, primùm, eas habere, non ab hominibus, ſed à Deo: non ab eccleſia, ſed à Sancto Spiritu: ex quo deinde colligit, eſſe nefas, tradere, poſſe iudicio Pontificum & eccleſiæ, vel profanos libros fieri canonicos, vel quos eſſe cõſtat ſacros repudiari: quorum alterum inſignis ait eſſe impudentiæ, alterum inſaniæ, & impietatis non ferendæ. Quàm vellem Andradius in cæteris ſimiliter abominatus eſſet poculum meretricium abominationum! aut, (quoniam Andradius fato cõceſſit) vt cuncti Chriſtiani, qui pia mente improbant in me-

o Lib. de expreſſ. Dei verbo.

p Quæſt. 34.

q In confeſſ. petricou. cap. 15. & 16. & 19.

r Epiſt. 3. ad Bohemos.

ſ Eccleſiaſt. hierarch. li. 1. cap. 2.

t Defenſ. fid. Tridẽt. lib. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

retrice quædam, (quis autem quædam non improbat?) reliquas eius omnes impuritates improbarent: nec *Chriſtiani* modò *propemodum*, vt Agrippa, ſed quod optauit Agrippa Paulus, *& propemodum & admodum Pauli ſimiles efficerentur.*

Act. 26. 29.

4. Theſis. Quam ad rem vt illis afferrem adiumentum quãtum poſſem maximum: medicinam facere periculoſis vitiis opinionum ſtudiis quibus miſerorum guſtus ita læditur, vt pauca cœleſtem eſſe putent venenum, & dulciſſimum vitæ pabulum tanquam abſynthium auerſentur. Ea verò vitia, ſunt errores prauæ quibus abducuntur à via veritatis in illo articulo Chriſtianæ fidei, *Credo ſanctam eccleſiam catholicam.* Nam quibuſdam eſt perſuaſum nomen eccleſiæ ſanctæ, pertinere, non ad certum cœtum Chriſtiani populi, ſed tantùm ad eccleſiæ miniſtros & epiſcopos: ne ad miniſtros quidem cuiuſuis eccleſiæ, ſed eccleſiæ Romanæ, *Papam, & Cardinales.* Quos *ex quodam obtinuiſſe dici eccleſiam, & eccleſiam egiſſe, recepiſſe, ordinaſſe, quod egiſſent, recepiſſent, ordinaſſent ipſi*: notauit, ſuo ſeculo, [u] Marſilius Patauinus, & natu grandioribus nimis eſt cognitum. Quidam autem, & illi quidem eruditiores, agnoſcunt eccleſiam ſignificare cœtum hominum fidelium: ſed eum cœtum volunt [x] *eſſe plebem ab epiſcopo ſuo congregatam & adhærentem capiti, Romano Pontifici*, ne quid Reſpublica detrimenti capiat. Itaque quoſcunque fidem profitentes, bonos & improbos,

u In defenſore pacis, part. 2. ca. 2.

x Franciſc. Turrian. de eccleſ. & ord. min. li. 1. ca. 2.

bos, ſanctos & profanos, pios & hypocritas, in eum cœtum includũt. Sunt etiam qui ſentiant, *hoc ipſo credere ſanctam eccleſiam, authoritatem nobis eccleſiæ commendari, vt eccleſiæ credamus, confidamus, pareamus.* Quod inſinuare videtur voluiſſe, quanquam obſcurius & diffidentius, [y] concilium Tridentinum. Sed eius rei palmam tulit [z] Briſtõus: qui, quo facilius, ſi minus omnes Anglos, ſimpliciores ſaltem, in fraudem impelleret, ambiguitate vocum dolos conſuit: perinde interpretans *credo eccleſiam*, ac ſi *credo eccleſiam*, eſſet *credo eccleſiæ*: quæ diſcrimen habent in Græcis, & Latinis, manifeſtiſſimum: in noſtro ſermone vernaculo, non item. Et tamen hic homo creatus eſt Doctor in Schola Duacenſi: & vir quantiuis pretij putatur à nonnullis. O miſeros Duacenſes, qui talem creauerunt: miſeriores Papiſtas, ſi talem audiunt Doctorem: inſigniorem ſophiſtam an ſycophantam, neſcio. Nullum quidem medicis eſſe remedium cõtra morſum ſycophantæ, dixit neſcio quis Philoſophus. Sed quia *poſſibilia ſunt apud Deũ, quæ ſunt apud homines impoſſibilia*: propterea, diuina fretus bonitate, remedium cõtra morſum huius ſycophantæ, ſimiliúmque ſum conatus adhibere, quartâ Theſi: quâ, reiectis, & eccleſiæ Romanæ Prælatis, & miſturis ouium cum hœdis, declarauí, ſanctam catholicam eccleſiã quam credimus, eſſe cœtum vniuerſum electorum Dei.

y Catechiſ. Con. Tridẽt. in expoſit. Symb.

z Quæſt. 34.

Πιστεύω τὴν ἐκκλησίαν.

πιστεύω τῇ ἐκκλησίᾳ.

Luc. 15. 27.

Porrò, ne Romanę fucus eccleſię pelliceret 5. Theſis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

imperitos rerum adoleſcentes in amorem ſui, quum audirent eam, in deliciis, vt Catholicam, Apoſtolicam, Orthodoxam, à plurimis haberi: vt iſtam quoque laruam Romæ detraherem, & fucum abluerem aqua ſancti Spiritus, adieci quintam theſin, quæ demõſtrarem Romanam eccleſiam, nec eccleſiam eſſe catholicam, nec ſanum membrum catholicæ. Res euidens, veritate: ſed difficilis perſuaſu præſertim amatoribus: nam Cupido cæcus eſt: & vt ait ille apud Theocritum.

In Bucoliaſt. ὁσ ὑλλ.ς. *Quæ minimè ſunt pulchra, ea pulchra videntur amanti.*

Id Daphnis, in poëta canit Polyphemus, in Briſtôo, re experti ſumus. Nam inſa tuatus amore meretricis, ſi diceret eam vna eſſe Catholicam, erraret tolerabilius, habere ſaltem errorem communem cum multis: ſe eo nõ contentus, affirmat *eccleſiam hac tãt*

Quæſt. 44. *de cauſa & dici potuiſſe, & eſſe dictam Apoſto cam, vt ea quaſi nota rectà nos dirigeret ad ec ſiam Romanam fundatam ab Apoſtolis Petro Paulo, ſolam ex Apoſtolicis eccleſiis ſuperſtit* Quam huius amatoris aſſentatiunculã, ſp Pontifex Romanus Eccleſiæ ſuæ ſponſ

Catechiſm. conc. Tri. in exp. Symb. quanquam amore captus, tamen aſpernatu agnoſcẽs *Eccleſiam à Patribus in Symbolo fid*

In Symbolo Concil. Conſtãtinopolit. *dictam Apoſtolicam ad ſignificandam origin eccleſiæ quam ducit ab Apoſtolis: quòd ea do ctrina ſit ab Apoſtolis olim tradita, & in omn orbem terrarum diſſeminata.* Qui verò Catho

Biſt. Mot. 12. licæ titulum eccleſiæ tribuunt Romanæ, v

derint quemadmodum ſuam audaciam à ſacrilegij crimine defendant, qui ſpõſæ Chriſti ſpoliis ornant adulteram: aut, vt optimè ſentiamus de eccleſia Romana, qui matris ſpoliis, ornant filiam, eámque non optimã, cum inſigni cęterarum ſororum iniuria. Nec enim *catholicæ nomen* huic aut illi, ſed *vniuerſali competit eccleſiæ, per omnes nationes, ætates, prouincias, ab humani generis primo parente ad nos & noſtros poſteros continuatæ*: vt [a] Tridentina Synodus [b] eiúſque interpretes, (tãta vis eſt veritatis) liquidò fatentur. Sed eorum error in primis minuendus eſt, qui Romanam eſſe putant orthodoxam: & ita orthodoxam, vt *nulla peſte inuadi, nullo inſici contagio, nulla macula perfidiæ poſſe pollui* arbitrentur. Cuius ſententiæ præcipuos patronos (vt cæteros omittam minorum gentium) citant Patres: [c] Iacobus Andradius, conſideratius, qui coaceruat teſtes ſine teſtimoniis, *Auguſtinos, Hieronymos, Baſilios, Athanaſios, Chryſoſtomos*: ſed multo glorioſius [d] Nicolaus Sanderus, qui teſtimoniorum congeſſit tantam molem, vt, ſi numerari, non ponderari ſententias oporteret, cadendum nobis cauſâ foret neceſſariò. Cæterùm, omnes Patres, quos iſte leguleius producit aduocatos ſuæ Monarchiæ, vel negant erraſſe, vel negant errare poſſe, Romanam eccleſiam erraſſe, vt [e] Irenæus, *In eccleſia Romana ſemper conſeruata eſt ea quæ ab Apoſtolis eſt traditio*: errare poſſe, vt [f] Cyprianus, *Eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante*

a Catechiſ. Tri. in exp. Symb.
b Andrad. de fenſ. fid. Tri. lib. 2. Petr. à Soto contr. confeſ. V Vir tenb. cap. de eccleſia.
c Defenſ. fid. Tridẽt. lib. 2.
d De viſib. Monar. eccle. lib. 7.
e Aduerſ. hęreſ. lib. 3. cap. 3. Sander. argumẽto 20.
f Lib. 1. epiſt. 3 aut epiſt. 55. edit. Pã. Sãd. argum. 42.

Universidad de Deusto
Biblioteca

laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum. Qui negant errasse Romanam ecclesiam, non repugnant nobis. Non enim dicimus eam errasse Irenæi tempore: sed errare nostro. Ille negat errasse: nos dicimus errare. num contradicimus? Ieruſalem à g Psalte vocatur *Dei ciuitas*, cuius in palatiis colitur Ieg Psal. 48. 2.
houa: ab h Esaia vocatur *meretrix*. Templum h Esai. 1. 21.
Domini nominatur à i Solomone *domus Dei*, i 1. Reg. 8. 20.
domus precationis: à k Christo dicitur *spelunca latronum*. Num Esaias repugnat Psalmo- k Matt. 21. 13.
num Christus Solomoni? Nihil minus. Solomon narrat Psaltes, quid Ieruſalem fuerit suo tempore: Esaias, quid suo. *Facta est meretrix ciuitas fidelis*: fuit vrbs fidelis, sed facta est meretrix. Esai. 1. 21.
Docet Solomon quid esse debeat: Christus Matth. 21. 13.
quid effecta sit, domus Dei. *Vos fecistis eam speluncam latronum*: non erat Solomoni, sed vos fecistis eam. Ita Patrum tempore Roma fuit sana: sed facta est meretrix vrbs fidelis, amisit sanitatem, incidit in lepram: Dei domus, latronum est spelunca: *Christi fides Rom. 1. 8.
coluit*, sed ab ea decidit. *Traditionem semper conseruârat, quæ est ab Apostolis*, ad tempus Irenæi: sed ad nostra tempora traditionem seruper ab Apostolis seruasse, num est ex eo consequens? Nisi fortè, meretrices, quæ Romæ prostituunt, Aulici Romani probabunt esse virgines, quia fuerunt virgines, quum essent infantulæ. Nobis itaque non repugnant, qui negant errasse Romanam ecclesiam. Qui negant eam errare posse: repugnāt quidem non

bis, sed & sancto Spiritui. Cuius instinctu, Paulus ecclesiam admonens Romanam ne contra Iudæorum gentem insolesceat: *Ne efferter*, inquit, *animo, sed time. Nam si Deus naturalibus ramis nō pepercit: caue ne tibi quoque non parcat. Vide igitur benignitatē & seueritatē Dei: in eos quidē qui ceciderunt seueritatem: in te verò benignitatem, si permanseris in benignitate. Alioquin, & tu excideris.* Potest igitur excidi Romana ecclesia. Quid? Et Cypriano secus est visum? Da veniam Cypriane: libenter tibi crederem, nisi tibi credens non crederē verbo Dei. Sed vtri potius sit credendū, Deo an homini, iudicent Papistæ. Saltem, si credant homini, potius quàm Deo: credant suorum hominum rationi & iudicio. Nam *ecclesiam quamcunque particularem errare posse*: l Sotus, m Alfonsus, n Hosius, o Verratus, Pontificiorum lumina, testantur. *At ecclesiam Romanam esse particularem*: affirmat idem p Verratus, neque cæteri negare possunt. Quare, si Romanam ecclesiam errare non posse sensit Cyprianus: in eo, sententia Pontificiorum, erroris ipse condemnandus est. Ita, cùm omnia Patrum testimonia sint duorum generum, altera vera, sed prorsus aliena: altera satis apposita, sed falsa: conficitur, ecclesiæ Romanæ valetudinem nullis medicamentis Patrum adiuuari. Quid ergo nobis, cum illis, quorum laudibus Roma prisca, q *Christianos ad pacem congregans, & reparans eorum fidem,* r *subsidia*

Rom. 11. 20.

l Petr à Soto contr. cōfess. V Virtenb. c. de conciliis.
m Alfons à Castr aduers. hæres. lib. 1. cap. 8.
n Confes. Petric. cap 24. & cōtr. Brēt. lib. 2.
o Disputatio nū aduersus Lutheranos Tom 6. De authorit. & p rest. vniu. eccle. cap. 5.
p Id. cap. 1.
q Irē. l 3. cap. 3 Sander argumento 4.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vitæ fratribus & ecclesiis ministrans, [r] *Apostolorum Schola, Metropolis pietatis* [t] *Ecclesia sanctificata,* & innumera id genus, esse prædicatur? Nobis negotium est cum Roma noua, quæ, bellorum nutrix, parens perfidiæ, spoliatrix fratrũ, cultrix idolorum, sedes auaritiæ, regina superbię, fomes & flamma libidinum, furorum, abominationum, [u] suis historiis, factis monumentis, esse conuincitur: cuius filius amantissimus de matre sua queritur, [x] *antiquam manere famam, vtilitatem recessisse: pastores in effigiem luporum esse, quo magis appropinquas, eo magis sordere omnia:* [y] *dari nugas, aurum accipi, regnare solam pecuniam:* [z] *ecclesiæ bona seueris, altaria cinædis, Ganymedibus seruire templa, a negari fas & iura, homines & Deum falli, profligari sanctimoniam, pietatẽ sperni, abijci, affligi. Viuere qui sanctè cupitis, discedite: Romæ Omnia cùm liceant, non licet esse pium.*

r Dionys. ep. ad Soter. apud Euseb. l. 4. c. 22. Sander. arg. 15.
s Episcop. Orient. in ep. ad Iul. apud Sozomẽ. l. b. 3. cap. 7. Sander. arg. 109.
t Ignat. in inscri. epist. ad Rom. Sander. arg. 5.
u Platin. Onuph. Sabel. Guicciardin. Theodoric. a Niẽ. Abbas Vrsperg. &c. Frater Baptista Mantuanus, Carmelita, Theol.
x Ecloga. 9.
y Ecloga. 5.
z De calam. tempor. lib. 3.
a Syluar. lib. 1. Ode vlt.

Ac istæ quidem graues, nec iniustæ, spero, videri possunt causæ: cur Ecclesiæ reformatæ (vt ad extremam Thesin veniam) in Anglia, Scotia, Gallia, Germania, cæterisque regnis & rebuspublicis, seipsas à Romana tabe segregarint. Quanquam, si tantummodò sanctè nobis viuere Romæ nõ liceret, si non liceret esse pium, vt asserit Mantuanus: ab vrbe quidem Romæ, vt Mantuanus consulit, discessissemus, sed non secessissemus ab ecclesia Romana. Si leuiuscula tantùm infirmitates, eius in fide valetudinẽ tentassent, quales teu-

6. Thesis.

tauerunt, ætate Patrum, nonnullæ: doluissemus, at tulissemus: & *homines in errato præoccupatos* miserti, *eorum onera portassemus.* Sed, [quum in ecclesiæ Romanæ communione nõ liceret nobis, vel sanctè Deum colere, vel sanctè Deo credere, conuenienter præcepto Dei: quum ea correpta contagiosis morbis & mentis delirio, monitores flammis, amicos ferro, fratres capitalibus pœnis iugularet, fidem Christi conuitiis, creaturas honore Domini, Dei cultum inficeret idololatria: â: secessionem fecimus à Pontificiis, vt ab hominibus, non libenter, vt ab hæreticis, non inuiti: & nostras ecclesias, ad Dei normam reformatas, ab ecclesiæ Romanæ contagio segregauimus. Quo in opere, quia nostr nihil aliud fecerunt, quàm Apostolus, vas electum sancti Spiritus, [b] & fecit, [c] & faciendum docuit, quemadmodum in ipsa Thesi comprobaui: inter ecclesias nostras, & [d] Brist ôum, qui cõdemnat eas schismatis eiusdem, cuius Donatistas, iudicabit Dominus: qui nos ex sui verbi præscripto, id est, iure, fuisse ab ecclesia Romana segregatos, in illo die pronuntiabit: At communionem relinquere non oportuit *eorum qui sunt Romæ, dilecti Dei vocati sancti, quorum fides annuntiata est in toto mundo.* At isti Romani, non sunt Romani, sunt cadauera Romanorum: alius est Milo, *Lacerti sunt mortui*: alius est Hector, *Quantum mutatus ab illo?* At Romano Pontifici, Optimo Maximo, Christi vicario [e] *Petri successori*, parendum

b Act. 19. 9.
c 1. Tim. 6. 5. 2. Cor. 6. 17.
d Quæst 11.
Gal. 6. 2.
Rom. 1. 7.
e 1. Pet. 5. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

fuit, non repugnandum. At [f] *ei repugnandum, ſi iubeat iniuſta & pernicioſa*: at [g] *eſſe Principum, in illicitis ei reſiſtere*, Pontificij docent ipſi. At Chriſtiani [h] *ſeruare* debent *vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*: & [i] *Pacis nomen dulce eſt, res verò cùm iucunda, tum ſalutaris.* At vnitate ſpiritus decet coaleſcere [k] *in vnitatem fidei*: & [l] *itidem affectos eſſe, ſed in Domino.* Cum Pontifice & Pontificiis vt cum Antonio & eius aſſeclis, [m] *facta pax, non erit pax, ſed pactio ſeruitutis*, immò impietatis. Quare, quod Agamemnon, apud [n] Euripidem, reſpondit Menelao fratri poſtulanti, vt ſe præberet fratrem in impio nefarij ſceleris cõſenſu: idem ego fratri meo reſpondeo, ſollicitanti ad eccleſiæ Romanæ communionem, cuius fides eſt impura, cuius ſacra ſunt impia:

Sanitatis eſſe tecum particeps, frater, volo:
Sed furoris eſſe tecum particeps abhorreo.

Συσπουδάζειν σοι βούλομαι, ἀλλ' ἀσεβεῖν.

Et hic præfandi finis eſto. Nihil reſtat, niſi, vt orem & obteſter, omnes Chriſtianos, qui legendis iſtis operam inſument, vt omnia Chriſtiano, legant, expendant, interpretẽtur, animo: præiudicatas opiniones exuant: *examen ſpirituum, an ex Deo ſint, inſtituant*: veritatem inuenire ſtudeãt, inuentam amẽt: ſiquid à me peccatum eſſe putent, admoneant: breuitatem, quia fuit neceſſe multa paucis, excuſatam habeant: quantam ego fidem & diligentiam in exponendis & probandis Theſibus adhibui, cuius Deus mihi teſtis eſt, qu reuelabit arcana ſenſuum, tantam æquitatem & can-

[f] Andrad. lib. 1. defenſ. fid. Trid.
[g] Gent. Herm. de reparand. eccleſ. diſciplin.
[h] Epheſ. 4. 3.
[i] Cic. Philipp. 13.
[k] Epheſ. 4. 12.
[l] Phil. 4. 2.
[m] Cic. Philipp. 12.
[n] Iphigen. in Aulid.
1. Ioh. 4. 1.

& candorem ipſi, in obſeruandis & cenſendis quæ legent, adhibeant, tanquam coram Domino, qui cenſor erit cenſorum. Imitẽtur denique pios Bercœenſes, *qui*, Paulo prædicãte, *ſermonem receperunt cum omni alacritate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, an illa ita ſe haberent*: Act. 17. 11. non pertinaces Luciferianos, [o] *de quibus conſitetur, qui ſuorum mores nouerat apprimè, Facilius eos vinci poſſe, quàm perſuaderi.* A vobis autem, patres & fratres dilectiſſimi, quorum nomine laborem meum quantulumcũque templo Dei dedicaui, quæſo & obſecro per Dominum Ieſum Chriſtum, qui nos redemptos ſuo pretioſo ſanguine ſanctificauit ſibi: vt Dei gloriam propagare, pietatis fouêre ſemina, ſalutem eccleſiæ promouere, plãtas alere fructuoſas, augêre laudem Academiæ, *laudem quæ non eſt ex hominibus, ſed ex Deo*, Rom. 2. 29. modis omnibus enitamini. Refellite Briſtôi maledicta, factis, & crimina, quæ nobis obijcit, eſſe calumnias, operibus docete. Audiendo, legẽdo, diſputando, meditando, dicendo, ſcribẽdo, bonas horas in bonis artibus bene collocate. Coniunctis, & animis, & conſiliis, & operis, opus Domini conficite: *vnum corpus, vnus Spiritus, cor vnum, via vna.* Eph. 4. 4. Excitate ſtudia, pænè dixeram iacentia, ſed ſpero meliora. Extinguite Sirenes à ſtudiis auocantes, deſidiam, dulce malum: delicias, eſcam veneris: conuiuiorum luxum, vanitatem veſtium, ludos illiberales, ſympoſia intempeſtiua, peſtes Ioh. 32. 39.

[o] Hieron. in dialog. aduerſus Lucifer. cap. 9.

ſcenicorum, Theatralia ſpectacula. Poſtremò, vt Apoſtoli verbis concludam, *quæcũque*
Phil. 4.8. *ſunt vera, quæcunque veneranda, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcũque bonæ famæ: ſi qua virtus eſt, & ſi qua laus eſt, hæc cogitate. Si qua virtus eſt, & ſiqua laus eſt: fratres, hæc cogitate.* Deus Optimus Maximus nobis vniuerſis gratiã ſui ſancti Spiritus illuceſ-
1. Sam. 19.20. cat: vt collegiorum capita, more *Samuelis, adſint vt præſint*, præſint vt proſint commiſſo ſibi cœtui: collegiorum membra, more *Prophetarum, prophetare*, Dei laudibus canẽdis & prædicandis, ſub Samuele diſcant: iuuenes humanis artibus ſtudẽtes, aliis in rebus Saulis diſſimiles, ſimiles ſint *Saulis inter prophetas*: vt ipſa collegia, & omnes noſtri cœtus, ſint congregationes non modò prophetarum, ſed etiam prophetantium, atque prophetarum dictis obſequentium, ad honorem Dei, piorum ſolatium, & ſalutem noſtram in Domino Ieſu Chriſto. Valete. E Collegio Corporis Chriſti. Febr. 2. 1580.

Veſter in Chriſto Ieſu,
Iohannes Rainoldus.

ET ſi non ſim neſcius, auditores ornatiſsimi reprehenſum fuiſſe à Cenſorio Catone Romanũ illum hiſtoriæ Græcæ ſcriptorem, qui deprecari culpam, quàm vacare culpa maluit: tamen ita mihi, cedenti dicam, an repugnanti, ſubinuito quidem certè, ſed ita mihi venit vſu, vt qui vacare culpa non potuerim, deprecari culpam cogar neceſſariò. Nam, & infirmitas vocis, qua laboro, quia non implet amplitudinem huius loci, futurum eſt fortaſsis vt illis diſpliceat: à quibus non audior: & immaturitas facultatis meæ, quæ vereor vt reſpondeat celebritati tanti cœtus in illis explicãdis quæ diſceptabuntur, incurret, vt veriſimile eſt, in reprehenſiones eorũ à quibus audior. Quo mihi vehementiùs eſtis obſecrandi, qui auditis, voce: voluntate, qui non auditis: vt aut Cenſores eſſe nolitis, aut Cenſores ſitis Catone leniores: ne vel imprudenter feciſſe vobis videar, qui culpa non vacarim, vel inuerecundè, qui committam culpam, & ne culpetis poſtulem. Neque verò dubito, quin vocis infirmitas, humanitatem veſtram, apud quos ago: facultatis immaturitas, cauſæ bonitatem quam agendam habeo, nactura ſit patronam. Humanitas veſtra ne me condemnet eius culpæ quam euitare non potui, non eſt quod extimeſcam. Cauſæ porrò bonitas ea luce ve

1. Theſis. ritatis & ſplendore fulget: vt etiam ſine patrono ſe defenſuram eſſe magnopere confidam. Ac in eo vos ipſos meo iudicio veſtrum ſuffragium vel adſcripſiſſe ſpero, vel adſcripturos eſſe: ſi trium quas defendo Theſium ſententiam, perfectionem Scripturæ, infirmitatem eccleſiæ, authoritatẽ vtriuſque, quàm potero breuiſsimè vobis aperuero. Nam, laudare quidem ſacram Theologiam, origine cœleſtem, maieſtate diuinam, officio ſeruatricem generis mortalium: inſtitutam à Deo Patre, reuelatam à Ieſu Chriſto, à ſancto Spiritu ſcriptis conſignatam: pro dignitate, vt velim, non poſſum: pro facultate, vt poſſum, non debeo: quorum in altero, probatis, ſpero voluntatem: in altero, iudicium vt conſulatis boni, rogo. Non enim, vt orator fingit de Cęſare, plauſum idcirco minus ei datũ, quòd ab hominibus obſtupefactis admiratione cõpreſſus eſſet: ita mihi licet ſimulatè dicere, laudẽ idcirco me tacere Theologiæ, quòd eius admiratio, tãquam Solis ſplendor animi præſtringat aciem: ſed vt Propheta teſtatur de Iehoua, ſe, quum illius gloriam videret, attonitum fuiſſe, quòd eſſet vir pollutus labiis, indignus qui Dei gloriam oculis vſurparet: ita mihi fas eſt ex animo profiteri, me, quum verbi Dei maieſtatem reputo, ſtupefactum tacere, quòd homo ſim pollutus labiis, impar dignitati rei tantæ vel attingendæ. Itaque relinquo libens iſtas hederas vino philoſophorum, iuris prudentiũ, medicorum: quorũ diſcipli-

Cic. pro Deiotar.

Eſai. 6. 5.

diſciplinas perutiles quidem, ſed vitæ peritiæ: præclaras, ſed humanas: laudabiles, ſed mortales: eminentes, ſed caducas: non dubito quin hactenus virorum præſtãtium in iſta quaſi palæſtra diſputationũ, doctrina & eloquentia vobis approbarit. Ego verò, tametſi nec ingenio, nec iudicio maiore, quàm illi, quibus in certaminis acie ſuccedo: tamen in ipſius rei amplitudine, de qua certamen inſtituitur, maius opus moueo. Annibalem refert Liuius cum Romanis pugnaturũ, antequàm inſtrueret aciem ad prælium, in certamen commiſiſſe quædam paria captiuorum: vt ex illo quaſi ludicro captiuorum conflictu Carthaginienſes ad cõditionem ſerij certaminis, & attenderent ſagacius, & alacrius armarentur. Similiter coram vobis, auditores optimi, cõmiſſæ ſunt in certamen opiniones variæ variarum artium, quaſi paria captiuorum: quæ ſiue viuant, ſiue pereant, ſiue ſic, ſiue ſecus habeant, non eſt in magno res diſcrimine, non ſunt in eo poſitæ fortunæ Græciæ. Nunc ab illo ludicro quaſi conflictu, committetur ſtatim in certamen ſerium exercitus cum exercitu, veritas cum mandacio, religio cum errore: in quo, ſiquid à recto ad prauum deflectatur, non captiui pereunt ſed Carthaginienſes: non hominum opinio, ſed Dei Veritas periclitatur: non vita, non valetudo, non poſſeſſiones, ſed hæreditas cœleſtis, & æterna ſalus agitur. Quamobrẽ, adeſte mihi quæſo animis, & ad ea quæ dicentur patienter at-

Liu. lib. 21.

Universidad de Deusto
Biblioteca

tendite: nec agi ludicra, vt in theatro, sed maximè seria memineritis. Atque adeò, quoniam agimus de rebus diuinis, sanctificet oro sanctus Dei Spiritus, & linguas nostras & aures vestras, & mentes omnium: vt neque nos aliò spectemus disputando, quàm vt veritatem collatione rationum in lucem producamus: neque vos aliud agatis audiendo, quàm vt veritati productæ & probatæ fidem adiungatis.

1. Thesis

Vt igitur initium à prima Thesi faciam, & deinceps cæteras paucis perstringam: *Sacra Scriptura docet Ecclesiam quicquid ad salutem est necessarium.* Deus æternæ parens bonitatis & misericordiæ delegit ante iacta mundi fundamenta, pro singulari sua gratia magnam partem hominum quos æterna donaret vita, & cœlestis gloriæ faceret hæredes. Hæreditatem istam vt electi consequerentur, erãt in Dei filios adoptandi per Iesum Christum: qui fuit semper solus aditus ad salutem. Quo nomine sanctus Spiritus cœtum designans electorum Dei, modò vocat

a Rom. 8. 16. a Dei filios, adoptione, non naturâ, cohæredes tamen Christi: modò b Sponsam Agni,

b Reu. 21. 9. c Ephes. 5. 23. que thesauris omnibus ornatur sui sponsi: modò c corpus Christi, cuius quasi capitis vi

d Reu. 21. 2. regitur & mouetur: modò d ciues cœlorum,

e Matth. 16. destinatos incolas nouæ Ierusalem: denique Christus ipse, ne cætera percenseam, eos appellat e suam Ecclesiam, aduersus quã ne portæ quidẽ inferi prœualebũt. Hanc igitur Ecclesiã, cœtum

cœtum electorum, filios Dei, sponsam agni, corpus Christi, ciues cœlorum, id est, ecclesiam sanctam catholicam: Deus vt elegit ad vitam sempiternam, ita suo verbo semper edocuit viam salutis, qua perduceretur ad eius vitæ possessionem. Verbum autem vitæ multis olim modis à Deo patefactum, tandem ab eo scriptis exaratum est: ex quo est effectum, vt sacra Dei scripta docerent ecclesiam ea quibus cognitis est opus ad salutem æternam consequendam. Quis enim reuelare potuit rationem cœlestis hæreditatis regni Dei cõsequendæ, nisi solus Deus? Ac Deus ecclesiæ reuelauit eam, vt primùm sine scriptis, quibus modis visum est eius sapientiæ: ita scriptis deinceps, per seruos suo sancto Spiritu afflatos: sine scriptis Adamo, & ab Adamo ad Mosen vsque: scriptis autem Mosi, & à Mose ad finem sæculi. Itaque scriptis istis, dictatis à Sancto Spiritu, exceptis à seruis Dei, quæ per excellentiam Apostolus ad Timotheum nominat Scripturam: via salutis, per quam ad cœlum peruenitur: lux animorum, quæ præ-

2. Tim 3. 16.

lucet in mundi tenebris: pabulum vitæ quod alit fideles, vt in Christo crescant, exhibetur ecclesiæ. Quod vt liquidiùs elucescat, diuidamus ecclesiam in veterem & Nouam: veterem, ante Christum: Nouam, à Christo nato. Veterem ecclesiam in viâ salutis erudierunt Prophetæ: Nouã erudiunt vberiùs & pleniùs cum Prophetis Apostoli. Doctrina Prophetarum & Apostolorum scripturâ sacrâ com-

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Thesis.

prehenditur. Docet igitur ecclesiã sacra scriptura quæcunque conferunt ad salutem. Est enim ecclesia, cœtus electorum. Sunt autem electi, domestici Dei. *Domestici* verò *Dei superstruuntur*, vt scribit Paulus ad Ephesios, *super fundamentum Apostolorum ac Prophetarũ, cuius imus lapis anguli, est ipse Iesus Christus.* At istud fundamentum Apostolorum ac prophetarũ, est doctrina de Christo, quam prædicarunt ecclesiæ. Ea porrò doctrina quam ipsi prædicarunt, Scripturæ sacræ commissa est. Ergo sacra scriptura docet ecclesiã quicquid ad salutem vtile est cognitu. Moses, vt à primo Prophetarum ordiar, postquam Dei legem promulgasset Israëli: *Attende*, inquit, *Israel ad statuta quæ doceo. Non addetis ad illud verbum, quod ego vobis præcipio, nec detrahetis de eo: sed quicquid ego præcipio, id facietis obseruanter, vt seruetis præcepta Iehouæ Dei vestri.* Iam elaborandum fuit Israëli vt sempiterna salute potiretur. Atqui nihil ei fuit faciẽdum, quod non esset lege Dei præscriptum. Ergo scripta lege Dei tradebatur quicquid ad salutem Israëlis opus esset. Israëlem autem ecclesiam fuisse non est controuersum. Lex igitur docebat, quicquid opus esset ad salutem ecclesiæ. Prophetę, qui sequebantur, erant legis interpretes: vt quemadmodum eodem afflabãtur spiritu, quo scribebat Moses, ita legi Mosis nihil adijcerent, nihil detraherent: tãtum ad ecclesiam ædificandam, pro eo ac spiritui sancto videbatur, eam explicarent. Dauidem

Ephe. 2. 20.

Deut. 4. 2. & 12. 32.

uidem prætereo, cuius singuli penè Psalmi, singula sunt testimonia *perfectionis Legis*. Esaias examinat religionem & vitã sacerdotum & populi, *ad legem & testimonium*. In Ieremia Dominus condemnat Baalitas, quòd ea faciãt in sacrificiis, *quæ nunquam præcepit*. Apud Malachiam vltimum Prophetarum, Iehoua iubet suos *recordari legem Mosis*, vt eo pędagogo deducantur ad Christum quem præcurret Elias. At ista nec à Deo, nec à seruis Dei potuissent dici: nisi lex Mosis integram salutis viam monstrauisset. Proinde lex Mosis salutis viam integram monstrauit ecclesię. Quòd si lex Mosis id effecit sola: quanto magis Moses, & omnes Prophetæ? Quis ergo dubitet veterem ecclesiam salutis viam integram è Scripturis edoctam esse? Iohannes, vt veniam à Prophetis ad Apostolos, postquam exortus erat Sol iustitiæ, non vt aboleret sed vt impleret legem, & clariore luce mundum illustraret: quo modo Seruator noster Iesus Christus, fungens officio summi prophetæ, Sacerdotis, Regis, docendo, moriendo, resurgendo, salutem hominum diuinitus consummarit, narrat in Euangelio. Salus igitur in Christo nostra cõsummata est: sed an ea scriptis à Iohanne tota tradita est? Audiamus ipsum. *Hæc*, inquit, *scripta sunt, vt credatis Iesum esse Christum illum, Filium Dei: & vt credentes vitam habeatis per nomen eius.* Quibus verbis Iohannes describit Euangelij summã atque finem: summam, vt credamus Iesum esse

1. Thesis. Psal. 19. & 119. potiss.

Esai. 1. 12. & 8. 10.

Ierem. 19. 5.

Mal. 3. 22. edit Trem.

Ioh. 20. 31.

Chri-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Christum, Christum illum, id est summum sacerdotem, Prophetam, regem, seruatorem hominum: finem, vt credentes in Christum illum Dei filium, vitam, quę sola verè vita dicenda est, id est, æternam vitam per eum habeamus. Quæ cùm ita sint, vt ipse docet Euangelista: negari non potest quin ea, quæ scripta sunt in Euangelio, nobis sufficiant ad vitæ viam & vitam. Quantum ergo satis est ad fidem & salutem tantum est scriptum in Euangelio. Quòd nisi satis essent ad fidem & salutem ea quæ sunt scripta: *fuerunt plura*, quę potuissent scribi, *quãta, ne mundus quidem capere potuisset.* At ista præter misit Spiritus diuinus, quòd illa satisfacerent eius consilio. Continetur itaque Iohannis euangelio, quantum est satis ad fidem & salutem. Porrò, si Iohannes vnus habet satis: quàm abunde consuluit Christus ecclesiæ, vt Dominus benignissimus suæ familiæ, cui dedit tot Apostolos & Euangelistas testes & interpretes eiusdem doctrinæ? Quamobrem Scriptura non solùm docet ecclesiam, sed etiam abunde & cumulatè docet quæcunque conferunt ad salutem. Nam etsi substantia fidei Christianæ simplex est & vna, qua Dei famulitium tanquam cibo pascitur ad vitam æternam: tamen, vt variæ famulorum sunt ętates, & ætatum variarum variæ conditiones: sic istius cibi diuidendi singulis & quasi condiendi, multiplicem oportuit esse rationem. Cuius vt expressam haberemus efficaciam ipsius Christi spiritu in verbo vitæ traditam

Ioh. 21. 25.

ad pastum fidelium: idcirco dedit varios tanquam artifices, id est Scriptores suæ fidei, vt quamuis omnes idem alimentum traderent, non eodem tamen omnes appararent modo. Quo fit, vt scriptorum sacrosanctæ fidei, & simplex varietas incredibilem voluptatem pio ferat palato: & multiplex cõmoditas alimẽtũ salubre cuiusque stomacho ministret: & aperta simplicitas, in fundamentis fidei, facilitatem eius probet etiam fastidiosis: & recondita sapientia in arcanis scripturæ cùm exerceat firmissimos, tum auidissimis satisfaciat: & vt verbo complectar, quod nullis verbis potest exprimi, infinitæ dotes, infinitos fructus ad assequendam beatitudinem infinitam & immensam, fidelibus impertiantur. Quo circa, ecclesiam doceri è scripturis, ab vniuersis vnâ sancti spiritus administris, quęcunque conferunt ad salutem, ita clarum & certum est: vt id qui nesciat, imperitus: qui non agnoscat, improbus: qui dissimulet, ingratus: qui neget, plus quàm impius iure sit habendus. Quid enim tandem esse potest aut luce illustrius, aut pondere grauius, aut solidius firmitate, aut veritate certius: quàm illud axiõma, quod Paulus Apostolus, non vt Moses de lege, non vt Iohannes de Euangelio, sed de scriptura tota tradit Timotheo: *Tota scriptura diuinitus est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus perfectè consummatus.* Ita scriptura, si quæras authoritatem, diuini-

2. Tim 3. 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. Thess. tus est inspirata: si spectes vsum, docet, redarguit, corrigit, instituit: si finem consideres, vt perfectus sit homo Dei. Officium nostrum in Christo Iesu, est fides operans per charitatem. Fides complectitur sanam doctrinam: Gal. 5. 6. charitas requirit religiosam vitam. Doctrinę sanitas seruatur, si doceantur vera, falsa refellantur: vitæ pietas retinetur, si declinentur mala, bonis studeatur. At verò, scriptura, docet veritatem: redarguit errorem: corrigit iniquitatem: instituit ad iustitiã: vt ex Apostoli verbis manifestum est. Tradit igitur vniuersum hominis officium in Christo Iesu: hoc est, vt ego arbitror, quantum sufficit ad salutem. Nec enim illa præstat tantùm vtiliter, vt quidam cauillantur: sed etiam sufficienter, vt homo sit perfectus. Immò verò, quod maius est, vt perfectus sit homo Dei, id est interpres Domini, minister verbi, doctor ecclesię, pastor gregis, Timotheus ipse: multo magis grex fidelium, in quo minor requiritur sapientiæ perfectio. Quãquam ne eo quidem sibi satisfaciens Apostolus quòd dixisset, vt perfectus sit homo Dei: attexit, ad inculcandam absolutissimam Scripturę plenitudinem tot argumentis, quot verbis: vt perfectus sit homo Dei, ad omne bonum opus perfectè consummatus. Ex quibus est consequẽs, nihil esse prorsus quod desideretur vel ad fidei sanitatem, vel ad vitæ pietatem, id est ad hominis perfectionem, & sempiternæ salutis viam: quod inspirata diuinitus scriptura nõ doceat fide-

fideles seruos Iesu Christi. Visum est igitur 1. Thess. Spiritui sancto, cuius ego sententiam, vt debeo, defendo: sacram Scripturam docere Ecclesiam quicquid ad salutem est necessarium. Iam siquis fortasse requirat Patrum testimonia, quanquã quid opus est cùm audieritis patrẽ patrũ? veruntamen siquis aueat audire iudicium discipulorum post magistrum, audiet iudicium non huius aut illius de quo posset dubitari, sed ecclesiæ totius & sanctorum omnium. Quorum concordi & vnanimi consensu libri scripturæ dicti sunt canonici, à canone, id est normâ: quia religionis, fidei, pietatis normam & regulam, cui conformanda sit structura domus Dei, continent amplissimam. Quam de Scripturæ canone sententiam, ab ipso [a] Andradio Tridentinæ fidei patrono comprobatam, ita placuisse clarissimis ecclesiæ luminibus videmus: vt [b] Augustinus affirmet, *omnia quæ continent fidem & mores in illis inueniri, quæ sunt*, non dico posita, sed *apertè posita in scriptura:* [c] Chrysostomus sententiam ferat non dissimilem, *nihil non esse clarum & euidens è diuinis Scripturis: quæcunque necessaria sunt, esse manifesta.* [d] Tertullianus se dicat *adorare Scripturæ plenitudinem*, & *væ* denuntiet *Hermogeni siquid ijs quæ scripta sunt vel detrahat vel adiiciat:* [e] Hieronymus, in controuersia quam habuit cum Heluidio, rationem vtrinque texat, *Credimus quia legimus, non credimus quia non legimus:* [f] Cyrillus admoneat, *ea de Christi facto*

a Defens. fid. Triden. li. 3.
b De doctr. fid. chr. l. 2. c. 9.
c In. 2. ad Thessalon. hom. 3.
d Contra Hermogen.
e Cont. Hel.
f In euã. Ioh. li. 12. ca. 68.

Universidad de Deusto
Biblioteca

1.Thess. 5 Ser.de Fid. esse scripta, quæ scribentes sufficere putarunt ad mores & dogmata: 5 Basilius pronuntiet esse manifestam defectionem à fide, vel improbare quicquam eorum quæ scripta sunt, vel importare quicquam eorum quæ scripta non sunt: denique patres omnes, nisi quũ aliquid humanitus sunt passi) consentiant vnâ mente, & vnâ voce concinant, omnia quæ credenda & facienda præscripsit Deus, ea Dei verbo scripto cõprehendi. Nam, quòd ex illis aliquando, quidam vt idem Basilius & Epiphanius, quũ omnem mouent lapidem aduersus hæreticos, non nulla Traditionibus contineri volunt, quibus ex ipsius iudicio scripturæ non minor adhibenda sit fides, quam scripturæ: cẽsuram mihi non assumo, sed ecclesiæ sit iudicium, an Basilius & Epiphanius satis diligenter obseruarint & expenderint sententias Apostoli, quibus commoti haud scio an inducrint hãc opinionem, asserere certè student. Etenim Epiphanius nititur illis Pauli verbis ad Corinthios, a *sic vt tradidi vobis*: & *Sic tradidi in ecclesiis*: & b *Si retinetis, nisi frustra credidistis*. Basilius autem esse apostolicum, etiam non scriptis traditionibus inhærere, colligit è verbis ad Thessalonicenses *Tenete traditiones quas edocti estis, siue per sermonem, siue per epistolam nostrã*: Quòd si Paulus vtrobiq; traditionum nomine significet doctrinam, viuâ quidem voce traditam, sed & scriptura tamen comprehensam: negari non poterit, quin errore sint lapsi, qui traditiones non scriptas approbari Pauli traditionibus sunt arbitrati.

Basil.de fãct. Spir. ca.29.

Epip.cont. hær.er.l.2. To. 2.hæ.61.

a 1.Cor.11.2.
b 1.Co.15.2.

3.Thes.2.

1.Thess.

Verũ autẽ est antecedens, Verũ igitur & consequens. Nam Paulus ad Corinthios interpres est sui: cùm & c ipse scribat eorum summam quæ tradiderat, & d à Domino quæ trãdidit accepisse moneat, & e ea sint scripta quæ accepit à Domino, & f expresse doceat, *se Corinthiis tradidisse, quod & acceperat, secundum scripturas, nempè Christũ esse mortuũ pro peccatis nostris, secundum scripturas, & sepultum fuisse, & excitatũ die tertio secundũ scripturas.* Ad Thessalonicẽses verò, quæ sint ea quæ per sermonem tradita cõmemorat; habemus explicatũ in Actis Apostolorũ, vbi scribit Lucas, Paulum cùm venisset Thessalonicã *exposuisse* Iudæis, *ex scripturis, oportuisse Christum pati ac resurgere à mortuis, & illum Christũ esse Iesum quẽ ego vobis annuntio.* Quibus verbis aperitur, & quid & vnde Paulus Thessalonicensibus tradiderit per sermonẽ: Vnde? ex scriptis: Quid? oportuisse Christum pati ac resurgere, & Iesum esse Christum illum. Hæc est ergo *traditio Euangelij*, vt ab Ambrosio rectissimè nominatur, quam Thessalonicenses tenere iubet Paulus: quod euincit ipsa ratio, quam notat Ambrosius, quam Paulus ibi colligit: h *Vocauit vos Deus ad salutem obtinendam per nostrum Euangelium*; b *Ergo state, & tenere traditiones, quas edocti estis siue per sermonem siue per epistolam nostram*: quasi diceret, Ergo state firmi in euangelio, quod partim viua voce, partim scripto vobis tradidi. Ita

c 1.Cor.2 23. & 1.13 & 10. 31.& 11.23. & 14.40.& reli. epist.
d 1.Cor.11.23.
e Luc.22.19.
f 1.Cor.15.3.

Act.17.3.

Amb in 2.ad Thess.cap.2.

h 2.Thes.2. vers.14.
b vers.15.

1. Thesis. Pauli traditiones sunt traditum euangelium. Et euangelium, spero, scriptum est. Traditiones itaque Pauli sunt scriptæ. Traditionibus autem Pauli per sermonem & epistolam cõtinebatur salus Thessalonicẽsium. Ergo scriptura docet ecclesiam quantum ad salutem est necessarium. Facessant igitur è schola Christi, Valentiniani, Marcionitæ, Gnostici: quos refert Irenæus negasse, veritatem è sacris scripturis inueniri posse ab iis qui nesciãt traditionem. Facessant Iudæi, qui Rabbinorum Cabalam: facessant Montanistæ, qui nouum Paracletum, facessant Enthusiastæ, qui visiones suas, facessant Tridentini Patres & Papistæ, qui traditiones præter scripturã, ad salutem necessarias esse falsò autumãt. Salus nostra, Christus est: salutis via, fides: viæ dux, scriptura: cuius lumine diriguntur gressus, cuius pabulo nutriuntur animi, cuius antidoto profligantur morbi, cuius gladio iugulantur hostes, cuius pharmaco sanãtur vulnera, cuius ductu denique æterna salus obtinetur.

Iren. adu. hær. lib. 3. c. 2.

Cõcil. Trid. Sess. 4. Decr. 1

2. Thesis. Sequitur, vt doceam quod secundò quæritur, *Ecclesiam militantem errare posse, cum moribus tum doctrina.* Errare posse moribus contra Catharos, qui singularem sibi puritatem arrogantes, *negabant lapsis pœnitentiam.* Errare posse doctrina, contra Papistas: qui suis erroribus obtendunt hanc Meduſam, vt nos in lapides conuertant, *Ecclesia errare non potest.* Hic, vt explicatius euoluatur veritas, distinguendum est nobis nomen ecclesiæ. Nam, vt Thrasylaus homo phreneticus apud Athenæum, quascunque videbat naues in Athenicnsem portum appellentes, suas esse putabat, earúmque merces in tabulas referebat, & magno venientes excipiebat gaudio: ita phreneticí quidam Romanistæ, vbicunque vident in sacris scripturis ecclesiam nominari, suam esse arbitrantur: eiusque dotes in libros referunt, & opes alienas venditant pro suis, clamantes, Portæ inferi non prævalebunt aduersus eam. Sed vt istos phreneticos amoueamus à portu, & singulis mercatoribus suas naues vindicemus, & ecclesiã in ecclesiæ possessione ponamus: ecclesia nomẽ habet Græcis ab euocando sonans, quasi dicas cœtum euocatum: vt ecclesia Iesu Christi significet cœtum hominum è grege reliquorum mortalium euocatum ad vitam æternam per fidẽ in Christo Iesu. Sed eorum qui vocantur è vulgi quasi sordibus ad istam dignitatem, dispar est ratio. Nam alij vocantur efficaciter & veniunt: alij vocati non parent vocationi. Qui sunt electi, vocantur & veniunt: qui vocati non veniunt, non sunt electi. De vtrisque est illud Christi, *Multi vocati, pauci electi.* Multi vocati, nominantur ecclesia, sed ecclesia, (docendi gratiâ) visibilis: quoniam cœtus hominum, qui vocãtur ad fidem Christi, qui studium æternæ vitæ profitentur, videmus. Pauci electi, dicuntur etiam ecclesia, sed inuisibilis ecclesia: nõ quòd electos neutiquam

August. de hæres. ad Quod vult de. cap. 38.

Catechism. Cõcil. Trid. in expos. Symb.

2. Thesis.

Matt. 20. 16.

Athẽ. dipnos. lib. 12.

Albert. Pigh. in eccle. hier. Brist. in Mor. & Quæst.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Thess. videamus, sed quòd oculis non dignoscamus qui sint electi: Solus Dominus nouit qui sint sui. Huius autem ecclesiæ quam appellamus inuisibilem, pars est adepta gloriam cœlestem, pars nondum adepta versatur in terris. Illa quæ migrauit in gaudium sui Domini, vocari consueuit ecclesia triumphans. Ista quæ victoriam in castris expectat, vulgo nominatur ecclesia militans. Sed vt in castris humanæ militiæ, fit aut cupiditate aut metu, aut gratia, vt cum militibus fidelibus commisceantur infidi, partim in prælium nunquã venturi, partim ad hostes transfugæ futuri, partim inter milites seditionem moturi, partim ipsum fortasse ducem per scelus inuasuri: ita militans ecclesia, quæ tantùm fideles habet Christi milites, vt opponitur triumphanti, tamen dum in castris militiæ versatur, commiscetur cum infidis: qui se quoque milites Christi profitentur, sed nomen habent militum, animos hostium: quales erant illi, de quibus Bernardus, *Ministri Christi sunt & seruiunt Antichristo.* Quandoquidem igitur eius est solius discernere fideles milites ab infidis, qui separabit tandem oues ab hœdis: nos ex sacramento militiæ, quo tenetur, militem æstimantes, eam appellamus ecclesiam militantem, quæ dedit nomen militiæ Christi: cuius pars fideliter gerit bellum Christi, pars sub Christi nomine gerit bellum Satanæ. Atque ad istam ecclesiam militãtem accommodo quod proposui: Ecclesiam militantem errare

Bern. in Cãt. Serm. 33.

errare posse & moribus & doctrinâ. Solius quidem Dei proprium est naturâ, sanctum & veracem & perfectum esse, ab erroribus immunem: vt homo vicissim naturaliter est impurus, mẽdax, imperfectus, erroribus subiectissimus. Nam *omnis homo mendax*: solus Deus verax: & *nemo bonus nisi Deus*: malus igitur qui merus homo est. Cæterùm ex gratia largitur Deus homini sanctimonię, veritatis, perfectionis donum: quasi radium è Sole, penetrantem in ædes luteas, ad lucem & calorem nobis impertiendum. Veruntamen iste radius, etsi quò magis ac magis sol iustitię nobis in singulos dies eleuatur, eò præbet ampliorem & lucem & calorem: tamen nõ prius plena luce veritatis & calore sanctimoniæ nos irradiabit, quàm è nostris ædibus luteis erepti, in apertum cœlum ad Deum migrauerimus. Ecclesia militans habet solis radios, sed tanquam in ædibus, non aperto cœlo: quandóque tenebris obfuscatur, quandoque frigore languescit. Ecclesia triumphãs habet solem ipsum, non in ædibus, sed sub dio: non in solo, sed in cœlo: nec vllæ tenebræ lucem opprimũt, nec vlla frigora calorem minuũt. Fit ergo proprium ecclesiæ triumphantis omni vacare nęuo & macula: sicut verbis spõsi significatur sponsæ in Cantico Canticorum, quum eam sic affatur: *Tota pulchra amica mea, & nulla vitio in te existente, mecum inde à Libano, ô sponsa mecum inde à Libano venies.* Quum igitur Ecclesia ab omnium errorum labe li-

2. Thess.

Rom. 3. 4. Mar. 10. 18.

Cant. 4. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

berata perfectionem summam consequuta fuerit, ad quam in ista vitâ sensim expolitur: tum ex huius mundi Libano vindicata, beatis illis nuptiis coniungetur sponso, & æterna gloria cum Deo perfruetur. At hanc perfectionẽ non adipiscitur dum in terris militat. Ergo militans ecclesia non est ab omni labe vitiorum libera. Quum erit *gloriosa*, tum
Ephe. 5. 27. erit *ecclesia non habens maculam aut rugam*, vt scribit Paulus ad Ephesios. Quare, quia gloriam in ista vita polliceri, est canere triumphum ante victoriam: consequens est, ecclesiam quàm diu militabit, tantisper habituram maculam & rugam. Verùm enim verò, quia militans Ecclesia permistos habet milites, infidos fidelibus, quorum, vt dissimilium dissimilis est ratio: idcirco, vt ecclesiæ membra sunt distinguenda, sic etiam distinguẽda sunt errorũ genera, quò melius intelligatur, quibus erroribus quam ecclesiæ partem obnoxiã esse dicam. Est igitur errare, deflectere de via, quam in verbo vitæ sacrâ scripturâ præscripsit nobis Deus. Quæ via, quia continet doctrinæ puritatem & pietatem morum, vt antè declaraui: ex eo consequitur eos qui labũtur aut moribus, aut doctrina, errare à via. Erratur ergo moribus quum malum committitur: erratur doctrina, quum falsum iudicatur. Horum autem errorum quibus animus inficitur, eadem est ratio ad vitam æternam, quæ morborum corporis ad vitam caducam. Vt itaque morbi corporis, alij sunt sanabiles, qui

qui vitam non eripiunt, alij sunt mortiferi, 2. Thesis.
qui certam afferunt perniciem: sic errores animi, alij sunt sanabiles, qui nos salute nõ spoliant: alij mortiferi, qui sempiternam important pestem. In ecclesia militante, qui sunt electi, possunt errare cùm moribus, tum doctrinâ: sed errore sanabili: mortifero nõ possunt. Qui verò sunt vocati tãtùm, non electi, possunt errare cùm moribus, tum doctrinâ: & errore mortifero, qui non sanabitur in æternum. Electos errare posse moribus & doctrinâ, patet ex Apostolis: qui moribus errarunt quum reliquerũt Christum ab apostata Matth. 26. 56.
Iuda proditum: errarunt doctrinâ, quando Act. 1. 6.
regnum Christi, non cœleste, sed mundanũ: non futurum, sed præsens, non cunctis gentibus, sed Israëli soli, promissum esse iudicarunt. Quin etiam post acceptum cumulatius & vberius è cœlo sanctum spiritum: Petrus non recto incessit pede ad veritatem Euan- Gal. 2. 14.
gelij: Iohãnes Angelum semel & iterum adorandum sibi censuit: Apostoli & fratres, qui Reu. 19. 10. &
fuerunt in Iudæa, non putarũt fidem Christi 22. 8.
gentibus promulgandã. Sed isti tamen om- Act. 11. 2.
nes Apostolorum errores fuerunt sanabiles. Nam & reuersi sunt ad Christum, postquam à mortuis ad vitam resurrexit: & naturam regni Dei cùm agnouerunt ipsi, tùm alios docuerunt: & Petrus à Paulo reprehensus ei cessit: & Iohannes Angeli monitis acquieuit: & Apostoli ac fratres veritatem edocti, lætati sunt salutem gentibus esse datam. In quo vi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

demus illud præstitum, quod à Christo pro- 2. Thess.
missum est, quum diceret Petro, post factam Matth. 16. 18.
illam nobilem confessionem fidei: *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam.* portæ inferi non prævalebunt aduersus Ecclesiam: non prævalebunt. Valebunt igitur: sed non prævalebunt. Nam electi possunt cadere, sed excidere non possunt. Fortasse stipulas ædificant: sed ædificant in Liu. lib. 22.
fundamento. Fundamentum est Iesus Christus, à quo nunquam auellentur. Vt ergo Fabius apud Liuium. *Ius à veritate sæpe laborare, nunquam extingui*: Similiter est verum, a
micos iuris & veritatis sæpe lacessi, nun- a Luc 15. 14.
quam expugnari. a Errare possunt oues Chri- b Ioh. 10. 28.
sti in deserto: b perire non possunt. c Potest c Luc 15. 12.
filius prodigus à patre discedere: sed reuerte- d Luc. 22. 32
tur. Ipsius d Petri fides deliquium velut animi passa est: sed non defecit. Erat auersus ad tempus à Domino, quem & abnegauit: sed iterum conuersus est. Denique, fideles à multis & magnis hostibus premuntur: sed oppri- Psal. 128. 1.
mentur nunquam. *Sæpe me oppugnauerunt à* Cant. 1. 5.
iuuentute mea, dicat nunc Israel: sæpe me oppugnauerunt à iuuentute mea, sed non prævaluerunt mihi. Constat igitur electos, etsi Dei filios adoptione factos, errori nihilominus tamen esse subditos: sed ita rursum errori subditos, vt ab erroris reatu sint per Christum liberi, Deóque placeant vt sancti, quia cœperint sanctificari. *Nigra sum, ô filiæ Ierusa-*
lem,

lem, inquit Sponsa, *sed tamen formosa: vt ta-* 2. Thess. 1. & vers. 15. & vers. 8.
bernacula Kedarenorum, sed vt aulæa Salomonis. Atque adeò à sponsa vocatur Sponsa *pulchra*: immo verò pulcherrima, sed *pulcherrima mulierum*: non simpliciter pulcherrima, vt scitè notat Bernardus, sed collata Bern. in Cāt. Ser. 38.
cum mulieribus, sed præ terrenis creaturis. Quo discat Ecclesia, ne nimis efferatur, sed dum in corporis viuit tabernaculo citra perfectionem pulchritudinis adhuc proficere: ac proinde *non esse pulchram omnimodo*, vt Bernardi verbis vtar, *etsi laudem habeat pulchritudinis ex eo, quod ambulet secundum Spiri-* Ioh. 14. & 15. & 16.
tum, non secundum carnem. Cæterum, obiiciet hîc fortasse quispiam, (id quod à pontificiis ad nauseam agitatur) Spiritum sanctum electis esse datum ex promisso Christi: spiritum autem sanctum esse spiritum sanctitatis atque veritatis: vt ex eo consequens esse videatur, electos nec doctrina nec moribus errare posse. Quod si quis obiecerit, is habeat responsum, Spiritum Sanctum immensitate suæ gratiæ solum Christum impleuisse, ex cuius plenitudine omnes accipimus: electis quidē eũ à Christo datũ esse, sed *ad mensuram*, Ioh. 3. 34.
vt ita loquar cũ Ioanne: nõ, vt errare prorsus nõ possint sed vt errare nõ possint ad mortẽ. Etenim, vt axiomate philosophorũ vtar, quod & experientia docet idiôtas: quicquid ab aliquo recipitur, recipitur pro modo recipientis. Recipimus itaque dona sancti spiritus, non pro maiestate spiritus diuini, sed pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Thesis. humanæ infirmitatis modulo. Satis est aquæ in mari Oceano ad totius vrbis incendiũ restinguendum: at exiguo vasculo non potest satis recipi ad vnius domus flammas sedandas. Filij Adam, sunt incendiarij, vt loquitur Propheta: ardent & vrunt. Tametsi renascantur ex aqua & Spiritu: tamen aqua spiritus non extinguit penitus omnes prauitatum scintillas & errorum. Nam, [a] & in piis remanet *lucta spiritus & carnis*: & carnis reliquiæ in corde ac mente resident: [b] & *ex parte scimus quam diu viuimus*: [c] *& Dei potentia in infirmitate perficitur*: [d] & orat Ieremias, *Sana me Iehoua, & sanabor*: [e] & agnoscit Paulus *se contendere ad metam, nondum perfectum esse*: [f] & ait Iacobus generatim de fidelibus, *In multis omnes labimur*: & [g] attestante Christo, *qui lotus est, habet opus vt pedes lauentur*. Quamuis igitur à Sancto Spiritu renouentur electi: tamen non ita purificantur dum viuunt, ab omni cordis prauitate & cæcitate mentis, vt nec desistere ab officio, nec iudicio labi possint. Nam *Sanctus* quidem *Spiritus eos deducit*, vt promisit Christus, *in omnem veritatem*, addo etiam sanctitatem: sed ita, vt Apostolus Paulus Ephesiis [a] *omne consilium Dei* profitetur *se reuelauisse*. At omne cõsiliũ Dei reuelauit, non simpliciter, [b] sed *quatenus illis cõducebat*. Sãctus ergo Spiritus illuminat & sanctificat animos electorũ, quatenus ipsorũ expedit saluti. Expedit autem nobis vt in quibusdam erremus:

a Rom 7.22. b 1 Cor.13.12 c 2. Cor.12.9. d Ier. 17. 14. e Phil.3.12. f Iac.3.2. g Ioh.13.10. Ioh.16.13. Act.20. a ver.27. b vers.20.

quò soli Deo summam tribuamus gloriam: 2. Thesis.
quò noscẽtes nos ipsos alta ne sapiamus: quò
doceamur alter alterius ferre onera: quò sa-
lutem quisque suam conficiamus cum timo-
re: quò discamus cum Paulo sufficere nobis 2. Cor.12.9.
Dei gratiam, vt fiduciam acuamus, pietatem
excitemus, oremus ex animo. Adauge fidem,
Remitte debita: quò demum vniuersum vitæ
nostræ stadium constãtius decurramus. Quæ
cùm ita sese habeant, est concludendum, de-
duci pios à Sancto Spiritu in omne verum &
rectum, eoúsque vt seruentur: at in hanc salu-
tem eos ita duci, vt interim omni ruga & ma
cula non vacent, vel morum, vel doctrinę. In
quo magnopere sunt lapsi, nõ sine turpi ma-
cula, quantum attinet ad mores, Sebastianus
Castellio, cuius inter hæreses legitur, *à renatis perfectè præstari posse legem Dei*: quod cuiquam Cast. de perfect. obed. leg. Dei.
tribuere nisi Christo, blasphemum est: quan-
tum attinet ad doctrinã, Cardinalis Hosius, Hos. contr. Bren. l. 3.
qui nugatur contra Brentium, *electos singulos errare posse*, vt Cypriani docet exemplo: *sed fideles omnes in vnum congregatos errare nõ posse*:
quod est ideam somniare, quæ nusquam sit
in rerum natura. Est ergo certissimum, ele-
ctos errare posse cum moribus tũ doctrina:
tametsi non errore lethali, sed salutari: sic vt
ab erroribus suis sanentur. Eos autem qui
vocati sunt tantum, non electi, posse errare
cùm moribus tum doctrinâ, etiam ad mor-
tem: moribus, patet exemplo Iudæ prodito-
ris, quem auaritia commouit ad flagitium: Mat.26.15.

2. Thesis.

doctrinâ, planum faciunt hæreticorum illa monstra, de quibus Iohannes, *E nobis exierũt, sed non erant ex nobis.* Quare, quoniam & electi & vocati errare possunt, electi, ad examẽ vocati, ad exitium: ecclesia verò militans cõsistit vniuersa ex electis & vocatis: cõfectum est igitur quod instituimus probare, ecclesiam militantem errare posse non modò moribus, sed etiam doctrina. Cuius rei documento si quis exempla desideret: habet ecclesias a Galatiæ, b Corinthi, c Pergami, Thyatirorum, d Sardium, Laodiceæ. Quas omnes, vt taceam exempla nostri temporis, habemus in scriptura traditum, errasse, alias moribus, alias doctrina. Quid, quòd ecclesiam ipsam Ephesinam, quam Christus adumbrauit Iohanni *candelabro*, quòd sustineret lucem vitę, in qua Timotheus versabatur, quum Paulus ad eum scriberet *ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis*: tamen non solùm fulgore & firmitate defecisse legimus, omissa prima charitate, verum etiam propterea minatum est Christum *se candelabrum eius è loco suo moturũ, nisi resipuerit.* Nõ resipuit Ephesus, sed à malo sensim declinauit ad peius: & errorem cumulauit nouis erroribus morũ & doctrinę. Propterea mouit Christus eius cãdelabrum è loco suo: electos ad se collegit, qui lucebant luce fidei, vocatos, qui lucem oderant, permisit tenebris & vmbræ mortis: pios, columnas fecit in templo Dei sui: hypocritas, templi sordes, impiorum addixit cœtui: & vrbem Ephesinam reliquit impio Mahometi. Potest autem cuiuis, vt aiũt, accidere, quod cuiquam potest. Potest itaque cuiuis ecclesię cõtingere, quod contigit Ephesinæ. At verò Ephesina, primò quassata est, deinde prorsus diruta: & esse desijt ecclesia, spoliata luce Christi. Nulla est igitur in terris ecclesia, quãtumcunque sibi blandiatur titulis columnæ veritatis & candelabri Christi: cuius corpus, id est electos, non possit occupare languor & obscuritas: cuius fæces, id est hypocritas, non possit absumere putredo & interitus: cuius vniuersa denique compages non possit amittere firmitatem & fulgorem. Non ignoro responderi ab administris Papæ, greges ecclesiæ militantis errare posse: pastores, quorum cœtui nomen ecclesiæ tribuitur à Christo, quum ait, *Dic ecclesiæ*, errare non posse. Quod falsum est & ineptum. Quemadmodũ enim greges ecclesiarum constant ex ouibus & hœdis: ita *pastores* ecclesiarum, teste Christo, *partim boni sunt, partim mercenarij, partim latrones.* Boni dormitant aliquando, vt apostoli. Mercenarij fugiunt, quamprimum venit lupus. Latrones in ecclesiam Dei grassantur. Nullus igitur est pastorum qui nõ aut leuius errare possit, aut periculosius. Et quidem Pastores errare posse moribus, quid opus est docere ex prophetis & Apostolis? Recens est illa, atque vtinam non nimis recens Bernardi querimonia: *Serpit hodie putida tabes per omne*

a Ad Gal.1.
b 1.Cor.15.
c Reu.2.
d Reu.3.

1.Ioh.2,19.

Reu.1.12.

1.Tim.3.15.

Reu.2.5.

2. Thesis.

Matth.18.17.

Ioh.10.12.

Bern.in Cãt. Ser.33.

Universidad de Deusto
Biblioteca

2. Thes. 9. *corpus ecclesiæ.* Quæ verba cùm vsurpet Bernardus de moribus prępositorum, id est episcoporum & pastorum ecclesiæ: non quiuis morbus, sed tabes: nec ea leuis, sed putida: & serpens latius, non consistens: potest inficere non modò quædam membra, sed etiam totũ corpus episcoporum & pastorum. Errare verò posse pastores doctrinâ, docent pastores illi Corinthij, qui *ligna, fœnum, stipulam superstruxere fundamento*, quod Paulus posuerat: docent, quos Petrus vaticinatur *fore falsos doctores in populo, qui introducturi essent sectas perditionis.* Quæ verba cùm vsurpet Bernardus de moribus prępositorum, id est episcoporum & pastorum ecclesiæ: non quiuis morbus, sed tabes: nec ea leuis, sed putida: & serpens latius, non consistens: potest inficere non modò quædam membra, sed etiam totũ corpus episcoporum & pastorum. Errare verò posse pastores doctrinâ, docent pastores illi Corinthij, qui *ligna, fœnum, stipulam superstruxere fundamento*, quod Paulus posuerat: docent, quos Petrus vaticinatur *fore falsos doctores in populo, qui introducturi essent sectas perditionis.*

1. Cor. 3. 10.

2. Pet. 2. 1.

res in noua ecclesia, vt in veteri pseudoprophetæ. docent [a] Samosatenus, [b] Arius, [c] Nestorius, ecclesiarum illustrium pastores, faces hæresium teterrimarum: docent Episcopi totius orbis terrarum, qui fuerũt omnes propemodum Ariani, [d] quum pauci vix Catholici relinquerentur, [e] quum *ingemuit totus orbis se Arianum esse miratus est.* At excipient Papistæ, se, quum ecclesiam errare posse negant, ecclesiam intelligere, quam repræsentatiuam appellant Scholastici: id est, ecclesiæ præfectos & episcopos repræsentantes Ecclesiam vniuersam in Concilio generali. Quid igitur? An ea demum ecclesia, Concilium dico generale, errare non potest? Affirmant id quidem. Sed quid tandem dicent de tot Conciliis Arianorum? quibus est factum, vt Gregorius Nazianzenus desperaret quicquam boni conciliis effectum iri. At ista Concilia legitima fuisse negant. Quid ergo respon-

a Euseb. hist. eccle. l. 7. c. 22.
b Theodor. hist. eccle. l. 1. c. 2.
c Socr. hist. eccl. l. 7. c. 29. & 32.
d Theodor. hist. eccl. l. 2. c. 16.
e Hierõ. dial. contr. Lucif. c. 7.

Greg. Naz. in epist. ad Procop.

respondebunt ad ea quæ legitima fuisse constitentur? Concilium [a] Laodicenum approbatum à sexto generali Concilio [b] Constantinopolitano, statuit eundem Canonem Scripturarum, quem & Ecclesia vetus habuit, & nos retinemus. Concilium [c] Carthaginense tertium, cui subscribit Concilium [d] Tridentinum, adiecit Machabæos libros que cæteros apocryphos ad Canonem veteris Ecclesiæ. Concilium [e] Nicænum præscripsit suos limites, non minus authoritati Romani episcopi, quàm patriarcharum reliquorum. Concilium [f] Lateranense Romanæ ecclesiæ super omnes alias ordinariæ potestatis tribuit principatum. Concilium [g] Constantiense subiecit authoritatem Romani Pontificis Concilio generali. Quod tantopere displicuit Concilio [h] Florentino, vt in ordinem redegerit Basilienſe Concilium, & eius actiones oppresserit per cuniculos, quod in Eugenium tentasset idem. Ex quibus efficitur, nisi contraria simul esse vera posse statuerimus, alterutra ex istis generalibus Conciliis in errore fuisse necessariò fatendum esse. Quamobrem, vt cõcludam, cùm euidenter liqueat è clarissimis argumentis, & electos & vocatos, & populos, & pastores, & singulos & coactos in generalibus conciliis, errare posse: licebit mihi spero colligere quod probaui, cum bona gratia eorum qui veritatem amant, ecclesiam militantem errare posse, cùm moribus, tùm doctrina. Quo-

2. Thes. 9.
a Can. 59.
b In Trull. Can. 2.
c Can. 47.
d Sess. 4. Dec. 1.
e Can 6.
f Cap. 3. apud Innocent. 3.
g Sess 4. & 5.
h AEne. Silu. de Cond. Basil. Cõc Flo. Ferr. in Cõc. indictione.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. Thesis. Brist. Mot 3. & Quæst. 8.

rum altero, de moribus, nosipsos defendo contra malitiosas calumnias Papistarum, qui Catharorum hæresin affingunt impudenter ecclesiæ Anglicanæ: altero, de doctrina, non attingo leuiter muros Babylonis, sed ab imis fundamentis penitus conuello molem vniuersam Romanæ synagôgæ.

3. Thesis.

Cuius intolerabilis arguitur arrogãtia tertiâ quoque Thesi, qua restat defendendum: *authoritatem sacræ Scripturæ maiorem esse quàm Ecclesiæ.* Id autem, quamuis ea sit veritatis euidentia, vt proposuisse tantum, sit probasse: tamen date quæso veniam, vt vnica ratione (molestus non ero pluribus) ita breuiter concludam. Verba cũcta Scripturę, sunt verba veritatis. Verba quædam ecclesiæ, verba sunt erroris. At maior est authoritas veracis perpetuò, quàm mendacis aliquando. Ergo maior est authoritas sacræ Scripturæ quàm ecclesiæ. Verba cuncta Scripturæ, esse verba veritatis, est extra controuersiam. Nam *tota Scriptura diuinitus inspirata est:* & *Deus negue fallere potest, neque falli.* Verba quædam ecclesiæ esse verba erroris: si cui forsitan non persuadeant illæ rationes quas prius adhibui, audiat acerrimum ecclesiæ patronum idem confitentem. Iacobus Andradius Lusitanus, omnium Papistarum, meo iudicio, facilè doctissimus, libro primo defensionis fidei Tridentinæ contra Kemnicium, enumerat quædam rerum capita, in quibus & Concilia generalia errare possint: vsque adeò vt ipsum Chalcedonense concilium, vnum ex illis

2. Tim. 3. 16. Tit. 1. 2.

Dieg. Andr. def fid. Tr. 1. 1.

quatuor primis Conciliis, quæ Gregorius professus est se recipere vt libros quatuor sancti Euangelij, tamen Andradius errasse pronuntiet in eo, quòd *temerè & nulla ratione*, vt ipsius verbis vtar, *Constantinopolitanam ecclesiam Alexandrinæ & Antiochenæ duxerit præferendam.* Neque verò tantùm errare pronuntiat Chalcedonense concilium, & pugnasse cum sanctionibus concilij Nicæni: sed rationem attexit etiam, cur in rebus eiusmodi Concilia labi possint: nempe, quòd *sequantur non afflatum sancti Spiritus, sed inanem rumoris auram & fallaces hominum opiniones.* Potest igitur Concilium aliquando sequi fallaces hominum opiniones, non sancti Spiritus afflatum. Cedat igitur Concilium sacrosanctis scripturis: in quibus homo nusquam, vbique Deus dominatur. Nam, siquis, vt eludat istam rationem, cauillabitur, errorem illum non habendum pro iudicio concilij Chalcedonensis, quòd episcopus Romanus cum suo calculo non approbarit: is primùm velim reputet, Episcoporum Concilium ab vno quouis episcopo necessariò distinguendum, vt id Concilij sit decretum, quod decernitur à pluribus: deinde consideret nomen ecclesiæ episcoporum cœtui & concilio posse tribui, non posse tribui Romano pontifici: postremo meminerit Pontificem Romanum Honorium primum fuisse damnatum hæresis à Concilio generali Constantinopolitano quod approbauit Agatho pon-

3. Thess.

Greg. epist. lib. 2. c. 42.

Conc. 6. gener. Constit.

2. Thesis.

tifex Romanus. Quare quocunque sensu nomẽ ecclesiæ libeat vsurpare, siue pro cœtu aut electorum Dei, aut professorum fidei, aut pastorum ecclesiæ, siue pro Romani Pontificis persona, quanquam ita loqui videtur perabsurdum: Romanus ipse Pontifex, si mihi iudex detur, negare non poterit, nisi fronte sit adamantina, quin ecclesiæ verba quædam, verba sint erroris. Quòd si Pontifex & Pontificij cogantur ipsi confiteri, & ab ecclesia dici quædam quæ cum errore sint coniuncta, nec à Scriptura dici quicquam nisi liquidam veritatem: tamen ne quisquam reperietur tam aut stupidè imperitus, aut obstinatè impudens, qui maiorem Ecclesiæ quàm sacræ Scripturæ authoritatem esse asseuerare audeat? Albertus Pighius id est ausus in ecclesiastica hierarchia. Vbi tametsi conatur emollire speciosis pharmacis sacrilegi sui dicti peruersitatem, tamen vt extruat ecclesiæ Romanæ & Antichristi arcem è ruinis Christi & sacræ Scripturæ: primùm affirmat, de *Scriptis Apostolorum, ea fuisse data ecclesiæ, non vt præessent fidei religionique nostræ, sed vt subessent potius*: postea concludit *non solum non inferiorem esse, non solùm parem, immò & quodammodo superiorem authoritatem ecclesiæ authoritate Scripturarum.* Est apud Plinium, fuisse quendam gnomonem situm in campo Martio ad designandas vmbras solis, cuius obseruatio triginta iam annis cum Sole non congruerat. Eiusque rei rationem hanc

Pigh. eccle. Hie. l. 1. c. 2.

Plin. hist. natur. li. 36. c. 10

hãc reddit Plinius, quòd vel ipsius Solis cursus esset dissonus, & aliqua cœli ratione mutatus, vel vniuersa tellus à suo cẽtro dimota. Romana ecclesia simillima videtur istius gnomonis in campo Martio. Nam ea collocata est in agro Romano ad indicandas vmbras Solis, Solis iustitiæ, id est Iesu Christi: sed eius obseruatio permultis iam annis cum Christo non congruit. Non quòd sit vllum vitium in gnomone, id est in ecclesia: (nam id fieri nõ potest, vt bellè docet Pighius) sed quòd fortassis aut ipsius Christi cursus sit dissonus, & nescio qua Dei mutabilitate deflexus, aut tota Scriptura de suæ stabilitatis cẽtro dimota. Cæterum nobis, auditores ornatissimi, qui gnomones & horologia falli sæpenumero, cursum autem Solis constantem esse scimus: pluris sit authoritas Solis, quàm gnomonis: cœli, quàm Plinij: Zodiaci, quàm campi Martij: Dei, quàm hominum: Christi, quàm Pighij: scripturæ sacræ, quàm ecclesiæ. Absit enim vt vllum inter nos existat in humana specie tam furiosum monstrum, quod efferat Antichristum in templo Dei supra Deum: & vlli, vel homini, vel humano cœtui, plus tribuat, quàm Christo, quàm cœlesti numini. At id faciunt sine dubio, qui tribuunt ecclesiæ plus quàm scripturæ. Auertat ergo Deus istum à nobis execrabilem errorem. Nam vox Scripturæ, vox est Dei: vox ecclesiæ, vox est hominum. Quòd si maior est authoritas

3. Thesis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

3. Thesis. Dei quã hominũ: profectò maior est authoritas scripturæ quàm ecclesiæ. Neque tamen inficior vocem ecclesię nonnũquam esse vocẽ Dei. Nam in peccatis corripiendis, & placãdis offensis fratrum, *Qui non audierit ecclesiã, sit tibi velut ethnicus & publicanus*, inquit Christus. Cæterum, sanctus Spiritus, Spiritus veritatis, & solus & semper loquitur in Scriptura. Humanus autem Spiritus, Spiritus erroris, ex parte quandóque loquitur in ecclesia. Quorum vtrunque & ex verbo Dei, & ex rei euidentia, & ex aduersariorum confessionibus probaui. Quin igitur agnoscimus huius priuilegij prærogatiuam Scripturæ soli deberi, vt omnis omnino sit erroris expers: & fatemur cum Augustino contra Donatistas *proprium esse sanctæ canonicæ Scripturæ, vt quicquid in ea scribitur sit verum & rectum: episcoporum autem literas, vt Cypriani, & ipsa Concilia non modò quæ per singulas fiunt prouincias, sed etiam plenaria atque generalia, habere sæpenumero quod corrigatur.* Ego verò libenter istas Augustini sententiam & probo, & probandam censeo, vt consonam veritati. Ob eámque causam concludo quod asserui: Multò maioris authoritatis esse Scripturam, quàm ecclesiam. Exposui vobis meam, viri doctissimi, sententiam de Thesibus, quæ vocantur in quęstionem: pluribus fortasse verbis, quàm vestra prudentia: paucioribus, quàm rerum grauitas desideraret. Verum eatenus eas explicaui, quatenus cum bona Procuratorum venia, per temporis angustias, mihi permissum iri arbitrabar. Quæ restant enodanda, conabor aperire, quantum quidem potero, si feret occasio, quum inter disputandum argumenta proponentur.

De bapt. cõt. Don. l. 2. c. 3.

Matth. 18. 17.

CVM multa singularia Dei beneficia patres & fratres, in nostram Academiã sunt disseminata, quæ fructus edant vberes, ad propagandam Dei gloriam & Ecclesiæ salutem, si diligenter excolantur: tum ex illis omnibus vix vllum præstantius, siquid ego iudico, quàm quòd inspiratam à Deo veritatem scriptura sacra consignatam, non solùm aperiri publicè docendo, sed etiam confirmari disputando sancitum est. Præclarum sine dubio perutilęque institutũ, & scholis Christianis, id est, diuinis dignissimum. Quid enim veritate, quæ magistra nobis est ad Dei cõgnitionem, æternæ vitę fontẽ, magis pretiosum. Quid autẽ magis aptũ ad roborandũ veritatem, quàm vtrinque disceptatis partium rationibus, rerũ comprobatio? Etenim, vt aurum è terræ venis effossum ab admixtis terrę fæcibus contundendo segregant fabri metallici: & agricolæ frumentum quo sit aptum alendo corpori, perpurgare solent à paleis, cribrando: ita veritatis aureus thesaurus col-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lisu rationum mundatur à fæcibus quas non è sacris venis contraxit vnde foditur, sed ex humanis vasis in quibus recipitur: & fruges ad pabulum animorum satæ, quo fiant puriores ab errorum paleis, afflatu sancti Spiritus à cœlestis agri cultoribus ventilantur. Quod ipsum officium â nobis imprimis & alacriter subeũdũ & fideliter exequendũ videtur respublica suo quasi iure postulare posse præsertim cùm eximiis priuilegiis, ædificiis, possessionibus ornârit hoc amplissimum optimarum artium gymnasium, in eum finem potissimùm, vt esset seminarium pastorum Ecclesiæ. Nam & Ecclesiæ pastores eos esse conuenit, vt docet Apostolus, qui non modò possint fideles instituere sanâ doctrinâ verùmetiam conuincere contradicentes: & conuincere contradicentes poterimus facilius, aptius, efficacius, si prius exercuerimus in belli simulachro, quod pòst aduersum hostes in vero bello faciamus. Quò si res vlla est, in qua permagni referat, & milites Christianos esse vigilanter exercitatos contra nefarias molitiones hostiũ, & Christianæ veritatis aurũ à scoria, fruges à palea, sedulò, purgari studio colonorum & opificum ecclesiæ ista profectò, cuius est à nobis susceptа dispeptatio, tantũ importat, explorata, cõmodum periculum ignorata: vt ad assequendam eius notitiam omnes ingenij neruos contendere meritò debeamus. Inuaserunt enim in eccle-

ecclesiam iampridem, & passim grassantur, illi, quos Christus, vt caueremus monuit, quos Petrus vaticinatus est futuros in ecclesia, falsi doctores & pseudoprophetæ: qui vestimentis ouium amicti, sed animis & factis rapaces lupi, sub ecclesiæ latentes velo, quasi soli sint omes Christi, docent hæreses exitiales, & veritatis blasphemant viam. Cuius pestilentis mali contagio, quo permânet latius in animos fidelium: vt Rabsakes Assyrius attentans Ierusalem, Iehouæ nomen obtendit contra populum Iehouæ: ita Rabsakes Romanus, hostis nouæ Ierusalem, ecclesiæ nomen obijcit contra filios ecclesiæ. Catholicã ecclesiam credendam ait Christianis: Romanam autem solam esse Catholicam: nos ergo qui reliquimus ecclesiam Romanam, ab ecclesiæ Catholicæ communione defeciſſe: porrò spem salutis esse posse nullam extra ecclesiam: idcirco pereundum illis necessariò, quicunque vel defeciuerint ab ecclesia Romana, vel ad vllam ecclesiam à nostris reformatam seipsos aggregarint. Ista specioſa sed fucosa larua ecclesiæ Catholicæ, corda multorum minimè malorum à recto seducuntur: qui Catholicam fidem fugiunt, dum ne deficiãt à fide, metuunt: nec audent cũ ecclesia Christi se coniungere, ne seiungantur ab ecclesiæ communione. Vsque adeo quod olim ad episcopos Palæstinos à Romano scriptum est, id hodie Romanis episcopis à nobis iure dici potest: *Pro fide vos agere creditis Romani, & si-*

Matt. 7. 15.
2. Pet. 2. 1.
2. Reg. 18. 25.
Leo epist. 81. ad episc. Pal.

dei contraitis: Ecclesiæ nomine armamini, & cõtra ecclesiam dimicatis. Quamobrem, quum huius rei tractationem multum habituram momenti iudicarem, ad imperitorum ignorantiam leuandam, & aduersariorum pertinaciã frangendam, & salutem electorum, quod caput est, promouendam: ego pro officio vel pietate potius, quam ecclesiæ Christi debeo, putaui mihi faciendum, (quum differendi tã idonea daretur occasio) vt de statu ecclesiæ Catholicæ, Romanæ, nostræ, verba facerem. Atque fundamenta quidem huius operis superiore nostra disputatione videntur esse iacta: quâ declaratum est è verbo veritatis, scripturam cuncta tradere, quæ requiruntur ad salutem: ecclesiam errare posse dum militat in terris, authoritatem ecclesię subiectam esse scripturæ. Quibus cõstitutis, facilior erit aditus ad ea quæ suscepi super struenda: nimirũ ad ecclesiæ catholicæ naturam, Romanę corruptelam, integritatem nostræ, patefaciendam. Sed antequam aggrediar ad explicationem horum trium capitum, quæ pro rationę temporis, succinctè: muneris, sincerè: fauente Deo, patefaciam: principio à vobis omnibus, auditores, quàm possum vehementissimè peto & quæso, non, vt aures mihi præbeatis attentas, quod vestra sponte facitis, sed vt animum amplectendæ veritatis auidum, ad audiendum afferatis. Laudantur apud Ethnicos Athenienses illi iudices Areopagitæ, quibus in more fuisse fertur positum, vt actorę quę

dem causam agere iuberent sine proœmiis, & adigerent iure iurando se non calumniaturum: ipsi verò causam summo silentio, dum ageretur, audirent: & summa æquitate quum esset acta, iudicarẽt. Tales vos mihi, qui Christianas nostras Athenas incolitis, Areopagitas, fratres esse velim. Ego, quod actoris est, sine proœmiis, quamuis iniussus, & sine calumniis, quãuis iniuratus, simpliciter & verè vobis rem expediam. Vos, quod est iudicum: sine præiudiciis errorum, audientiam, & sine peruersis affectibus, sententiam ex æquo & bono pro veritate detis. Atque vtinam audiretis, vt audiuit Dionysius Areopagita Paulum Apostolum: cui prædicanti Deum ignotum, quanquam aduersus opinionem eam, quam attulerat præiudicatam, tamen euictus lumine veritatis assensit & credidit. Deus, Pater luminum, author veritatis, qui linguã igneam dedit Paulo, vt animos audientium illustraret & accenderet, qui Dionysio commouit animum, vt pietatis lucem cerneret flammásque conciperet: dignetur sui sancti spiritus afflatu, & moderari mihi linguam, vt explicandis verbi mysteriis ancilletur, & emollire vobis animos, vt in agro fertili spargatur semen vitæ. Aperi nobis oculos, Iehoua, & videbimus: da nobis cor da carnea, & assentiemus. Sit nobis spiritus tuus dux in omnem veritatem, & luceat verbum tuum lucerna pedibus nostris: vt credamus quæ doces: faciamus, quæ iubes: ad sempiternam Act. 17 34.

tuæ bonitatis gloriam, & salutem nostram. Amen.

4. Thesis. Aggredienti mihi sermonem instituere de statu ecclesiæ, cûm vniuersè, tûm in partibus, Romanâ, & reformatis variarum gentium: occurrit primò declarandum, quid sit ecclesia sancta catholica, quam in symbolo Christianæ fidei nos profitemur credere. *Est* igitur *ecclesia sancta catholica, cœtus vniuersus electorum Dei.* Qui dicitur ecclesia, id est cœtus hominum, & multitudo populi in vnum congregati: sancta, quia Deus cœtum hunc electum sanctificauit sibi: catholica, quia constat non ex vna gente, sed ex vniuersis, per vniuersum orbem terrarum dissipatis. Nam Deus, vt diuitias glorioſæ suæ gratiæ cum humano genere cõmunicaret, elẽgit ab æterno certam hominum multitudinem, quasi populum peculiarem, qui cœleste regnum sibi præparatum à iactis mundi fundamentis cum ipso possiderent. Huius autem populi sui membra singula, quamuis disiuncta spatio locorum aut temporum, tamẽ in vnius quasi corporis societatem, & ciuilem siue potius spiritualem communionem, spiritus sui vinculo coniunxit & colligauit tanquam in vnã ciuitatem. Cuius ciuitatis, nomen est Ierusalem cœlestis, noua, sancta, ciuitas Dei viui: Rex, est summus Deus, qui fundauit, stabilit, gubernat ciuitatem. Leges, sunt Dei verbum, quod ciues audiunt & sequuntur vt oues pastoris vocem: ciues sunt sancti singuli, qui pro-

Eph. 1. 11. Matt. 25. 34.

Heb 12. 22. & Reu 21. 2. Psal. 87. 1. 5.

Ioh. 10. 16.

propterea dicuntur conciues sanctorum & domestici Dei: Tabulę, quibus ciuium nomina conscribuntur, vocantur liber vitæ: commoditates denique, quibus fruũtur ciues, sunt amplissima beneficia vitæ præsentis & futuræ, Dei gratia fons bonorum: thesauri Christi hæredis omnium, peccatorum venia, pax cõscientiæ, dotes iustitiæ, pietatis, sanctimonię: vnus spiritus, vna fides, vna spes vocationis, & sacramenta sigilla spei: quæcunque demum opus sunt ad vsus necessarios terrenæ nostræ vitæ, & æternæ tandem in cœlis cœlorum, vitæ, beatitudinis, gloriæ possessio. Cęterum, quia ciues huius æternæ ciuitatis Dei, damnati maiestatis propter nefariam aduersus Deum rebellionem, ciuitatis ius amiserant, & amissione vitæ mulctati carceri tenebrarum ad sempiternam mortem mãcipati fuerant: Deus infinitæ pater misericordię, vt eos gratis conseruaret qui suo merito perierant, misit Iesum Christum suum filium hęredem omnium, qui ciuitatis Dei rex designatus, ciues redimeret à potestate tenebrarum, è seruitute Satanæ ad quem defecerãt, & in suum regnum de integro translatos prærogatiuis omnibus sanctorum Dei ciuium felicissimè beare. Ac in istum finem visum est Deo nobiscum licet impiis perduellionibus ex sua mera gratia ferire fœdus: quod vnum substãtia, ratione geminum, prius, dictum vetus, in Christo promisso, posterius, nouum, in Christo exhibito, Deus in tabulis sui fœderis ex-

4. Thesis. Ephe. 2. 19.

Reu. 20. 15.

Gen. 17. 7. Leuit. 26. 12. Ier. 31. 33. Hebr. 8. 10.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Thesis. pressit, quibus est pollicitus, *Ego ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus.* Quæ sit ratio, quãtus vsus, quàm ineffabile beneficium huius sacri fœderis, icti cum patriarchis, cum prophetis cum Apostolis, cum omnibus sanctis Dei: sacrosanctæ tabulæ veteris & noui fœderis demonstrant. Quarum compẽdium summam Apostolicæ continens doctrinæ habemus in articulis, & Symbolo, quod appellamus, Christianæ fidei, collectum è verbo Dei. Huius ergo Symboli duæ sunt partes, pro ratione fœderis cuius vim complectitur: quarum altera fidem nostram instruit de Deo, qui dixit fidelibus, *Ego ero vobis Deus*: altera de Dei populo, id est de Ecclesia, cui dictũ est à Deo, *Vos eritis mihi populus.* Deus credendus nobis proponitur, vnus essentia trinus personis, Pater creator: Filius redemptor, Spiritus sanctificator. Dei verò populum credere docemur, esse ecclesiam sanctam catholicam, communionem hominum sanctorum, quibus peccatorum datur remissio, quorum à morte corpora resurgent, & iusta cum animis æternâ vitâ perfruentur. Atque vt euidentius & clarius eluceseat, hunc electorum cœtum & Dei ciuitatem esse ecclesiam sanctam catholicam: principio, Dei populum efficaciter vocari è colluuione reliquorum hominum ad Deum cognoscendum, venerandum, fruendum, à Christo qui mentes illuminat & corda mouet, virtute sancti spiritus & verbi ministerio, est extra controuersiam.

Eorum verò cœtus, quos ita vocat Christus ad regnum cœlorum, per excellentiam dicitur ecclesia: non quæuis ecclesia, sed eminentissima: quippe quę contineat omnes fideles, qui sunt, fuerunt, erunt ad finem temporum ab orbe condito. Quam Apostolus ad Hebræos appellat *ecclesiam primo genitorum qui conscripti sunt in cœlis.* Quam Paulus ad Ephesios *Deo charam & electam* esse docet ecclesiam: quam *Christus* ei datus à Patre, vt *caput corpori, dilexit vt sponsam, redemit à Satana, viuificat suo spiritu,* seipsum morti tradidit, vt eam è faucibus mortis liberaret. Porro, quemadmodum constat hanc ecclesiam esse vocatam è regno tenebrarum & mundi colluuie ad participandam cœlestis regni sortem: item eam Sanctam esse decuisse liquet manifestò. Nec enim potest Deus, sanctus Israëlis, ferre filios iniquitatis: nec vllus Channanæus versabitur in domo Iehouæ exercituum: nec intrabit quicquam in cœlestem ciuitatem quod polluit & patrat abominationem atque mendacium. Christus itaque, seruator ecclesiæ, sui corporis, qui *vocatos iustificat*, quos vocauit prædestinatos: *ecclesiam à peccatis mundatam* suo sanguine, *renouat à sordibus carnis ad sanctitatem*: quam inchoat in hac vita, perficit in futura, quum *sponsam maculis & rugis vacuam gloriosam sistet sibi.* Vt merito dicatur ecclesia, & sancta, & sanctorum communio: quæ militãs in terris, affectu sancta est: triumphans in cœlis, effectu san-

4. Thesis.
Heb. 12. 23.
Eph. 1. 4. & 5. 23.
Matt 7. 23. Zach. 14. Reu. 21. 27.
Rom. 8. 30.
Ephe 5. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Thesis. ctior: & militans & triumphans, in Christo sanctissima. Postremò, quia Dominus elegit & vocauit sanctam ecclesiam, non ex hac aut illa terra, non ex hoc aut illo populo, sed ex omnibus nationibus diffusis per orbem terræ: idcirco nuncupatur ecclesia catholica, id est vniuersalis, non Iudaica, non Romana, non Anglicana, non vnius gentis aut prouinciæ: sed vniuersalis atque catholica è cunctis generibus conditionum, sexuum, ætatum, nationum, Iudæis, Ethnicis, Græcis, Barbaris, seruis, liberis: viris: fœminis: grandæuis, teneris: diuitibus, egenis: in vnum quasi corpus coagmentata. Nam, & ecclesia vetus, ante Christum, quæ vidit diem Christi venturi, ac seruata est, primò Dei filios è quibusvis populis sibi collegit, pòst quum Dei gratia fulgeret potissimum in populo Israëlis, proselytos è cæteris ad Israëlem adiunxit: & nouissimè, præsertim, à Christo nato vocata, *dilatauit, vt*

Esai. 54. 2. loquitur Esaias propheta, *suum tabernaculum* ad omnes nationes, exorsa à Ierusalem, Iudæa, Samaria, progressa ad vltimos vsque

Act. apost. 1. 8. & deinc. fines terræ. Non enim solam gentem Iudæorum & populum circumcisum vocauit sibi Deus in sanctam Ecclesiam vt olim [a] Apostoli minus scienter, hodie [b] Iudæi nimis arroganter, sunt opinati: sed [c] Christus crucifixus *soluit septum parietis intergerini, & factus*

a Act. 10. 28. & 11. 2.
b Galatin. de arca. cathol. ver. l. 9. ca. 1. & deinceps.
c Eph. 2. 14. 20.

est in vnus lapis angularis in quo duplex murus surgit: & vt Dauid vaticinatus est, *Ægyptius, Babylonius, Tyrius, Æthiops, Palæstinus, gigna-*

Psalm. 87. 4.

tur in Sione: & vt illi senes qui cœtum repræ- 4. Thesis.
sentant fideliũ canunt Christo, *Redemisti nos* Apoc. 5. 9.
Deo per sanguinem tuũ, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro reges & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Quamobrem, quum Ecclesia, quam sacræ Scripturæ nobis commendant, designet multitudinem piorum & fidelium, quos elegit Deus, sanctificauit Christus, & è cunctis gentibus vocauit ad cœlestis hæreditatem regni: authore sancto Spiritu, qui per Prophetas & Apostolos loquutus est, concludo quod proposui, sanctam Catholicam Ecclesiam, quam credimus, esse cœtum vniuersum electorum Dei. Miramini fortasis, cur istum Christianæ fidei articulum disputatione tractandum exhibeamus: quasi vel quisquam de eo controuersetur, vel res non controuersæ pro controuersis sint agitandæ. Cæterùm si cogitetis verum articuli sensum quem aperui, Scripturæ iudicio probatissimum, fidelibus solatio iucundissimum, ab ecclesiæ Romanæ signiferis damnari tanquam erroneum, & anathemate percelli: mirari desinatis. Nam in Concilio Constantiensi, sessione decima quinta, qua Iohannem Hussum damnarunt vt hæreticum, has duas sententias vt hæreticas cum ipso flammis adiudicarunt: *Vnicam esse sanctam vniuersalem ecclesiam, quæ est vniuersitas prædestinatorum*: & [a] *ecclesiam, vt sumitur hoc sensu,*

Con. Const. Sess. 15. 1. Artic. 1.
a Artic. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Thesis.

pro cœtu prædestinatorum, esse fidei articulum. Quas eius sententias in impiis numerari, mirabar equidem vehementer: cóque magis, quia patres, quorum verba magni facere videri volunt Romani, quum ipsis suffraguntur, eadem prorsus normâ sanctam catholicam ecclesiam esse mensos animaduertebam. Nam Clemens Alexandrinus expressè vocat eam *Cœtum electorum, in quem colliguntur fideles & iusti, quos Deus ante conditum orbem prædestinauit.* Ambrosius item, quum dixisset honorem Dei patris in Christo esse & ecclesia: definit eam esse *populum quem sibi dignatus est adoptare Deus.* Porro Gregorius, Romanus episcopus affirmat, *omnes electos intra mensuras eius contineri, extra esse omnes reprobos.* Bernardus autem aperit tanquam arcanum quod à Paulo didicit, idque se pronuntiat audacter loquuturum, *ecclesiam esse cœtum omnium electorum prædestinatum ante sæcula.* Augustinus verò, vir acerrimo iudicio & in opere doctissimo de ciuitate Dei, nullam agnoscit *Dei ciuitatem* nisi electam istam ecclesiam: & in alio De rudibus catechizandis, asserit *omnes homines sanctificatos, qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt, esse ciues huius cœlestis Ierosolymæ*: & de baptismo contra Donatistas, aduersus quos Ecclesiam catholicam vrget maximè, fatetur, ea quæ canuntur in Cantico Canticorum, *hortum conclusum, fontem obsignatum, lilium, sororem, Sponsam Iesu Christi,*

Clem. Alex. Strom. l. 7.

Ambr. in epi. ad Ep. 3.

Greg. in Iob. l. 28. c. 9.

Bernar. in Cant. Serm. 28.

De ciu. de li. 1. c. 1. & tot. op.

De rud. cat. cap 20.

De bat. con. Don. l. 5. c. 27

Christi, de solis intelligi sanctis & iustis, qui sunt Iudæi in occulto circuncisione cordis, in quibus est numerus certus sanctorum prædestinatus ante mundi constitutionem. Quare si Romanæ præsules ecclesiæ tacti fuissent vlla reuerentia, non dico Scripturarum, quibus pro libidine quasi dominantur, sed Patrum, quos vt orbos in suam tutelam se recepisse præ se ferũt: nunquã per Husi latera cõfixissent, vel in eo cremassent potius Clementem, Ambrosium, Gregorium, Bernardum, Augustinum, qui docuerunt idem quod in Husso damnatum est, sanctam ecclesiam vniuersalem esse cœtum omnium electorum Dei. Sed est sine dubio verissimum, vt video, quod homo literarum luminibus ornatissimus, fauens Pontificiæ fidei, non fastui, scriptum reliquit, *illud axioma esse certissimum* inter Romanos Pontifices & Pontificum Romanorum similes, *Si violandum est ius, regnandi gratia violandum est.* Etenim ecclesiam sanctam catholicam in Christianæ fidei Symbolo notatam, detorquent à germano sensu, vt regnent, & ambitioni velificentur suæ: quippe quam referunt, (imperitè, si nescientes: si scientes, impiè:) non ad Catholicam, sed ad militantem, nec eam vt electam, sed vt visibilem, id est, cum hypocritis & impiis permixtam. Quod eo faciunt consilio, vt cuncti Christiani, credentes sanctam catholicam ecclesiam, pro catholica tenendam ecclesiam visibilem, & in

4. Thesis.

Frã. Duar. de sacr. eccle. min. l. 5. c. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Thesis.

ecclesia visibili visibilem Monarchiam, & visibilis Monarchiæ Papam esse principem, & Papæ tanquam Principi Christianos cunctos oportere subiici persuadeantur. Istum enim esse scopum Pontificium est luce clarius, ex ipsis, vt appellant Extrauagantibus Iuris canonici, in illo Bonifacij regio decreto, *Vnam sanctam catholicam Ecclesiam.* Vbi ab vna catholica ecclesia, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, assurgit ad caput ecclesiæ, Iesum Christum: à capite verò Christo furtim præcipitat ad eius vicarium, vnum idemque caput, vt ait, cum Christo, Romanum Pontificem: quem tamen esse caput ecclesiæ catholicæ ne ipse quidem diceret, nisi fortè somnians: nam ita caput esset ecclesiæ triumphantis, quæ pars est catholicæ, sed ecclesiæ visibilis caput esse cupit, quam fucat nomine catholicæ, quo facilius in fraudem impellat imperitos: quibus eo nomine captis & attonitis conclusionem nectit fraudis architectus, *Esse omnino de salutis necessitate humanæ omni creaturæ, subesse Romano Pontifici.* Verùm, ecclesiam sanctam catholicam nõ significare cœtum visibilẽ ecclesiæ militantis) qui coagmentatur è duabus partibus inter se permixtis, nẽpe bonis & malis) vt Romani statuunt, cũ suo Bonifacio, gratia regnandi: nisi mihi Põtifex ipse Romanus, & Patres Oecumenici Cõcilij Tridẽtini, vi veritatis & Scripturæ victi, cõtra seipsos attesta-

Extrà. c. vnã sanctam. De Mai. & Obe.

ti fuerint, nõ postulabo vt credatis. „Nam in Catechismo quem Pius Quintus edidit ex Tridentini Concilij Decreto, postquam dixissent, *ecclesiam*, qua de agimus, *significare præcipuè multitudinem bonorum simul & malorum*: subijciunt, *eius caput quasi corporis esse Christum: cuius Spiritus, vt anima corporeis membris vitam, ita fidelibus impertitur gratiam*: eôque *Sanctam esse, quia gratiam sanctitatis, & peccatorum veniam accepit à Christo, à quo sanctificatur, eiúsque sanguine abluitur*: *catholicam* autẽ *dici, quoniam vnius fidei splendore diffunditur ab ortu sõlis ad occasum, complectens quosuis homines, siue barbaros, siue Scythas, siue liberos, siue seruos, siue masculos, siue fœminas: & continens fideles omnes, qui fuerunt ab Adam in hunc vsque diem, quíue sunt futuri, quamdiu mundus extabit, profitentes veram fidem, fundati in Christo, super Apostolorum ac Prophetarum fundamento.* Pius ergo Pontifex & Patres Tridentini censent ecclesiam quæ traditur in Symbolo, corpus esse Christi. Docet autem Scriptura, *totum corpus Christi, sancto spiritu, tanquam anima, viuificari & augeri.* At mali nec augentur nec viuificantur. Non sunt ergo mali pars Christi corporis. Nec igitur ecclesiæ. Pontifex & Patres censent ecclesiam mundatam esse Christi sanguine, sanctitatis imbutam gratia, donatam peccatorum remissione. *Beati* verò *quorum remissa sunt peccata: beati mundo corde, quia Deũ videbunt.* At mali nec beati sunt, nec Deum videbunt. Ergo nec peccata sunt illis remis-

4. Thesis.

Catechism. concil. Trident in exp. Symb.

Eph. 4 16.

Rom. 4. 7. Matth. 5. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Thesis. sa, nec corda purificata. Non sunt igitur pars ecclesię. Pontifex & Patres censent ecclesiam dici catholicam, quia comprehendit fideles vniuersos, à primo ad vltimum, profitentes veram fidem, fundatos in Christo. At mali & hypocritæ, vel non sunt fideles, vel si fideles dici possunt, non profitentur veram fidem, vel si veram profitentur, non fundantur in Christo. Nam *in Christo fundati fundantur in*
Matth. 7. 24. *petra, nec mouebuntur in æternum.* At mali mouebuntur. Non sunt igitur pars ecclesiæ. Essent autem mali necessariò pars ecclesiæ, si nomen ecclesiæ notaret ecclesiam visibilem quam vocamus, è bonis & malis temperatã. Ex quo est consequens, ecclesiam quæ traditur in symbolo fidei, non significare visibilẽ ecclesiam, id est, multitudinem bonorum & malorum, vt somniãt opifices Romanę Mo-
Ioh. 11. 50. narchiæ. Ita, quemadmodum Caiaphas in Euãgelio, quia fuit Pontifex anni illius, quamuis multa perperam dixit contra Christum, tamen illud vnum bene dixit, malè sensit, expedire vt vnus homo moreretur pro populo: similiter Romanus Pontifex & Patres Tridentini, quia fuerunt Põtifices anni illius, etsi perperam ecclesiam sanctam catholicam bonorum & malorum cœtum esse statuerunt, tamen diuina quadam vi ducente vt dicerent melius quàm sentirent, attexuerunt eam interpretationem, quâ suam ipsorum sententiam euerterent, errorem Concilij Constantiensis detegerent, & veritatem sacræ Scripturæ

pturę stabilirent. Quocirca, licet mihi contra Papistas, ex ipso Papa & Concilio Tridentino concludere: solos & cunctos pios & sanctos efficere sanctam catholicam ecclesiam. Sed quia fides nostra non nititur humanis cuiusquam aut Pontificis aut Concilij decretis, quorum Spiritus est in naribus, & domicilia sunt ex luto, & fundamentum est arena: idcirco fixa maneat cõclusio quam præmisi, authore sancto spiritu, qui nobis est loquutus per Apostolos & Prophetas: Sãcta catholica ecclesia, quam credimus, est cœtus vniuersus electorum Dei. At de prima Thesi dictum sit hactenus. 4. Thesis.

Sequitur secunda: *Romana ecclesia nec est ecclesia catholica, nec sanum membrum catholicæ.* 5 Thesis. Cuius sententiæ vim & veritatem quo cernamus melius, origines ecclesiarum particularium paulo altius sunt repetendæ. Deus ecclesiam sanctam catholicam, electã ab æterno hæredem sui regni, vt in cœlesti gloria cũ ipso & electis angelis triumphet, primùm in terras mittit tãquam in castra, vbi sub vexillo Christi Deo militet, contra carnem, mundũ, Satanam, & potestates tenebrarum: vt victrix à militia veniat ad triumphum, & certet legitimè priusquam coronetur. Ad huius militiæ laborem obeundum, quo fiat valentior, aptior, instructior: Deus verbo suo per sanctũ Spiritum efficaciter agente, [a] regignit eam, vt semine: [b] nutrit, vt lacte: [c] confirmat, vt cibo solido: [d] armat, vt gladio spirituali: & fabrica-

a 1. Pet. 1. 23.
b 1. Cor. 3. 2.
c Heb. 5. 14.
d Ephe. 6. 17.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Thesis.

tur ei scutũ fidei, quo possit extinguere ignita iacula illius Mali. Atque, quo magis animet ecclesiam aduersus omnes hostium insidias & pericula, notitia rei bellicæ & certa spe victoriæ: Sacramentis eam obligat, vt vinculis obedientiæ, pignoribúsque suæ gratiæ: & suum auxilium in omnibus ærumnis iubet vt imploret, imploranti pollicetur: & disciplinam militarem quâ se contineat in officio, defendátque tutius ab hostibus, præscribit: vniuersam denique militiæ rationem à seipso imperatore summo patefactam ei suo verbo consignatam tradit. Hanc itaque militiam, vt omnes Dei milites qui variis ætatibus varias in oras mittuntur militatum, discerent & exercerent: cœtus, vt ciuiles, huius vitæ tuendæ, sic ecclesiasticos æternæ vitæ gratiâ Deus instituit: in quibus & præfectos esse voluit, qui docerent, & milites, qui docerentur, vtrosque bellatores qui fideliter exercerent & bellum gererent Iehouæ. Isti verò cœtus ecclesiastici, vocantur ecclesiæ: sed ecclesiæ particulares, vt à catholica distinguantur: quia sunt nimirum ecclesię catholicæ variæ partes: vnius corporis, varia mẽbra: vnius exercitus, variæ turmæ. Quæ pro varietate loci & temporis in quibus obeunt militiam, variis nominibus insigniuntur. Pro loci varietate, quę Deum coluit Ierosolymæ, Ierosolymitana: quæ Samariæ, Samaritana: Ephesina, quæ Ephesi: Romana, quę Romæ: quę in Britannia, Gallia, Germania, Britannicæ, Gallicanæ,

canæ, Germanicæ dicuntur. Pro varietate tẽporis, Iudaica sub Mose, sub Dauide, sub Ezechia: Romana, sub Nerone, Constãtino, Bonifacio: Anglicana, sub Henrico, Edoardo, Maria: aut, vtcunque temporum discrimina notentur, solent appellari. Iã, officij quidem ratio postulabat, vt ab ecclesiarum harum vnaquaque diuinitus in eum finem instituta, Dei filij nascerentur, tanquam à matre: Deus coleretur, tanquam à Sponsa: spiritualia Dei bella gererentur, tanquam ab exercitu forti & fideli. Sed *inimicus ille mulieris electæ*, naturâ Satanas, malitia serpens, immanitate Draco, qui mulierem eiúsque semen furiosè persequitur: *serit inter triticum in agro Domini zizania*, id est, suos milites Dei militibus, piis hypocritas permiscet in castris, qui re proditores, commilitones specie, corrumpant exercitum: & ipse cunctis machinis, apertis, clandestinis: per vim, per insidias: modò tyranno rum flammis & ferro, modò voluptatum illecebris & opum, modò religionis & charitatis larua, solicitat fideles vt à Deo deficiãt. Quibus rationibus sæpe consequitur, partim artificio hypocritarum, præsertim quum alicui præficiuntur agmini: partim electorum infirmitate, quos caro & sanguis debiliores faciũt: vt ecclesia quæ Christi militiæ adscripta est, militiæ doctrinam vel nesciat vel negligat: & militet fortasse sub signis ducis sui, sed dissolutius: fortasse à vigilibus aut somnolentis aut perfidis hosti prodatur. Itaque ad extre-

5. Thesis.

Reu. 12. 9. 13. 17.

Matt. 13. 25.

5. Thesis.

mum illud vsu venit, quod in ecclesia Iudaica lamentantur Prophetæ, & ecclesiæ à Christo nato senserunt nimis multæ: vt ecclesia quæ mater esse debuit, sit nouerca, & Christo desponsa fiat adultera, & copiæ militares deserentes datam fidem, rupto vinculo sacramẽti rebellent Altissimo. Sic ecclesias Galatarum, quum euangelio credidissent & dedissent nomina militiæ Christi, mutata sententia traductas esse legimus ab ecclesiæ turbatoribus in aliud euãgelium. Sic ecclesiæ Corinthiorum metuit Apostolus, ne, vt serpens seduxit Euã calliditate sua, ita mentes eorum corrumperentur & desciscerẽt à simplicitate Christianæ fidei. Sic ecclesiam [a] Pergamensem pollutam esse tabe Nicolaitarum: ecclesiam [b] Laodicenam, cæcam, nudam, tepidam, nec frigidam, nec feruidam: ecclesiam [c] Sardensem, ex parte mortuam, ex parte moribundã, ex parte fuisse viuam, ab ipso Christo didicimus. Ergo militantium ecclesiarum cœtus, quos appellamus ecclesias visibiles, quæ bonos cũ malis, electos cum reprobis, fideles cum perfidis, sanctos cum hypocritis, [a] cum frumento paleas, [b] cum tritico zizania, [c] cum vasis aureis & argenteis vasa lignea & testacea, alia ad decus, ad dedecus alia complectuntur: possunt in officio suo languêre, possunt ab officio prorsus deficere, possunt exautorari militiæ sacramento: possunt laborare morbis leuioribus, possunt pestilentia lethali cõtabescere, possunt Christi spiritu priuari & emori. Porrò, quò

Esai. 1. 21. Ezech. 16. 15. Hos. 2. 2. & cæt. passim prophetæ.

Gal. 1. 6.

2. Cor. 11. 3.

a Reu. 2. 15.
b Reu. 3. 15.
c Reu. 3. 2. 4.

a Matth. 3. 12.
b Mat. 13. 27.
c 2. Tim. 2. 20

rò, quò facilior sit iudicandi ratio, quas ecclesias emortuas, quas ægras, quas sanas, existimare debeamus: considerandum est nobis, quæ sint mortis, morborũ, & sanitatis causæ. Horum autem causas, in hominum corporibus, ex semine quo nascimur, & alimento quo nutrimur, manare docent medici. Quorum alterum apparet in morbis hæreditariis, qui propagantur à parẽtibus ad liberos: alterum, vt magnam habet in omnibus, sic in exercitibus vim habere maximam experientia demonstrat. Nam & milites Antonij refert Appianus, quum inopia frumenti radicibus vescerentur, in herbam incidisse, quæ primùm ad furorem eos perduceret, deinceps ad mortem: & Vegetius edicens ne paluſtribus aquis vtatur exercitus, aquæ malæ potum similem veneno ait pestilentia bibentes inficere. Non dissimilis est ratio spiritualis mortis, morborum, sanitatis, in corporibus ecclesiarum. Nã ea, vel integrâ vigent valetudine, vel morbis corripiuntur, vel extinguuntur morte, pro ratione seminis & alimenti sui. Semẽ autem & alimentum quo solent & debent regenerari & enutriri, est *verbum Dei*, vt testatur Petrus, *quod euangelizatur à ministris Iesu Christi.* Quibus igitur in ecclesiis purum, sincerum, incorruptum Dei verbum prædicatur à Ministris, vt in succum & sanguinem vi Sancti spiritus à fidelibus conuertatur: eas ecclesias sanas & valentes, saniores quidem alias aliis, vt verbum purius prædicatur, & Spiritus agit

5. Thesis.

Galẽ. de sanit. tuen. l. 1. c. 2.

Appian. de Bell. Parth.

Veg. de re milit. l. 3. c. 2.

1. Pet. 1. 23. & 2. 2.

5. Thesis. efficaciùs, sed eas omnes sanas agnoscere debemus. Vbi verò Dei verbum aut neutiquam prædicatur, vt inualescat fames, aut adulteratur verbo humano, tanquam seu fermento, seu lolio, seu veneno: quemadmodũ qui nullo pabulo vescuntur periclitantur inedia, qui panem edunt è frumento & lolio cõfectum in leuem incidunt insaniam: ita necesse est illas ecclesias, vel nullo vel impuro pastas alimento, morbis obnoxias & morti finitimas esse iudicemus. Nam inopiam verbi afferre

Amo. 8. 11. perniciem docet Amos Propheta, quum indicat Israeli, *Deum immissurum famem & sitim audiendi verbum Domini: quod vbi passim quærerent, nec vsquam inuenirent, futurum vt virgines & iuuenes ea siti deficerent & caderent, nec resurgerent amplius.* Verbi verò corruptelam non minus esse pestiferam, notat Paulus Apostolus, quum monet Timotheum, *eos qui docent*

1. Tim. 6. 3. *aliam doctrinam, nec accedunt sanis Christi sermonibus & doctrinæ pietatis, ægrotare & insanire circa noxias ineptias*, quæ Dei fidem non ædi-

2. Tim. 2. 17. ficant: vsque adeò, vt *eorum sermo depascat tanquam gangræna*, quæ, quum vnam partem corporis inuaserit, partes sibi proximas exedit gradatim, quoad totum corpus tandem absumatur. Quod quidem si contigerit, (contingit autem necessariò nisi corpori maturè medicina fiat opportuno remedio) quæ fuit corpus, fit cadauer, & esse desinit ecclesia: deferitur ab anima, id est, à Dei Spiritu, & à

Spiritus organo, id est, à Dei verbo. Atque 5. Thesis.
hunc interitum Christus minatus est nõ solùm in ecclesia vetere Iudæis quum ipsum Messiam aspernarentur, *Ideo tolletur à vobis regnum Dei, & dabitur genti quæ ferat eius fructus*: sed etiam in ecclesia noua Ephesiis, vt Mart. 21. 43.
eorum angelo denuntiatur, *Nisi resipueris veniam contra te citò, & mouebo candelabrum tuum è loco suo.* Quæ duo vaticinia Christi Seruatoris, duarum ecclesiarum interitus comprobauit: ecclesiæ Iudaicæ paucis pòst annis, quum ab illis euangelium ad gentes transferretur: Ecclesiæ Ephesinæ multis pòst sæculis, quum morbis variarum hæresium conflictata, Mahometana peste pridem extincta est. Ac ità quàm breuissimè potui declaraui, quo sensu dicantur ecclesiæ particulares membra catholicæ: quemadmodum ad Dei cultum discendum & exercendum sint institutæ: quo pacto mixtos habeãt bonos cum malis, pios cum hypocritis: quæ denique sit earum valetudo, qui morbi, quando minus sanæ, quãdo sanæ sint putandæ. Quibus intellectis leuior erit labor explicandæ Thesis: cuius duæ stirpes quibus radicibus nitantur, iam videtis. Ecclesia Romana non est ecclesia catholica: non est sanum membrum ecclesiæ catholicę. Ecclesia Romana non est ecclesia catholica. Quid euidentius? Nam Catholica, vniuersalis est: particularis, Romana. Vt mihi monstra loqui videatur noster Bristous, & populus Brist. in Mot. 12.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Thesis.

Pontificius, qui dicunt, idem esse, Romanam ecclesiam, & ecclesiam catholicam. Dicet quispiam fortassis, eos quum Romanam appellant catholicam, significare sanam & orthodoxam, quæ catholicam tenet fidem: quo modo ius Cęsareum catholicos Christianos, & ecclesiam Africanam catholicam nominat Cyprianus. Falsum id quidem. Etenim Romanam appellant catholicam, vt insinuent imperitis, eam esse ecclesiam extra quam sit nulla salus. At extra Romanam ecclesiam seruati sunt & seruabuntur innumeri: extra catholicam prorsus nemo. Sed esto, Catholicâ significent orthodoxam. Nego Romanam esse orthodoxam: ídque parte altera Thesis comprehendo, Non est sanum membrum ecclesiæ catholicæ. Quum autem inficior eã esse sanum membrum catholicæ: non intelligo lãguêre morbo leuiculo, aut infirmitate non periculosa: quæ minuisse potius sanitatem optimam, quàm omnem sanitatem adeemisse videatur. Nam, vt Galenus de sanitate corporis constituit, satis amplam eius esse latitudinem & quasi quosdam gradus perfectionis, vt sani sint qui possunt obire vitæ functiones, licet absolutissima sanitate non fruantur: sic in ecclesiarum sanitate esse quosdam esse gradus integritatis, vt ea sint sanæ, quæ spiritualis vitæ functiones obeunt nõ incommodè, licèt exquisitissimam sanitatem non attingãt. Ob eámque causam & nostras ecclesias, quamuis intemperiem habeant

Cod. de summa Trin. & fide catholi.

Cypr. epist. 55. edit Pam.

Galẽ. de sanit. tuend. li. 1. c. 4. & 5.

habeant nonnullam è reliquis morborum, quibus ecclesiæ Romanæ contagio vexarat eas ita grauiter, vt plenè conualescere nondum potuerint: & ecclesias Germanicas, quas tentat febricula cõsubstantiationis, modò cæteroqui sanæ & integræ Christianam fidem & charitatem colant, sanas iudicamus. Verùm enimuerò ecclesia Romana, non languet febricula, quæ vitæ functiones non admodum impediat: sed laborat gangræna, vel lepra potius, seu peste verius, vt eius valetudo sit prorsus desperata, nisi Christus cœlestis medicus pharmacis salutaribus ab humoribus pestiferis eam purgarit. Ac ea re pronuntio Romanam ecclesiam non esse sanum mẽbrum ecclesiæ catholicæ. Id autem demonstrabo duabus rationibus, à causis, & effectis: quorũ ex alteris nascuntur morbi: in alteris cernuntur: ex vtrisque probantur certò. Vtinam liceret illis explicandis fusius insistere, pro eo ac rerum postulat magnitudo. Sed mos gerendus est tempori. Dabitis itaque mihi, spero, veniam, quòd ea libem cursim, vt canis Nilum. Ego digitum ad fontes intendam: vos ex vnguibus leonem æstimate. Causas efficientes morborum ecclesiæ, manifestò constat, vti prius attigi, esse verbi Dei vel corruptelam vel famem. Vnde Christus qui iubet *oues suas pasci*, iubet vt *ea seruare doceantur, quæ mandauit ipse suis Apostolis*: & Petrus, fideles *regenitos è verbo Dei*, hortatur vt *ex de-*

5. Thesis.

Append apolog. eccle. Angl.

Apolog. eccl. Angl.

Ioh. 21. 15. Mat. 28. 20. 1. Petr. 1. 2 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Thesis. 1. Pet. 2. 2. Mat. 23. 2. Mat. 16. 6.

tant verbi lac sincerum, nullóque dolo vitiatum, quo per illud adolescant: & discipuli qui monentur *audire Pharisæos sedentes in Moysis cathedra,* monentur vt *caueant à fermento Pharisæorum & Saducæorum.* Vt igitur ecclesia sanitatem seruet integram: oportet verbi Dei neque corruptela, neque fame conflictetur. At ecclesia Romana, cùm inuehit, tùm defendit & tenet mordicus vt salutarem, non modò

a Cõc. Trid. Sess. 4. b 3. Esdr. 4. 43. & 5. 73. & pas. Eccle siastic. 46. 23. & 48. 19. 2. Machab. 1. 19 & 2. 1. c 4. Esdr. 10. 22. & 2. Macchab. 2. 4. 1. Mach. 6. 8. & 2. Mach. 1. 16. & 9. 5. de Antiocho. d Iudaicæ. Hie. præf. in Iudith. cæt. libr. apocr. Iosephus cõtra. Apion. li. 1. And. defens. Tri fid. lib. e Concil. Laod. can. 59. Athanas. in synopsi. sacra scriptura. Epipha. lib. de mensur. & ponder. Hieron præfat. in libros Trid. Sess. 4.

corruptelam, sed etiam famem verbi. Ergo non solùm non satis sana, verùm etiam furiosa & phrenetica iudicanda est. Nam corruptelam inuehit, vt à priore ordiar, adulterando verbum Dei verbo humano, non vno modo, sed multifariam. Primò, quum a *libris Apocryphis*, id est humanis, *authoritatem tribuit canonicam*, id est, diuinam. Contra veritatem sacræ scripturæ, b cui quædam in apocryphis liquidò refragantur: contra perspicuam rerum euidentiã c quę mutuâ repugnantiâ produnt homines authores: contra testatissimam vocem ecclesiæ, d Veteris vniuersæ, & e optimæ partis nouæ. Secundò quum humanas f *traditiones pari pietatis affectu & reuerentia suscipit eum scriptura.* Quasi non g sufficeret ad fidem & mores sacra scriptura, perfectissima, Dei norma, canon sapientię, regula iustitiæ: aut posset Dei spiritus sibi contradicere,

Salomon. Vide Franc Iun. in libr. Apocryph. f Conc. g 2. Tim 3. 16. vide 1. Thesim.

quod innuunt traditiones, quarum aliæ inter se, cũ scriptura pugnant aliæ. Næ magno res hæc agitur cũ periculo scripturæ, quæ Romæ non maiore suscipitur reuerentia, quàm traditiones. Traditiones autẽ non omnes ibi coli, eh Basilio & i Epiphanio, k quos citant ipsi, clarum est. Tertio, quum l *veterem sacrorum Bibliorum versionem latinam*, quam vulgo tribuunt Hieronymo, m *iubet suscipi vbique vt sacram & canonicam*, n *nec vnquam vllo prætextu reiici.* Quam tamen, vt omittam o Hieronymi p priscorúmque Patrum iudicium: inter ipsos Pontificios linguarum peritissimi, q Pagninus in vetere, r Budæus in nouo: s Iacobus Andradius, & t Arias Montanus in vtroque Testamento, nonnunquam à sententia sancti Spiritus, non modo verbis agnoscunt aberrasse. Quartò, quum u *sensum in expositione scripturæ solum approbat, eum quem ecclesia tenet Romana, aut Patrum vnanimis tradit consensus.* Quo decreto efficitur vt sensus sancti Spiritus sæpe repudietur, humani verò sensus, quamuis sibi contrarij, tamen si pro tempore currant & practicentur, vt loquitur Cusanus Cardinalis, sint authẽtici: quę Scholastici Theologi cùm è Philosophorum, tum è suis lacunis inferserunt verbo Dei, pro sacris habeantur: quæ nonnulli patres tractarunt sanius, spernantur vt humana, licet consona sint diuinis: in quibus autem humano vel affectu vel ratione ducti claudicarunt, illis stetur vt diuinis, etsi dicta sint humani-

5. Thesis.

h Basil. de Spir. Sanct. cap. 27. i Epiph. cõt. hær. l. 2. h. 75. k Brist. in Mot. 9. & 46. & Andr. def. fid. Trid. l. 2. l Cõc. Trid. Sess. 4. m Decre. 1. n Decre. 2. o Commẽt. in Prophe. & Nou. Testã. p Ang. de doctr. Christ. l. 2. ca. 15. Hilar. in 2. psal. &c. qui magis probant 70. interpret. vid. Aug. de ciu. Dei lib. 18. cap. 43. q In epist. ad Clemẽt. sep tim. r Annot. pri. in Pandect. s Defens. fid. Trid. lib. 4. t Th. 1. Bibl. Reg. in præf. u Cõc. Trid. Sess. 4 dec. 2. Cusan. in epist. 2. ad Bohem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Thesis. Conc. Trid. Sess. 6. c. 10.

tus. Quinto, quum *sacro sanctis Dei mandatis adiungit mandata ecclesiæ*, id est hominum, cúque, quod maius est, non vt ἀδιάφορα, sed vt ad salutem pariter necessaria. Ita, quicquid demum sordium inuexerit, nomine deuotionis reuerâ superstitionis, id omne iudicabitur pura religio: & frustra coletur dominus à nobis, velut olim à Iudæis, mandatis hominum: & bonæ intentiones, vt nominatur vulgò, quas execratur Deus, præferentur obedientiæ: & cultus voluntarij quos scriptura detestatur, erigentur in ecclesia, vt sanctitas sanctitatis. Sextò, quum a *imagines statuit in Templis, ad populum erudiendum*: tanquam libros, vt b cuidam videntur idiotarum. Miseros idiotas quibus erudiendis adhibetur lignum c eruditio vanitatum: quorum magister est simulachrum, d magister mendacij, si credimus Prophetis. Et miramur eos esse discipulos peruersitatum: quos eruditunt idôla muta, doctores errorum? Corruptelam itaque verbi diuini tantam importauit ecclesia Romana, quum libris apocryphis, qua traditionibus, qua vitiis interpretis, qua sensu pontificio, qua mandatis ecclesiæ, qua magistris idiotarum: vt alimentum vitæ non sordibus, sed venenis, & vinum lehouæ non aquâ, sed toxico, & panem Iesu Christi non fermento, sed aconito permiscuisse videatur. Verbi verò famem quam morborum alteram causam esse dicui, quantam importarit Reipublicæ Christianæ, maiores nostri senserunt diu, & grandes

Mat. 15. 9. 1. Sam. 15. 23. Col. 2. 23.

a Cõc. Trid. Sess. 25.
b Greg. epist. 9. ca. 9.
c Ier. 10, 8.

d Abac. 2 18.

des natu meminisse possunt, & ecclesiasticæ testantur historiæ, & sciunt ecclesiæ quas Romanum premit iugum. Nam etsi nonnunquam, alicubi, fortasis partem exiguam verbi Dei, si tamen verbũ Dei dicendum est, quod hominũ commenta magis sapuit, quàm Deum, permisit apud populum à cuiusmodicunque præconibus attingi: tamẽ illam copiam & vbertatem, quam requirit Apostolus in populo Christiano, quum dicit Colossensibus, *Verbum Christi habitet in vobis abundanter cum omni sapientia*: non modò non permisit, sed etiam impediuit tam inhumaniter quàm impiè, ac ne adhuc quidem impedire cessat. Cùm enim hæc Vbertas fidelibus acquiratur duobus modis potissimum, audiendo & legendo, quorum alterius in publicis conuentibus ecclesiasticis, alterius cuique domi priuatim facultatem, & a instituit sanctus Spiritus & b vsurparunt sancti cœtus & c approbauit sancta ecclesia: Romani nostri prætexentes semina iactum iri confusionis horrendæ, & *ecclesiam Babyloni futuram similem non Ierosolymæ*, vt ait d Hosius Cardinalis, *si linguis vernaculis legantur sacræ literæ* lingua peregrina, quam populus non intelligit, cum obsignatas eas seruant, vt videntes non legant, tum recitant in ecclesiis vt audientes non audiant. Vtrum maiore contumelia in Deum, an iniuria in populum, difficile est dictu: cùm expressum habeant Dei mandatum, *cuncta esse facienda ad ædificationem*: non autem intel-

5. Thesis.

Colos. 3. 16.

a Deu. 6. 9. & 11. 18. & 31. 11. Luc. 11. 28. Reu. 1. 3.
b Nehe. 8. 9. Luc. 4. 17. Act. 8. 30 & 13 15. & 17. 11
c Hie. in ep. ad Letam de inst. filiæ ad Demetr. de virg. ad Fur. de vid. seru. Chrysosto. proem. in epist. ad Rõ. in c. ad Colos. Hom. 9. & pass. Bern. ad sor. de mod. bene. viu. ser. 50 & vniu. eccl. prim. H. br. Græc. lat.
d Dia. de sac. vetn. leg.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Thesis.

1. Cor. 14. 26. Gen 11. 7. Esai 28. 11.

lecta, credo, non ædificēt, ne *Babylonem* quidem. Sed isto modo fideles non possunt audire publicè Dei verbum, quia *lingua exotica & peregrino sermone* loquentem eum audiunt. Quod inflixit Deus Iudæis, vt suppliciū: Isti Christianis obtrudunt, vt beneficium. Priuatim verò legere multo possunt minus: quia neque vernaculas habent scripturarum interpretationes, & multi parentum nostrorū memoria damnati sunt hæresis, quòd aliquā earum partem in sermonem patrium transtulerint. Quare, cùm vberem verbi Christi copiā, quàm Christiano populo, non procurare facinus est: nō probare, scelus: non permittere, p arricidiū, ecclesia Romana tantum abest vt permittat, vt furialibus edictis & flammis impediat: nihil dicam grauius in eius tyrannidem, sed impudens sit oportet, qui neget eam inuexisse famem verbi vitæ.

Act. & monum. eccles. hist. Ang. in i. reg. Henr. 8

Ergo causæ morborum, cœlestis alimenti partim impuritas, partim penuria, id est, & corruptela & fames verbi Dei, sunt in ecclesia Romana manifestæ. Qualis autem causa, talis effectus: & ex amaris fontibus amaræ manant aquæ. Quo minus est mirandum in effectis eius atque functionibus apparêre perditam valetudinem, qualem ex causis talibus gigni consentaneum est. Ecclesiæ siquidem valentis & sanę, quæ facultates non habet læsas, quatuor præcipuè sunt functiones, vt Acta docent Apostolorum, &

Act. 2. 42. & 10. 33. & 20. 7. &c. 1. Cor. 5. 4. & 11. 20. & 14. 26. & 16. 2. &c. 1. Tim. 2. 1. & 3. 15. & tota epist.

5 Thesis.

& epistolæ D. Pauli ad Corinthios & Timotheum: nimirum, vt conuenienter sacro Dei verbo, doctrina fidei prædicetur, sacramenta celebrentur, concipiantur preces, & disciplina exerceatur. At ab ecclesia Romana, neque fides Christi purè prædicatur, neque sacramenta ritè celebrantur, neque religiosè concipiuntur preces, neque disciplina salubriter exercetur. Romana igitur ecclesia non magis sana est, quàm fuit eius filia qui dixit Christo, *Filia mea in extremum addūcta est.* Nam, vt de singulis ordine pauca dicam: Summa doctrinæ Christianæ fidei, est salus fidelium per Iesum Christum agnum Dei: cuius salutis [a] originem petunt à Dei gratia, [b] subsidiam ponunt in Dei iustitia, [c] finem autem referunt ad Dei gloriam sacræ scripturæ. Hæc sancta religio, quæ proram & puppim salutis facit Deum, totum ei tribuens, hominibúsque detrahens, vt Iehoua solo non carne confidamus: plus satis Christianam sapit modestiam, non satis Romanæ facit superbię. Eáque propter, quemadmodum Prometheus in fabulis Græcorum, tribuisse fertur è sacrificio partem Ioui, partem sibi: ita Pontificiæ Prometheus eccl[e]siæ, in sacris Romanorum, salutis originem partim Dei gratiæ, partim viribus naturæ, salutis substantiam partim Dei iustitiæ, partim meritis humanis: salutis nostræ finem partim Dei, gloriæ partim creaturarū cultui assignat. Nec ista facit vnus quispiam Prometheus, vel Epimetheus potius, sed Epi

Mar. 5. 23.

a Eph. 2. 4.

b Rom. 3. 21.

c Eph. 1. 6.

5. Thesis.

a Catech.ed. ex decret. Cõc.Tri. Andrad.inorthod.explic. Ruar. Tapp. in artic.The. Lou.Card. Hosius in confess. Petric.Ius canonicum.

metheorum vniuersus cœtus & concilium Tridenti: sub obscurius nonnũquam, vt fraudes tegant tenebris, ita tamen, vt a interpretes eorum sensus abditos proferant in lucem. Etenim, principio, b cum Dei gratia coniungunt & consociant vires naturales liberi arbitrij & voluntatis suæ: tanquam adiuuaret tantum infirmam, & excitaret languidã, non corruptam renouaret, & repararet perditam

b Cõcil. Trident. Sess. 6. cap. 5.

voluntatem Deus. Quid, quod & c opera præparationis ab infidelibus volũt fieri, quibus, etsi factis sine fide, non delinquant, immò Dei gratiam sibi concilient? Ita cùm liberi viribus arbitrij, tùm suis operibus præparationis, efficiunt quantum possunt, contẽdunt quidem certè: ne totum Dei gratiæ, quæ cum ipsis est, vt d de seipso dicit Paulus: sed *gratia Dei secum*, vt e interpretis habet error, id est, aliquid Dei gratiæ, aliquid ipsorum merito, saltem vt merito congrui, tribuatur. Dei verò iustitiam, quæ nobis datur in Christo, dum Christi sacrificio pro fidelibus oblato, & Christi obedientia fidelibus imputata, mundamur à peccatis & absoluimur vt iusti coram Dei tribunali, f reijciunt & condemnãt tanquam hæreticam. Eique vel substituunt tanquam inani, vel saltem agglutinant tanquam imperfectę, iustitiam hominum ex suis operibus & meritis condigni: factis Christi gratia, dicent, concedo, sed ex suis tamen ipsorum operibus & meritis condigni, quę vocant Scholastici, id est, quorum dignitas æternam

c Sess. ead. cap. 6. Hosius confess. To. 2. cap. 13. Vid. Kemni. in exa. Cõc. Tr.

d 1. Cor. 15. 10.

e vulgat. interp.

f Trid. Cõc. Sess. 6. cap. 7. & can. 11.

nam viram mereatur: vt eâ, non ex dono, sed ex debito, ex suo merito non ex Christi; *tanquam triumphatores, non tanquam petitores, non tanquam pauperes, sed tanquam victores*, g vt gloriatur theologia Louaniensis, potiantur. Itaque non solùm extenuant dignitatem meritorum Christi, vsque adeò vt suppleant eorum infirmitatem h suis meritis & alienis, operibus debitis & indebitis, sacrificiis, indulgentiis, peregrinationibus, thesauris ecclesię, precibus Sanctorum, satisfactionibus denique, dum viuunt, & pœnis post mortem in purgatorio: verùm etiam extollunt ad sidera dignitatem meritorum suorum, quibus non solùm i se posse perfectè præstare legem Dei, & k *Verè promereri vitam æternam*: sed etiam l plus præstare quàm lege Dei tenentur, & supererogare, quo iuuent alios suis meritis, superbissimè profitentur. Vnde fit vt peccata quoque sua non minus deprimant, quàm virtutes exaggerent: neque modò m venialia faciant ex mortalibus, & n præcepta Dei nostri transformentur in consilia, sed etiam o concupiscentiam peccatum esse negent, & furias cupiditatum, quibus simulari legi Dei rebellamus, ab impuritate criminis absoluãt. Quâ doctrinâ, quantumcunque suis, siue meritis adijciant, siue detrahãt peccatis, dum ex operibus iustificari volunt: nihil aliud assequuntur, quàm vt incredibili carnificina conscientiæ, perpetuò diffidant & dubitent de salute, quod ne ipsi quidem negant, p immò docent

g In expl. articu. sacr. Th. Lou. Ruard. Tapper. Tõ. 2. Artic. 9.

h Cõc. Trid. Sess. 14. cap. 8. & 9 Sess. 21. cap. 9. Sess. 22. cap. 2. & 6. Sess. 25. Decr. de Purg. & de indulg.

i Sess. 6. cap. 11.

k Sess. ead. cap. 16.

l Sess. 22. cap. 9. Hos. cõfes. Pet. Tom. 1. cap. 48. Extra c. vnigenitus de pœnit. & remiss.

m Sess. 14. cap. 5.

n Sess. 25. de reg. ca. 1. vid. Clement. ca. Exiui.

o Sess. 5. de pecc. orig. Artic 5.

p Sess. 6 cap. 9 & 12. & 13. & 16.

Universidad de Deusto
Biblioteca

4. Thesis.

diffidendum, quia nesciunt an satis meritorum habeant: vt eorum doctrina, non doctrina fidei, sed diffidentiæ vocanda iure videatur. Quis autem miretur eos qui tantum detrahũt de Dei iustitia: non minus delibare de Dei gloria? Cuius cultum communicant, non dico [q] cum sanctis, cum electis Angelis, cum beata virgine, [r] quam vacuitate ab omnibus peccatis adæquant Iesu Christo: sed quòd est indignius, [s] cum reliquiis, cum imaginibus, cum quisquiliis quisquiliarum, & sordibus abiectissimis: contra Domini mandatum, *Deo soli seruies.* Distinguunt, fateor istis tribui cultum duliæ, soli Deo reseruari cultum latriæ: Futiliter, & falsò. Nam cultum latriæ qui vero Deo debetur, non tantùm [t] eucharistiæ deferunt sacramento: in quo se excusabunt [u] quòd ipsam esse Dominum & Deum suum statuant: sed etiam cruci Christi, immò crucis effigiei ligneo simulachro: quemadmodum [x] Angelicus Doctor, Thomas Aquinas, in summa Theologica docet & confirmat, ab vsu ecclesię, idque [y] Caietanus Cardinalis laudat, nec [z] Andradius diffitetur, sed defendit strenuè. Quare, quum vniuersa doctrina fidei Christianæ, nostram miseriam & Dei bonitatem, nostram malitiam & Dei misericordiam ob oculos nobis ponat, vt per cognitionem Dei & nostri, piè de Deo, summisse de nobis ipsis sentientes, à Dei gratia, per Dei iustitiam, ad Dei gloriam, salutem nobis dari in Christo confidamus: ecqua tandem

q Sess. 25. Decr 2.
r Sess. 5. art 5. & Sess. 6. cã. 23
Mat. 4. 10.
Scholast. in magistr. sent. lib. 3. dist. 9.
t Cõc. tridet. Sess 13. cap. 5.
u Brist. mot. 26.
x In sum. The. 1. part. 3. quæst. 25. artic. 4.
y Comment. in Sum. Tho. Aqu.
z In orthod. explic. lib. 9.

dem ei potest esse communio cum Tridentinę fidei doctrina? quæ pro religione superstitionem, pro modestia, superbiam, pro fiducia diffidentiam, pro Christiana pietate vanitatem Pharisaicã, id est, vt verbo finiam, pro fide perfidiam seminare conatur? Iam, quid ego dicam de Sacramentis? vt sacros illos ritus, ad obsignandam Dei gratiam à Christo nobis traditos, amplificarint numero, minuerint efficacia, peruerterint erroribus, polluerint ceremoniis, inuentis hominum inquinarint, & spoliarint suo fructu dum linguâ celebrant non intellecta. Quibus detrimẽtis, vt omittam quàm grauiter atque pestilenter afflixerint Baptismum, cuius tamen animam atque substantiam diuina misericordia conseruauit integram: sacrosanctam cœnam Domini tot ac tantis errorum abusuúmque corruptelis tam fœdè contaminarunt, vt nullum propemodum Cœnæ vestigium in ea possit deprehendi. Nam ex sacramento fecerunt sacrificium, non gratiarum actionis, sed propitiatorium, nec propitiatorium vt adumbrans Christũ, sed verè & propriè propitiatorium: quod offerat sacrificus, quasi nouus sacerdos secundum ordinem Melchisedec, non solùm pro viuis, sed etiam pro defunctis: nec pro viuis solùm & defunctis, vt seruentur, sed [a] vt porcos etiã liberent à morbis, & [b] pro quibuscũque necessitatibus aliis. Vnicam illam hostiam, quę semel oblata sanctificauit credentes in æternum, [c] sacrificant

5. Thesis.
Cõcil. Trid. Sess. 7. de sacram. in gen. Can. 1. & 5. & 11. & 13.
Sess. 22. cap. 1. & 2.
a Missa de Sancto Antonio.
c Cap. 1. & 2.

de integro, & exinaniunt mortem Christi: Tollunt humanam Christi naturam [d] reali præsentia. Tollunt rationem omnem sacramenti [e] Transubstantiatione. Tollunt germanum comunionis vsum, [f] Missis priuatis. Tollunt institutum Seruatoris nostri, tollunt singulare solatiũ fideliũ, tollunt dulcissimũ salutis testimoniũ, [g] Communione manca sub vna tantùm specie. Tollunt propè dixerim, religionem ipsam, profanant quidẽ certè sacrilegio plus quàm ethnicę superstitionis, dũ circumgestant panẽ quẽ Christi vocant corpus, [h] in processionibus, vt adoretur tãquam Deus & [i] ante Romanum pontificẽ in equo, cuius laternis & tintinnabulis, non multo secus atque [k] Persæ gestabant ignẽ Deum suũ ante regem Persarum. In precibus verò publicis, quæ sunt institutæ, vt vniuersus cœtus populi Christiani, quasi manu facta, sicut loquitur [l] Tertullianus ad Deum precationibus ambiant orantes, cũmque venerentur: Romani nostri, non contenti fraudasse Deũ sua gloria, [m] colentes precibus creaturas, cásque mutas quod est turpius, oleũ, saxa, curces, idola, *dicentes ligno, pater meus es, & lapidi, Tu peperisti me*, [n] vt illi apud Ieremiã: fraudant Dei populũ suo cùm officio, tũ subsidio pietatis, [o] precantes linguâ peregrinâ, quâ neque potest vnâ populus precari, nec excitari prorsus ad studium pietatis. Nam, illa, leuia sunt inistis vitia [p] orata pro mortuis, vt eruantur è purga-

5 Thesis.
d Sess. 13. c. 1.
e Sess. ead. cap. 4.
f Sess. 22. c. 6.
g Sess. 21. c. 2
h Sess. 13. c. 8
i Magist. Ceremon. sacr. Rom. eccl. li. 1. Sect. 2 & 5.
k Q. Curt. lib. 3.
l In Apol. g.
m Conc. Tri. Sess. 25 Andr. ortho. expli. lib. ff
n Iere. 2. 27.
o Conc. Tri. Sess. 22. c. 8.
p Sess. 25. in Dec. de pur.

purgatorio: [q] docere homines Βαττολογίαν, religionis prætextu. [r] *Quæ filo insertis numerat sua murmura baccis.*

Quanquam eorum alterum, sine verbo Dei, alterum, [s] contra verbum est: [t] ó que neutrum ex fide est: [u] eóque vtrumque peccatum est. Sed hæc in istis tolerabilia colorem saltem habent aliquem seu consuetudinis antiquæ, seu rationis humanæ, seu zeli sine scientia. Precari verò Deum non intellectis sonis, more [p] sittacorum, ratione tam absurdũ est, religione tam impium, tã contrar ũ expresso & [x] Domini mandato, & [y] Apostoli iudicio, & [z] exemplo ecclesiæ, non dico ecclesię Iudaicę, nõ Syrię, nõ Græcę, nõ Latinę, sed ecclesię cuiusuis & cuiusque, ab orbe cõdito, ad superiora tenebricosa secula, quibus ecclesiã inundarũt Barbari: vt id qui faciãt, desipere: qui defendant, insanire cum ratione velle videantur. Reliquum est, vt agam de disciplinâ: cuius ea ratio in sacris literis præscripta est, vt ecclesia gubernetur, [a] à Dei ministris, [b] ex Dei legibus, [c] ad salutẽ populi Dei. Quid autẽ horum obseruatur in ecclesia Romana? Vbi Dei ministri remouentur à gubernaculis per Romanũ pontificẽ: qui, nõ Senator voluntarius, vt ait Cicero de Asinio, lectus ipse à se, sed voluntarius tyrannus sumit imperiũ in vniuersã ecclesiam: qui vt assequatur quẽ ambit dominatũ reiecta stultitia [d] Pauli & [e] Petri, [f] nec se

5 Thesis.
q Psalteriũ Iesu, vt inscribitur impress. Antu. Mat. 6. 7.
r Baptist. Mant. Alfo. lib. 4.
s Ma. 6 7.
t Rom. 10 17
u Rõ. 14. 23.
x 1. Cor. 14. ver. 27.
y ver. 19.
z ver. 16. Iustin & Tertu. in apolog & Hist. eccle.
a Num. 3. 10. Heb. 5. 4.
b Exo. 25. 39 Mat. 28. 20.
c 1. Cor. 12. 7 Ephe. 4. 12 Cic. Phili 13.
d Rom. 13. 1.
e 1. Per. 2. 13.
f e significatu & c. dili genti de foro compet.

5. Thesis.

nec suos patitur *subijci potestatibus superemi-*
nentibus: qui g potestatē sibi tribuit conferen-
di & auferendi principatus & regna totius
orbis terræ, ius omne regum omnium à se
pendere statuens: qui duos sibi gladios h spiri-
tualem & tēporalem ausus est vēdicare? (quid
autem ille non audeat,) ídque i ex euangelio,
dicentibus Apostolis, *Ecce duo gladij hîc*: qui
gladio temporali, ex parte regibus commis-
so, ex parte sibi reseruato, k spiritualem gla-
dium episcoporum omnium & presbytero-
rum in suam condidit vaginam: qui l Cardi-
nales sibi fecit ex ecclesiæ ministris m æqua-
les Regum, custodes principum, protectores
gentium, dignum Tarquinio suo senatum:
qui n summos imperatores, qui o cunctos e-
piscopos, qui p respublicas, ecclesias, Acade-
mias christianas iureiurando adigit in suam
obedientiam: qui q recipit ad oscula beatorū
pedum, non r Cornelium Centurionē, quod
tamen nunquam fecisset Petrus, sed dom-
nos centurionum, monarchas & Cæsares,
Augustos, & Augustas: qui denique s regali
comitatu & amictu, non seruis, sed nobilibus
viris famulantibus, t non vno, sed triplici re-
dimitus diademate, u vocatus à parasitis *Do-*
minus Deus noster, x à grauibus doctoribus

g c. ad apostolicę de re. iudin. sexto. Clement. ca. Pastoralis de reiud. Franc. Gom. in Hist. occ. Ind. cap. 101.

h Extra. cap. vnā sanctam de maiorit. & obedient.

i Luc. 22. 38.

k Dist 19 & 21. & 22. & c. significasti. de election.

l Ouphr. in voc. eccles. interp. & de orig. Cardin

m Lib 1. & 3. sacrar. cerē. eccl Rom.

n Clemēte. c. Romani. de Iureiur.

o 2. Ego N. episcopus. de iureiur.

p Conc. Tri. Sess. 25 de reform. c. 2. & Bulla. Pii. 4. de iur. form. in appendice Cōcil Trid.

q Lib. sacra. cerem. Rom. eccle. li 1 sect. 5.

r Act. 10. 26.

s Sacr. ceremon. Rom. eccle. & Platin. de v. t. Pont.

t Bapt Ment. ad Innoc. 8.

u Canonist. extra. Ioh. 22. cum inter in Glossa.

x Thom. Stapleton in princip. fid. doctr. præf. ad Gregor. 13. Mariam. Victor. in Tom. 4. operum D. Hier. præf. ad Pium. Quint. opti-

optimus maximus, y luxu tumescens & fastu
splendens Persico:

z *Et tunicæ gemmas, & a habent redimicula mi-* (træ
Clara micante auro, flammásque imitāte b pyropo,
O verè Phrygiæ, neque enim Phryges:

Christi politiam ecclesiasticam, ordinatissi-
mam vt aciem castrorum, tanquam aliquo
Circēo poculo conuertit in visibilem Mo-
narchiam & c *regnum Romanorum.* Atque vt
illud vetus dictum impleretur, Nouus rex,
noua lex: qualia labra, tales lactucas: pro le-
gibus diuinis, quibus suam Dominus eccle-
siam regi voluit, leges pontificias, & pro Ca-
nonicis scripturis nouum ius Canonicum, ad
gubernandum regnum suum tulit nouus Pō-
tifex. De cuius iuris iniustitia, (ne cuiquā vi-
dear, vt sutor vltra crepidam, ea reprehendere
quæ forsan ignoro:) malo sententiā doctissi-
mi professoris iuris prudentię, quam meā au-
diatis. Franciscus Duarenus homo peritissi-
mus vtriusque iuris, & iuris consultorū me-
moriæ nostræ princeps, emisit in lucem opus
eruditum *de sacris ecclesiæ ministerijs ac benefi-*
cijs, quasi quoddam compendium iuris Ca-
nonici: probatum iudicio Parisiensis curiæ,
munitum priuilegio regis Gallorū, vt nemo
suspectum habere possit merito vel authorē,
vel opus tanquam hæreticum. In eius ergo
libri præfatione, postquam docuisset vniuer-
sum ius Canonicum contineri *Decretis* col-
lectis à Gratiano, & epistolis *Decretalibus* Ro
manorum Pontificum: adiungit, *in illis quin-*

5. Thesis.

y Bapt. Mānt. Alph. lib. 4.

z Bernar. l. 4. de consid. ad Eug.

a Platin. de vit. pont in Paulo 2.

b Platina in vita Clementis quint.

c Frā Turriā. de ecclesia & ord. min. l. 1. c. 2.

Fra Duar. præf. De sacr. ecclesi. min. ac ben.

Universidad de Deusto
Biblioteca

5. Thesis.

que libris decretalium, quos edidit Gregorius nonus, esse multa, quæ multum degenerent ab illa prisca disciplina, quam liber continet Decretorũ. Ex eóque natum esse commemorat *tritum apud Gallos, & vulgo iactatum quasi proverbium: Malè cum humanis rebus actũ esse, ex quo decretis alæ accesserunt:* id est, ex quo Decretis successêre Decretales, quæ vocãtur, epistolæ. Siquidem, *antiquã simplicitatem ab ecclesiasticis causis auolasse,* quum illæ Decretorũ alæ nascerentur: *vt sôlent res humanæ labi in deterius: sic omnia fatis in peius ruere, & retrò sublapsâ referri.* Porrò *Decretalium sextum, quem adiecit Bonifacius octauus,* ait Duarenus *nunquam fuisse receptum in Francia: quòd eius pleræque constitutiones in odium Philippi Francorum regis editæ, & ad Romanæ aulæ quæstum excogitatæ credarentur. Ne Clementinas quidem & Extrauagantes, quæ* postremum occupant locum Decretalium, *similibus vacare vitijs & nævis:* immò *posteriora Pontificum sanctiones esse plerunque prioribus potiores.* Et hoc est ius canonicum, hæ leges Pontificiæ, quibus licet admodũ indignis ecclesia, Duareno iudice, tamen ecclesia Romana gubernatur, vt [a] *decreta,* quæ puriora sunt *minus habeant authoritatis: decretales,* quæ minus puræ, *magis firmæ sint & authẽticæ.* Quid, quòd eò res euasit, vt epistolas Romanorum Pontificum *Decretales,* [b] Gratianus, in aureo suo fundamento iuris Canonici, voluerit habe-

a Lancelot. lib. 3. comment. Instit. Iur. Can.

b Distinct. 19 ca. In Canonicis

pro sacrosanctis, & *inter Canonicas scripturas numerari?* Cuius ad rei fidem faciendam turpissimè corrupit atque deprauauit sententiam [c] Augustini. Verùm, non successit. Vt ipsos Pontificios [d] Alfonsum & [e] Andradium eius aut flagitij aut errati pudeat. Manent igitur Decretales, non in ipso quidem scripturarum canone, qua de spe Gigantes, diuisis linguis, sunt deiecti: sed authoritate tamen æquales Canonicis scripturis, & in ecclesiasticis causis decidendis superiores, Romæ. Etenim, quod olim questus est [f] Bernardus apud Eugenium, id apud quemuis Romanum Pontificem, si reuiuiscceret, queri posset: *Quotidie perstrepunt in tuo palatio, leges, non Domini, sed Iustiniani. Iustène: tu videris. Nam certè lex Domini immaculata, conuertens animas. Hæ autem non tam leges quàm lites sunt, & cauillationes subuertẽtes iudicium.* Quin & *modus ille frequentatur in causis agitandis, est execrabilis planè, & qui non dico ecclesiam sed nec fôrum deceret.* Modum autem eum significat Bernardus, quem [g] Romana Cancellaria, [h] quamuis nondum adultum ad eam magnitudinem, ad quam excreuit postea, tamen multò prius in lucem ediderat: nempè [i] qui teritur in litigiosis *aduocatorum disputationibus & verborum pugnis, aptioribus ad subuertendam quàm inueniendam veritatem, in actionibus causidicorum, qui struunt calum-*

5. Thesis.

c De doct. Christ. lib. 2. cap. 8.

d Alfons. de cast. adu hæ. l. 1. cap. 2.

e Andr. Defens. Trid. l. 3.

f De cõsid. ad Eugen. lib. 1.

g Pract. ca. Cnc. Apost.

h Lud. Gomess. præm. regul Cancel Apost.

i Bernar. ibidem. & l. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nias innocentiæ, obstruunt vias iudicij, de-
struunt simplicitatem veritatis, in frustra-
torijs dilationibus, & similibus aucupiis pecu-
niarum & litium: *quæ manarunt è legibus, sed*
Iustiniani, quemadmodum Bernardo videtur,
non Domini. Isiis ergo legibus Pontifex Ro-
manus, vt ad finem veniam, non ad Christia-
næ Reipublicæ salutem procurandam vtitur,
sed ad satiandam, si tamen *hirudo* satiari pos-
Prou.30.15. Affer, Affer. set, suam & suorum auaritiam, libidinem, am-
bitionem. Quid enim aliud sibi proposuit in-
solentissima belluæ tyrannis, in muneribus,
in censuris, in causis ecclesiasticis? Cur lites
auocauit ad curiam Romanam? Cur reser-
uauit sibi casus? Cur soluit canones pro libi-
to? Cur leges fixit & refixit? k Episcoporum
k Regula 2. Canc. Apost. & quæ sequũtur. electiones ab illis quorum erant, ad seipsum
transtulit: Dei ministros, magistratus, popu-
lum, suo iure fraudauit: greges Iesu Christi
commisit animalibus importunis & stupi-
dis: l collationibus, præuentionibus, proui-
l Decret. ep. Rom. Ponti. & Reg. Cãc. Apost. Vide Instit. Iuris canon. & Fr. Duar. de sac. & eccl minist. ac ben. & Gentiã. Heruet. de repa-rand. eccl. disciplin. sionibus, reseruationibus, translationibus,
permutationibus, expectatiuis gratiis, & com-
mendis, sacerdotia quibus voluit, vt voluit,
addixit: Ordinationes instituit sine titulo, mi-
nisteria sine munere, beneficia sine cura, sa-
crilegia sine pœna: ecclesiæ facultates, id est
pastorum victum & bona pauperum, im-
minuit pensionibus, exhausit Annatis, alie-
nauit vnionibus, iniuriis occupauit, libi-
dinibus profudit, non sine nota publica
m superbiæ,

m superbiæ, n luxuriæ, o rapinæ, p Simoniæ.

Ecclesiæ controuersias in illis locis agi, co
gnosci, decidi, in quibus nascebantur, quod
æquitas, quod ratio, quod pax, quod iudiciũ
q Conciliorum & r Patrum postulabat, non
permisit: sed Romam audiendas & iudican-
das abstulit, s quà reseruationibus casuum si
bi soli, t quà causis auocandis sub annulo pi
scatoris, u quà personarum exemptionibus,
vt Romano subessent vni, a qua comproba-
tis appellationibus vndecunque gentium ad
Dominum Apostolicum.

Ecclesiæ Censuram, b resecandis impiis
à Christiani populi cœtu destinatã non in
impios exeruit, c quorum Lerna Romam
confluxit olim, " inundat semper: non in la-
trones, d quorum Roma facta est spelunca,
teste Papa: non in sicarios, e quorum est asy-
lum, in Cardinalibus ipsis, Romæ: non in a-
dulteros f quorum supplicium à pœna capi-
tis redactum est ad ludum & iocum: non in
meretrices, g quæ sub lenone Papa publicè
quæstum faciunt: non in scortatores, q quos
in quodam casu, vt loquitur Canonista, *præfert*
coniugatis, & *luxuriam castitati*: sed in Casu-
res, in Reges, in gentes integras & nationes,

m Amm. Marcell. l. 27.
n Bapt. Mãt. lib. 5. Fast. in Vrban.
o Bernard. epist. 42. ad archiep. Sen.
p Concil. Basil. Sess. 21.
q Conc. Mileuit. can. 9. & 22 Con. Carthag 6. c. 10. 5 Cont. African. con. 10. 3. Conc. Basil. can. 27.
r Cyprian. epist 55. edit. Pam. Augu. in Conc. Mileu. Bernard. lib. 3. de consid. ad Eug.
f Conc. Trid. Sess. 14. ca. 7. Extra. e cleri dominici, de punit. & remiss.
t Conc. Trid. Sess 24. c 20. Pract. Conc. Apost.
u Bernard. lib 3. de consid. ad Eug.

a 2. quæst. 6. c. ad Romanam. c. placuit vt presbyteri. Cond. Trid. Sess L4. cap. 20. b 1. Cor. 5. 7. c Bernard. l. 1. & 3. de consid. ad Eug. " Bapt Mant. Silua. l. 1. Roma. quid insanis toties? d AEne. Sylnius Papa hist. de Asia. min. c. 77. e AEne. Sil. ibid. Bap. Mant. c. log. 9. & l. 3 de calam. temp. f Con. Trid. Sess. 24. can. 12. Dist. 83. d. presbyter. 26. quæst. 7. c. tempora. 35 q. 7. c. hoc ipsum. 27 quæst. 1. c. Siquis episcopus. In glossa. g Cond. delect. Card. & Surius de reformat. Pij Quint. h c. quia circa de bigamis. In glossa.

5. Thesis.

i c. ad Apostolicæ. in Sexto Henr. 4. Impe. loã. reg. Ang. Anglos, Germanos, Venetos quos non?

k c. Si verò alicuius, de sentent. exc.

l c. peruenit e. nuntios. de decimis.

m c. ad abolendam de hæreticis.

n Act. 24. 14.

p Hist. eccl. Ang. Gall. Ital. & inquisit. Hispa.

- Ioa. 19. 28.

r c. excommunicamus. de hæreticis.

s Comment. de stat. relig. & reip. in Gall. lib. 10.

t Epist. 4. Syri. Papæ. c. Ro. 5. 8. Cõc. Trid. Sess. 24. can. 9.

u Conc. Lateran. sub Innocent. 3. Concil. Trid. Sess. 24. cap. 1. de regular. cap. 1. Clement. cap. exiui. de vener. Sanct. Sacr. Cerem. Rom. eccle. & 1 sect. 6. Voto & voti redempt.

i à quibus non ad nutum obtemperatur ipsis in quemuis magistratum, k qui vel manum clerico tantum iniecerit: in quosuis fidelium, l qui partem decimæ, qui pecuniolam negarint sacrificio: in totos populos Christianos, m qui cum Apostolo, n *secundum illam viam, quã* Pontifex & Seniores Iudæorum *vocant hæresin, seruiunt Deo patrio, credentes omnibus quæ sunt scripta in lege & Prophetis*: quos pro immanitatem & perfidiam execrãdam, *tanquam oues destinatas mactationi* p absumpsit equuleis, flammis, ferro, non ipse, q *nec enim introibat in Prætorium ne pollueretur*, r sed Pilato tradidit crucifigendos, & trucidatis senibus, puellis, infantibus, sine sexuum, ætatum conditionum discrimine, riuis manantibus sanguine Lutetiæ, s Gallicis nuptiis hymenæum cecinit, & facinus Thyestêum barbariæ pluspuam Scythicæ pompis & tripudiis celebrauit Romæ.

Quid ego tyrannicas leges commemoro quibus ecclesiam intoleranter oppressit? t de cœlibatu ministrorum verbi, u de confessione auriculari, x de ciborum, vestium, dierum delectu, y de noua Diuorum canonizatione, z de peregrinationibus ad terram sanctam, a de votis monachorum atque monacharum

x Conc. Trid. Sess. 25. Decr. delect. cib. de dieb. fest. y c. audiuimus. de relig. & z ex multa. in tanta. a Trid. Con. Sess. 24. Decr. de regularibus. & monialibus.

5. Thesis.

b Conc. Trid. Sess. 24. can. 3. 4. 11. 12.

c Durãd. Ration. diu. officior. & sacrificior. & sacrificior. & sacrific

5. Thesis.

Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronas, Ignes, thura, preces, cœlúmque, solúmque Deúmque?

Non [n] Aulici subscribunt eorum iudicio, qui minuēdam esse pompam Ecclesiæ, quam Papa detrimento Christianæ religionis augere studuit, prædicabant? Non agnoscunt [o] Cardinales aurum Annatis, & aliis artibus Pontificiis à Christianis emungi, vt Romanus Pontifex eiúsque Curiales sint opibus ditiores, ornatu splendidiores, sublimiores maiestate? Non orbis christianus insatiabilis ambitionis & auaritiæ Romanæ clamitantis instar Iudæ, *Quid vultis mihi dare*, iugum sensit & ingemuit?

Extat Apologia ecclesiæ Anglicanæ, quæ recentes notas Romanæ tyrannidis inusitatas popularibus nostris ostendit. Extat [p] libellus supplex Parisiensis curiæ, quo deprecantur Galli sacrilegas rapinas, iniurias, impostura curiæ Romanæ. Extāt Grauamina centū Germaniæ, cuius querimoniæ suo quasi sanguine scriptæ loquuntur quàm impotenter Romana sedes nobilissimam illam gentem eluserit, oppresserit, obtriuerit, spoliarit. Extant infinitæ [q] doctissimorum hominum, è cunctis populis & oris, lamentationes sub ipso Papatu, qui *disciplinam ecclesiasticam esse lapsam admodum*, vna voce fatentur omnes. [r] Ipsi Patres Tridentini non solùm id fatentur, sed etiam testantur monumento publico.

n Platin. de vit. Pont. in Paulo 2.
o Æneas Silvius Car. in epist. de morib. Germaniæ. Matth. 26. 15. p ad Ludouicum vndecimū. pro libertate ecclesiæ Galli cæ aduersus Rom. aulam defensio Parisiensis curiæ. Annectitur Duaren. de sacr. eccl. minist.
q Bernar. in Cant. Cant. In epist. De consid. ad Eug & pass. Franc. Pētr. in Cant. & epist. Bapt. Man. in Fast. Silu. Ech. De calam. temp. & cæt. Marsi. Pataūin. in Defen. pacis. Vide Illyricum in testibus Veritat. Conc. Trid. Sess. 6. De reform. c. 1.

Coactum est Concilium, superiore seculo, Constantiæ, [s] *vt ecclesia reformaretur in capite & membris*. Res Constantiæ non perfecta, [t] susceptа rursum est Basileæ. Sed reformationem non tulit Eugenius Pontifex Romanus: eóque Synodum Basileensem [u] & reuocauit verbis, & armis dissipauit. Sanctionem Pragmaticam ex eius Synodi decretis in Gallia stabilitam, [x] nunquam quieuerunt Eugenij successores antequam euertissent.

De concilio Tridentino spes restabat vltima: & sanè complura, prudenter & præclarè, [y] de reformatione sunt ibi decreta. Sed illa malorum labes, de quibus [z] Gentianus Hervetus conqueritur, (homo Pontificius, quo grauius censendum est contra Pōtificios eius testimonium,) antiquas renouāt corruptelas: prima, quòd ea quæ præclarè decreta fuerāt, *nōdum seruarentur*: altera, quòd etsi decreta seruarentur, *non tamen sint eiusmodi quæ priscos restituant mores in integrum*: postrema, quòd vt priscos mores restituerent, tamen *Parum pro sint, quia pontifex Romanus & soluitur ipse legibus, & quos libet soluit*: vt remediis non sanentur, sed increscant vulnera, quum sedi Apostolicæ concilij decreta rescindere, corrumpere, peruertere, perfringere dispēsationibus reseruetur integrum. Ac illa sine dubio flagitiosa clausula, quæ reformationis decretis annectitur, *Saluâ, semper, in omnibus authoritate sedis Apostolicæ*: non solùm ostendit egrum esse corpus ecclesiæ Romanæ, sed etiam præcidit

s Thesis. Conc. Cōst. Sess. 4. & 5.
t Cōc. Basil. Sess. 2. & 3.
u Platin. & Onuphr. de vit. Pont. in Euge. 4.
x Fr. Duar. de sacr. eccl. min. l. 5. c. 11.
y Sess. 5. cap. 1 & 21. c. 2. & 22. 23. & 24. c. 17. 18. 19. & 25 cap 3.
z Libr. de re parāda eccle liast. disciplina.

Cōc. Trid. de reform. in Sess. 7. procœ. & Sess. 25. De reform. cap. 21.

coactum

omnem spem salutis recuperandæ. Etenim, quemadmodũ liene augescente, corporis artus reliqui feruntur tabescere: ita, quo magis salua est authoritas sedis Apostolicæ, eò minus singulę partes ecclesiæ saluæ sunt futuræ.

Romana grauí maculata veneno
Curia, quæ terras contagia spargit in omnes.

Baptist. Mãt. Pastor. libr. 4 ad Leonem decimum.

Quamobrem, vt summã rationis meę verbo concludam, quum liqueat ex ipsarum rerũ euidentiâ, neque fidem Christi purè doceri, neque Sacramenta ritè celebrari, neque preces Deo religiosè fundi, neque disciplinam exerceri salutariter in ecclesia Romana: si minus ex causis nobis est persuasum, saltem ex effectis euictum est, spero, Romanam ecclesiam non esse sanum membrum ecclesiæ catholicæ. Quanto est absurdius eam arbitrari esse catholicam? Romana igitur ecclesia, non est ecclesia catholica, nec sanum membrum catholicæ.

6. Thesis.

Longius in ista Thesi declaranda sum profectus, quàm statueram: sed eo celerius licebit sicco pede pertransire tertiam. Nam, intellectis ecclesiæ Romanæ morbis pestiferis, quorum contagio quasi *plaga leprę*, quoniam habitantibus vnà, periculosa est: idcirco fidelium *è castris exterminanda est: dubitari non potest quin Ecclesiæ reformatæ in Anglia, Scotia, Gallia, Germania, cæterisque regnis, & rebuspublicis, seipsas à Romana iure segregarint.* Idenim iure fieri statuimus, quod fit ex præscripto verbi diuini: nam *omnia præcepta Dei sunt iustitia*, vt canit vates regius. At ecclesiæ reformatæ præcepto Dei paruerunt, in eo, quòd seipsas à Romana segregarunt. Seipsas igitur à Romana segregarunt iure, & iure quidem optimo. Siquidem, cùm cœtus ecclesiastici fuerint in eum finem instituti, vt *requiramus Iehouam, eiúsque nomen celebremus*, id est, vt Deum cognoscamus, & cognitum colamus: quacunque demum in ecclesia, siue pura Dei cognitio non traditur, siue purus Dei cultus non exercetur: ab ea Sanctus Spiritus, vt secedamus, iubet. Nam secedendum ab ecclesia, quæ non tradit puram Dei cognitionem, scriptum est ad Timotheum: quem Apostolus præmuniens aduersus eos *qui diuersam doctrinam, nec accedunt sanis sermonibus Iesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ*: notas, quas attexit, quibus eiusmodi lupi dignoscantur, concludit hoc præcepto, *Ab iis qui sunt eiusmodi secede. Secede*, inquit Paulus, *ab iis qui sunt eiusmodi*: ab eorum cœtu & ecclesia secede. Talem quippe secessionem ab eo designari, satis suo prius exemplo docuerat Timotheum Ephesi: vbi, quum *de regno Dei differeret in synagoga* Iudæorum, & *quidã indurati male loquerentur apud multitudinem de via Domini*: *secedens ab illis separauit discipulos*, Christianos segregans ab ea synaga, quæ puram Iesu Christi doctrinam non ferebat. Ab ea verò secedendum, quæ non exercet purum Dei cultum, scriptum est

1. Cor. 13. 46.

2. Thess. Psal. 119. 17.

1. Chro. 16. 8. 11. 25. 34. Psal. 63. 3. Act. 2. 42

1. Tim. 6. v. 3.

Ibid. ver. 5. Ἀφίστασο ἀπὸ τῶν τοιούτων.

Act. 19. v. 17.

Vers 8. Ἀποστὰς ἀπ' αὐτῶν.

6. Thesis. ad Corinthios: quibus admonitis, vt ab omni *fugerent idololatria*, porrò præcipitur, ne se

1. Cor. 10. 14. confocient cum infidelibus in externo cultus

2. Cor. 6. v. 14 idolorum ritu: *quid enim luci cum tenebris? iustitiæ cum iniustitia? Christo cum Belial? fideli cum infideli? templo Dei cum simulachris? Quapropter exite è medio eorum, & separamini, dicit*

Vers. 17. *Dominus. Separamini, dicit Dominus:* non ego dico, sed dicit Dominus. Dicit Dominus Iu-

Hos. 4. 15. dæis, *ne ascendatis Beth-auênem:* non dicit Horseas, sed dicit Dominus. Vocatur quidem

a Id est, domus Dei. Hos. 10. 15. a *Beth-el*, sed est b *Beth-auen*: c *Auenis excelsa*

b Domus vanitatis. Hos. 10. 5. *peccatum Israelis*: itaque *ne ascendatis Bethauenem*, dicit Dominus. Quare, secedendum ab

c Hos. 10. 8. illis ecclesiis, in quibus pura Dei, vel cognoscendi via, vel colendi ratio, cõtaminatur impiis superstitionibus: expressè mandatum est ab Altissimo. Multo magis ab illis, in quibus vtrumque, & cultus, & cognitio Dei, prophanatur. At in vtroque horum turpissimè peccari, (si qua vnquam ab ecclesia) ab ecclesia Romana, Thesi proxima demonstratum est. Reformatas igitur ecclesias Iesu Christi scripsas ab ecclesia Romana segregasse iustissimè, concludendum est.

d Theolo. Louã. Anno. in Tom. 7 Aug. contr. Donatistas. e Bri. Quæst. 1. Motiu. 10 Thõ. Staple. de princ. fid. doctrin. li. 4. c. 10. Nicol. Sãd de visib. monar. eccl. præf. ad Lect.

Quo mihi videtur improbior & impudentior d Louanensium Theologorum e & Pa-

pistarum nostrãtium, malitia dicam, an ignorantia: qui nostram à Romana separationem vt rapiant in odium tanquam schismaticam, obijciunt nobis crebrò, *quòd imitemur Donatistas*, & eorum perfidiam cum Ecclesia catholica dis-

6. Thesis. ea dissidio communicemus. Iuréne, an iniuria: iudicẽt Christiani. cùm præsertim liquidum sit ex f Augustino, Donatistas non vertisse vitio catholicæ quicquam aut in sacris, quibus Deũ colebat: aut in verbo fidei, quod populo prædicabat: g nos autem Ecclesiam pseudocatholicam impietatis manifestę, tum in sacris quibus colit idola cum Deo, tũm in verbo, quo miscet perfidiam cum fide, ream peregerimus: ipsi verò nostri correctores doceant, communionem eius ecclesiæ deserendam, cuius sacra polluũtur idololatriâ, cuius verbi prædicatio doctrinam tradit impiam: ideóque, tum h Theologi Louanienses reprehendãt, idque merito, catholicos episcopos, i & D. Augustinum, quòd asseruerint *Prophetas, Eliam, Elisæum, communicasse sacris Israelitarum, quum ea fœdaverentur cultibus idolorum*: tũ k Duacensis Doctor, quamuis immerito, condemnet eos omnes, vt *orbos sensibus, immò vitâ, qui nostras solummodò conciones audiũt, quoniam docentur in ijs*, vt ait, *blasphemiæ: laudantur autem ab Irenæo, qui blasphemum colloquium ne audire quidem sustinent.*

f Breuic. collat. cũ Donatist. & cont. Cresc̃. Fartmen. & cet. g Confess. Aug. V Virtẽb. Heluet. Apolog eccles. Aug. h Annot. in Aug Breuic. Collat. cum Donat. Collat. dici 3. cap 9. i Annot. in Au. post collation. ad Donat. cap. 20. k Brist. Mot. 32.

Quocirca, si principes Pontificiorum sederẽt in iudicio de crimine schismatis, quod nobis intentatur, atque Donatismi: sperarem eos, (nisi tenebras haberent Aegyptias, instar Pharaonis, oculis offusas) absoluturos esse nostras ecclesias, neque minus iustam sententiã laturos de membris Iesu christi, quàm de christo Iesu tulit Pilatus, *Ego non inuenio cri-*

l Aduersꝰ hæres. li. 2. cap 4.

Iob. 19. 6.

6. Thesis. *men in eo.* Nam, quid tandem fecimus in nostra relictione Romanæ synagogę, non dico Iudicis liturâ, sed vel Censoris notâ dignum? nisi quòd, vt [m] Fimbria questus est de Scæuola, non totum telum corpore recepimus. Fuit officium ministrorum Christi, [n] prædicare verbum Dei, prædicarunt. [o] Redarguere peccata populi, redarguerunt. [p] Afflictiones ferre, etiam ad sanguinem vsque, pro ecclesia tulerunt. Fuit officium Christiani populi, [q] pastoris audire vocem, audiuerunt. [r] Seruire soli Deo, seruierunt. [s] Professionem fidei coram hominibus facere, fecerũt. Si magistratibus inuitis, quod vsu venit Galliæ: [t] fuit *obtemperandum Deo potius quàm hominibus*, vt dixerunt Apostoli Principibus Israelis. Si magistratibus iubentibus, quod Anglię concesserit Deus, & in æternum concedat quæsumus: erat obsequendum illis in Domino, [u] vt *obsequuti sunt Iosiæ, prophetæ, sacerdotes, populus Iudæorum.*

m Cicer pro S. Roscio

n 2. Tim. 4.2.

o Tit. 1.13.

p 2. Tim. 2.3.

q Ioa. 10.27

r Mat. 4.10.

s Luc. 12.8.

t Act. 5.29.

u 2. Reg 23. 2.3. & in toto cap.

Quamobrem, cùm omnes Ecclesiæ reformatæ, sequutæ normam eandem, quã Anglia & Gallia, (ne singulis insistamus) suã ab ecclesia Romana secessionem ad diuini iuris canonem conformarint: non quia secessérũt ideò seditiosæ, sed essent sacrilegæ nisi secessissent: nec ipsæ discordiam excitarunt schismaticã, sed aliæ cum Romana, cõcordiam fouent impiam: quibus vtinam vox Christi portius & aures & animos personaret, de Babylone dicentis suis, *Exite ex ea populus meus, ne participes sitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis.* Habes, vir reuerende, meum iudicium, de tribus Thesibus, quas proposuisti. In quarum explicatu tametsi fui longior, partim grauitate rerum commotus, partim auditorum fretus patientia, quàm istius loci consuetudo pateretur: tamen permulta prudens prætermisi, quæ contra veritatem singularium Thesium ab aduersariis possunt obiici: quòd ea commodius in ipso quasi stadio disputationis percurri & superari posse iudicarem.

Reu. 18 4.

PSAL. 51.20.

Benefac, ô Deus, pro beneuolentia tua Sioni: ædifica muros Ierusalem.

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO, BREVIS ET SIMPLEX DEMONSTRATIO, EX SCRIPTURIS SANCTORŪ PROPHETARUM & APOSTOLORUM EX CERPTA: & IESUITICÆ SECTÆ CAVILLIS OPPOSITA, A. G. H. Authore.

1 *Quid sit Iustificatio.*
2 *Quando iustificetur homo.*
3 *An iustificetur Operibus bonis.*
4 *An iustificetur Fide.*
5 *Quid est Fides.*
6 *Quotuplex.*
7 *Testimonia iustificationis ex Fide.*
Ex Lege.
Ex Prophetis.
Ex Euangelio.
8 *Obiectiones aduersariorum.*

I.

QVID SIT IVSTIFICATIO

Definitio nominis.

IVSTIFICARE propriè significat absoluere aliquem in iudicio & declarare innoxium: cuius contrarium est condemnare.

Hæc verba tum de diuino, tum de humano iudicio in Scripturis crebrò vsurpantur.

De humano iudicio Prouerb. 17. 15. Isai. 5. 23.

De Iudicio diuino. Iob. 9. Si iustus esse coram Deo contendero, os meum condemnabit me. & cap. 40. Num etiam dissolues iudicium meum, & condemnabis me, vt tu iustificeris?

Synonyma.

Appositè igitur Apostolus disputationem instituens de modo quo homo salutem consequitur apud Deum, iustificādi verbum adhibet, ad significandum quòd homo vt salnus fiat absoluatur à Deo in iudicio, pronuncietur iustus, non condemnetur, quod accipiat peccatorum remissionem, non imputētur ei peccata, sed imputetur iustitia ei: quod denique quamuis impius sit, pius tamē à Deo censeatur & fiat. Rom. 5, 1, 16, 18, & 8. 32, de iustificatione. Rom. 4. de imputata iustitia: ex testimonio Dauidis & exemplo Abrahæ.

Definitio rei.

EST igitur IVSTIFICATIO, absolutio in iudicio Dei, liberatio à condemnatione æterna, remissio peccatorum, non imputatio peccati, imputatio iustitiæ, renūciatio seu declaratio pietatis in homine, qui alioqui plectēdus ac damnandus, vt iniustus & impius, erat.

2

QVANDO IVSTIFICETVR Homo.

Omnes nascimur filii iræ.

Iustificaturne homo simul atque nascitur? Non. Nam omnes homines ab ipsa origi-

ne peccatum secum adferunt, & peccatores nascuntur.

De Iudæis. Gal. 2. Nos natura Iudęi, & non ex gentibus peccatores.

De Gentilibus. Ephes. 2. Eramus natura filij iræ.

De omnibus hominibus à primo parente Adamo ortis. Rom. 5. Propter vnum hominem peccatum in mundum introijt, ac propter peccatum mors. 3. Rom. 7. Non habitat in carne mea bonum. 3. Genes. 8. Iob. 14. 15. 39. Psal. 51. Ierem. 17. Clarè dicitur corda humana ad malum prona esse à pueritia, omnes ceptos & natos in peccatis, denique neminem ex muliere natum purum existere. Itaque propter congenitum peccatum originale, omnes simul atque nati sunt, æternæ damnationi rei coram Deo inueniuntur. Iustificatur autem homo, quum à Dei Spiritu per Euangelij vocem vocatus Christum à Patre pro sapientia Iustitia, Sanctificatione, & vnica redemptione, firma viuáque fide amplectitur. Vocatur autem tempore, die & hora à Deo ordinatis. Hęc autem patefiunt per vocationem efficacem quæ sua initia, & incrementa habet: ita vt qui primũ & semel verè in Christo (quem fide vnicum Seruatorem amplectitur) iustificatus est, indies iustificetur adhuc, id est, sentiat se iustitiam esse adeptum, & in hac fide crescat donec ad christum in cœlo sit collectus.

AN IVSTIFICETVR BONIS operibus

Euangelium arguit omnes homines, si explorẽtur eorum opera, esse peccatores, atque æternam damnationem promeritos. Gentiles & Iudæi rei sunt mortis æternæ.

GENTILES habuerunt eximiam cognitionem Dei & voluntatis eius, omniúmque bonarum actionum, suis insculptam & impressam cordibus, id quod variis modis declararunt.

Peccauerunt tamen.

1. In Deum, quando hunc non ita vt par fuit coluerunt.

2. In Seipsos, siue in propria corpora omni libidinum genere sese contaminantes.

3. In homines, quando vitiis variis aliis intulerunt iniuriam.

Obiectio. 1.

Non omnes fuerunt adeò improbi, imò & seueriter reprehenderunt ita peccantes.

Resp. Etsi alienorum vitiorũ fuerint censores, paria tamẽ crimina occultè admiserũt, animo saltem ac tacita voluntate. 2. corda ipsorum impura sunt. 3. experiuntur ipsi cõscientiam redarguentem, ac cogitationes inter se accusantes.

Hæc autem peccata cordis, hæ prauæ affectiones, iustam damnationis apud Deum, qui corda scrutatur, atque occulta iudicat, causam afferunt. Rom. 1. 2.

IVDÆI sunt perinde rei atque Gentiles, quin & eò iustius damnantur, quòd præter legem illam naturalem, etiam moralem habuerunt.

Pessima vita scandalum prębuerunt Gentibus, & ita grauissimè peccarunt.

Obiectio. 1.

Fuerunt circunciſione aliísque Sacramẽtis, quæ velut remedia sunt aduersus peccata ornati.

Resp. His beneficiis quando non rectè vsi sunt, nihil aliud quã aucta sunt illorum peccata. Rom. 2. & 3.

Obiectio. 2.

Dauid & alij fuerunt Deo accepti.

Resp. Accepti fuerunt propter Messiam in seipsis non, quin dixerunt, Ne intres in iudicium cum seruo tuo, Psalm. 143. & Dan. Peccauimus, iniquè fecimus, &c.

Conclusio.

Omnes homines ergo, siue Gentiles, siue Iudæi sunt peccatores, si respiciantur ipsorum opera. Non est iustus, ne vnus quidem, non est qui intelligat, nõ est qui exquirat Deum. Rom. 3. Ac proinde ex operibus legis non iustificabitur omnis caro, siue homo, in conspectu Dei.

4 ◆

4.

AN IVSTIFICETVR FIDE.

Fide in Iesum Christum respõdemus hominem iustificari.

Testimonia

Rom. 1. Iustitia Dei (qua videlicet Dominus iustos facit, vt rectè interpretatur August.) per Euãgelium patefit ex fide in fidem.

Rom. 3. Arbitramur fide iustificari hominem absque operibus legis.

Galat. 2. Scimus non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi. & nos in Christum Iesum credidimus, vt iustificaremur ex fide Christi.

Actor. 13. Notum sit vobis fratres quod per hunc vobis remissio peccatorum annunciatur, & ab omnibus à quibus non potuistis per legem Mosis iustificari, per hunc omnis qui credit iustificabitur.

5.

QVID EST FIDES.

Est firmus & indubitatus assensus in verbum siue promissiones Dei, de remissione peccatorum & iustitia accipienda à Deo propter filium Iesum Christum.

Fidei definitio.

Tres partes continet hæc definitio.

Partes.

I. Quod fides respiciat in verbum seu promissiones Dei, palam est, quoniam fides

non nisi ex verbo & promissionibus Dei nascitur: quamobrem ferè semper Apostolus fidem & promissiones ceu relativa invicē opponit & copulat.

Rom. 10. Quomodo credent ei de quo non audierunt? &c.

Rom. 4. Si ij qui ad legem pertinent, hæredes sunt &c.

Galat. 3. Præuidēs Scriptura quod ex fide iustificet gentes Deus, prius rem lætam nunciauit Abrahæ, Benedicentur, inquiens, in te omnes gentes.

II. Respicere fidem ad promissiones de christo per quē adferenda est salus, apparet

Gal. 3. Vt in gētes benedictio veniret per christum Iesum. &c.

Iterum. Et in semine tuo qui est Christus, &c.

Gal. 3. conclusio, Scriptura omnia sub peccatum, vt promissio, &c.

Notissimum etiam est Patriarchas omnes in omnibus promissionibus animū defixisse ad primam & celeberrimam illam promissionem de semine mulieris, quod conteret caput serpentis deberet. Genes. 3.

III. Quod fides sit assensus firmus & indubitatus qui nullis rationibus dimoueatur expugneturve, probat Apostolus.

Rom. 4. Abraham præter spem sub credidit, &c.

Hebr. 11. Fides est ὑπόστασις earum rerum quæ sperantur, & ἔλεγχος &c.

Ioan. 8. Abraham vidit diem meū & gauisus est. Vidit fide & oculis cordis, intellectu per fidem apprehendens christi incarnationem & mortem, quemadmodū exponit August. contra Maxim. lib. 3. cap. 26. & de pecato orig. contra Pelagium lib. 2. cap. 27. & in Ioan. tract. 43.

QVOTVPLEX SIT FIDES.

Quadruplex est fides.

I. Ea vera de cuius vi iamiam disseruimus, & qua christum iustitiam nostram ita apprehendimus, vt inde gratiam Dei & vitā æternam consequamur. Vera.

II. Est fides historica, qua simpliciter creduntur vera esse quæ sacra Scriptura proponit, sed interim nihil quicquam ad christum vel ad salutis nostræ negotium accommodatur. Quo pacto Turcæ & Gētiles multa esse vera credunt, quæ in sacris legūtur literis. Atque hæc fides prorsus nihil habet commune cū illa de qua huc vsque locuti sumus. Historica.

III. Est fides quædam altius in speciem assurgens, vt pote præ se ferens quod christū etiam agnoscat & confiteatur, qua in parte aliquousque affinis est veræ fidei de qua sermo nobis est: attamen quoniam non seriò in christum vt Dominū & seruatorem intenta est, sed tantum in ore hunc circumfert, à corde autem penitus excludit, neque insuper de salute, siue de effectis & fructibus fidei est Hypocritica.

solicita, omnium consensu hypocritica & simulata appellatur: etenim vanis hypocritis propriè tribuitur: quamobrem à Iacobo. cap. 2. vocatur mortua & inanis. Quinetiam tribuit eam dæmonib. Dæmones, inquit, credunt & contremiscunt. Et Marc. 5. Luc. 8. Act. 19. Dæmones christum verum Dei altissimi filium apertè profitentur & adorant. Atqui salutem ab eo vel propter eum neque appetunt, neque expectant.

Fides miraculorum.

IIII. Est denique fides appellata Miraculorum, qua firmiter creditur Deum posse omnia efficere, atque mẽs ad miranda opera eiusdem Dei virtute perficienda ardentibus votis incitatur. Matth. 17. Luc. 18. 1. Cor. 12. 13. christus Matt. 7. Dicit multos multas virtutes in nomine Dei facere, quibus tamen futurus sit in extremo die: Nunquã noui vos.

TESTIMONIA IVSTIFICATIONIS per fidem.

Ad Rom. 3. comprobatur hæc doctrina testimonio Legis & Prophetarum. Act. 10. Huic (christo) omnes prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis in eum crediderit. Rom. 1. Iustitia Dei per Euangelium patefit ex fide in fidem. Ergo autoritate legis, Prophetarum & Euangelij hæc doctrina inuenitur confirmata.

Argumenta ex lege.

PRIMVM argumentum ad Rom. 4. & Gal. 3. sumptum ab exemplo Abrahami:

Abraham fuit quidem clarus bonis operibus, non tamen his fuit iustificatus coram Deo, sed fide:

Igitur & quilibet homo iustificatur fide, non operibus.

Antecedens probatur pronũtiato Scripturæ, Genes. 15. credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam.

Obiectio. Verba ex Genesi nõ adferuntur ad causam principalẽ de iustificatione per fidẽ in christũ, cùm subijciãtur ad promissionem factam non de christo aut bonis spiritualibus, sed potius de bonis temporalibus & hęrede legitimo ex Sara expectando.

Responsio. Posterior illa promissio de hærede legitimo tota pendet ex priore promissione, longè ante facta, de semine benedicto, videlicet christo, ex ipso nascituro: Genes. 12. Itaque fides Abrahæ omni tempore fuit intenta in promissionem principalem de semine benedicto christo, quem ex se nascituru[m] omnino persuasissimum habebat, & propter certitudinem huius prioris promissionis, fide iudicabat etiam reliquas promissiones debere perfici. Quamobrem rectè intelligemus fidem in christum propriè imputatã Abrahamo in iustitiam. Ex quo etiam factum quod Apostolus, Galat. 3. hanc promissionem principalem de semine benedicto, in

quo benedicentur omnes gentes, in præsenti causa inculcat atque exponit.

SECVNDVM argumentum ad Rom. 4. ex pronuntiato antecedenti, maximéque ex vocabulo imputandi. Ei, inquit, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum qui iustificat impium, imputatur fides sua ad iustitiam. Syllogismus sic potest exstrui.

Abrahamo nō quia operatur, sed quia credit in eum qui iustificat impium, fides sua imputatur ad iustitiam.

Atqui nō rectè diceretur ei imputari iustitia, si fuisset operibus hāc promeritus: tūnāque merces seu debitū potius diceretur.

Ex hac igitur locutionis forma palam fit, quod iustitia seu iustificatio nō contingat ex operibus, sed gratis secundū gratiam, & proinde ex fide tantum.

Si modò animaduertas, quomodo Apostolus opponat operari & credere, deinde mercedē siue debitū & imputationem secundū gratiam, nulla subest in argumentatione obscuritas.

TERTIVM argumentū ad Rom. 4. ex interpretatione huius locutionis, imputare ad iustitiam: quā Apostolus ex Ps. 32. demōstrat idē esse quod nō imputare, remittere & condonare peccata.

Dauid definit, imputare ad iustitiā seu iustificare, idem esse quod remittere & non imputare peccata.

Re

Remittere autē seu nō imputare peccata, est ea gratis condonare, siue est gratis iustum censere.

Ergo iustificatio est gratuita, & non prouenit ex operibus, sed ex fide.

Locutiones hę, Remittere peccata, nō imputare peccata, satis innuunt peccata quidē adesse, verū pro iis pœnas nō dispendi, nullam exigi satisfactionem. Vnde euidens fit à Deo fidem tantum in homine iustificādo respici.

QVARTVM argumentū ad Rom. 4. ex Circunstantia tēporis in exēplo Abrahæ notata: Beatificatio, inquit, deuenit non in circunciſionem, sed in pręputium.

Si Abraham vllo opere fuisset iustificatus, maximè certè ipsa circunciſione.

Sed hac non est iustificatus. (est.

ergo nullo opere, sed fide sola iustificatus Minor probatur: Nam Abrahæ imputata est fides ad iustitiā, cū adhuc esset in pręputio, & longo tēpore ante circunciſionē. Siquidem à tēpore quo dictum fuit, imputatā fuisse ei fidem ad iustitiam, ad institutionē vsque circūciſionis, anni interceſſere 14. Gen. 14. & 17. Quod autē postea suscepit Abrahā circunciſionem, non est id factū, vt per hanc iustificatio perficeretur: sed vt, quod antea semel fuisset fide iustificatus certius declararetur. Accepit, inquit, signum circunciſionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio.

QVINTVM argumentū ad Rom. 3. 4. 9. 15. ad Gal. 3. à qualitate personarum, quibus iustitia

Deo imputatur. Tale namque argumentum trahit Apostolus ab Abrahami exemplo.

Abraham iustificatus est adhuc præputiũ habens & incircumcisus: igitur & alij homines, gẽtiles videlicet, qui neque circũcisi sunt, neque prorsus vlla opera legis fecerunt, exemplo Abrahami, modò credãt, iustificãtur.

Gentes autem quatenus gentes sunt, intelliguntur Circumcisione, lege, & omnibus bonis operibus orbati.

Quare vbi tales iustificantur, necesse est concedere, homines tãtùm fide iustificari. In omnibus iis locis in vocabulo Gentium emphasis inest, ad significandum homines peccatores omnibus bonis actionibus planè vacuos, & sola misericordia Dei, ac fide sua in christum subnixos.

Sextvm argumentum ad Rom. 4. & Gal. 3. ab absurdis & inconuenientibus quæ necessariò sequerẽtur, si promissio seu iustificatio & benedictio promissa propter semen benedictum, nonnisi per legem ac bona opera acciperentur: siue ab eo quod lex non sit propriè data, vt per eam iustificentur homines.

Promissio non contigit Abrahæ per legẽ, sed per fidem. Si enim per legem contingeret, sequeretur quod irrita esset facta promissio ex parte Dei: deinde ex natura relatiuorum, irrita & inanis etiam esset fides ex parte nostra.

Atqui vtrumque est valde absurdum.

Igitur necesse est, promissionem atque iustificationem venire ex fide, & nõ ex lege.

Quod porrò absurdũ est, promissionẽ Dei fieri irritã, est per se manifestũ. Addit autem Apostolus duas probationes, declarãtes vnde id sequatur: alterã à legis grauitate & proprio effectu, alteram à nostra imbecillitate. Lex, inquit, irã operatur, neque cõstituit nos coram Deo iustos, sed reos. Et nos qui fragiles sumus, & ad malum proni, legem nobis propositam semper transgredimur. Si non esset lex, nõ constitueremur trãsgressores, neque irã Dei per trãsgressionẽ incurreremus. Itaq; vt firma & secundũ gratiã sit promissio, vt etiã fides nostra firma & incõcussa maneat, placet Deo dare benedictionem, seu iustificare homines non ex operibus legis, sed ob promissionem suam, idemque per fidem.

Septimvm argumẽtum ad Rom. 4. à fidei excellentia & officiis, ob quæ Deo placet acceptare illam, atque ad iustitiam imputare. Sicut præcedẽti argumẽto cõmendatã est certitudo promissionũ, sic isto cõmendatur certitudo ipsius fidei. Et eleganter hìc excutitur significatio verbi, credidit, ex pronũtiato illo, credidit Abrahã Deo, & imputatum est illi ad iustitiã. Est autem hæc argumenti sententia: Non est iustior causa, ob quam opera imputentur ad iustitiam, quàm fides. Nã etsi bonorum operum videtur esse excellentia quædam, reuera tamen est fidei excellentia & dignitas non minor.

I. Primùm enim fides est qua præpter spẽ sub spe creditur, id est, apprehẽduntur perficienda, quę alioqui iudicarentur nullo mo-

do expectanda.

2. Fides abnegat propriũ iudicium rationis, cõtemnit omnes causas naturales, omnẽ sapientiam humanã: resistit denique omnib. tentationibus, quæ possent à promissionibus diuinis abducere, quum Abraham non consideraui suum ipsius corpus iam emortuum, cum cẽtum ferè natus esset annos, nec emortuam vuluam Saræ, nec alias quascunque rationes similes, quæ procul dubio in variis tẽtationibus latenter occurrebant.

3. Quantumuis multa obstare videantur impedimẽta, quò minus perficeretur promissio: tãtum tamen abest vt hæsitet aut vacillet fides, vt etiam euadat robustior: qua certè in parte magna vis fidei elucet.

4. Fides verè tribuit Deo summam gloriam, dum certam concipit persuasionẽ, quod Deus quęcunque promittit, eadem tum velit tum possit præstare. Hinc præstãtia fidei apparet. Superiora 7. argumẽta deducit Apostolus ex vno illo pronuntiato. Credidit Abraham &c. Nunc ad aliud pronuntiatũ ex lege sumptum quod ab Apostolo similiter explicatur fusius Galat. 3. progrediendum est.

Octavvm argumentum ad Gala. 3. à pronũtiato Scripturę, quod extat Gene. 22. Benedicẽtur in te vel in semine tuo omnes gẽtes. Gentes. i. peccatores & bonis actionibus destituti, benedicũtur seu iustificantur. Igitur Iustificatio non est ex operibus, sed ex fide.

De probatione huius argumenti dictum est supra, quinto argumento.

Nonvm argumentum ad Galat. 3. probans quod fides iustificet ab effectu legis planè cõtrario, nempe quod lex damnet, nõ iustificet, maledictionem afferat, nõ benedictionẽ. Occasio siue materia huius argumenti arripitur ex vocabulo Benedicẽdi, quod in promissione illa ponitur, atque euidenter colligit Apostolus, quod cùm ex operibus legis benedictio accipi nequeat, necessariò sequi vt aliundè, nempe ex fide accipiatur.

Scriptum est, inquit, Deuter. 27. Qui non perfecerit omnia quę scripta sunt in libro legis, is execrationi est obnoxi'. Sed nemo est hominum qui omnia quæ scripta sunt in libro legis perficiat. Igitur si effectum legis respicimus, nemo per legem iustificatur, quin potius omnes per eam sunt execrabiles.

Relinquitur ergo, quod cùm Lex non iustificet necessario, fides iustificet.

Decimvm argumentum ad Gal. 3. à causa efficiente, seu forma iustificationis nostræ, quod similiter tractũ est à vocabulo Benedicendi cuius cõtrarium est fieri execrabilẽ. Est autẽ quadã forma præoccupationis subiectũ ab Apostolo ad id quod antecedit. Vbi namque demõstratũ est, eos qui sunt ex operibus legis, obnoxios esse executioni, statim hinc huiusmodi scrupuli & quæstiones in omniũ animis oriũtur: Si oẽs qui sunt ex operibus legis fiũt execrabiles, quomodo tãdẽ vlli homines iusti fiẽt? Pugnãt nãq; execrabiles esse & fieri iustos seu bene dici. Vnde insuper visista & facultas iustificãdi prouenit, si nõ ex lege?

Respondet Apostolus, cùm ex lege non possit benedictio accipi, conferri hanc per Iesum Christum verum Deum verúmque hominem. Deinde fieri id hoc pacto: Ab hominibus, qui modò credunt, execratio remouetur, quando Christus eam in se recipit. Liberati autem ab execratione ornãtur noua iustitia, atque iusti coram Deo reputantur.

Quod autem execratio tollatur à credentibus, & Christus eam in se recipiat, probat pronuntiato Scripturæ, Deut. 21. Execrabilis est omnis qui pendet in ligno. Sed Christus pro peccatis hominum pepẽdit in ligno. Igitur Christus execrationem quam homines fuerant commeriti, in se recepit, atque depẽdit plane pro omnibus.

Si autem propter Christum sustinentem nostram execrationem absoluimur à peccatis & iustificamur: manifestum fit, quod iustificatio non ex operibus legis, sed ex fide in Iesum christum contingat. Hoc probatur ex Isaia cap. 25. & 53. Psal. 22. 2. cor. 5.

VNDECIMVM argumentum ad Gal. 3. à dignitate & efficacia promissionum, simúlque à persona Christi: quandoquidem deducitur ex particula illa diuinæ promissionis, In Semine tuo. Fratres, secundum hominem dico, &c. Sic autem formatur.

Promissiones diuinæ debent ratæ haberi, nec possunt vlla ratione interuerti.

Atqui promissiones dictæ ad Abrahamũ, so

sonant quod benedictio seu iustificatio accipienda sit in semine & propter semen videlicet Christum, qui solus est semen illud benedictum, patribus iam inde ab initio promissum.

Igitur benedictio seu iustificatio nullo modo accipitur ex lege siue propter legem, sed ex fide & propter christum.

Maiorem probat Apostolus adhibita comparatione à minori ad maius: Testamentum siue pactum ab homine conditum, ratum inuiolatúmque manet: igitur multò magis promissiones Dei ratæ manebunt. Minorem deinde sic probat & exponit: Promissiones quæ dictæ sunt Abrahamo & semini, id est, vniuersæ posteritati eius, nimirum quibuscunque credentibus, disertè concionantur de vno aliquo semine benedicto & certa persona, nempe Christo. Est ergo constanter retinendum, quod fide in hunc Christum accipiatur iustificatio, non autem propter opera Legis. Petrus hanc de semine benedicto interpretationem in concione sua Act. 3. inculcat.

DVODECIMVM argumentum Actorum 3. & 7. ex alio pronuntiato legis, quod de persona christi non minus clarè loquitur quam præcedens Dei promissio. Deuter. 18. Prophetam suscitabit, &c. Hunc autem Prophetam Petrus & Stephanus interpretantur simpliciter christum esse:

Quisquis Prophetam hunc Christum non

audierit,is exterminabitur è populo.Ergo ex aduerso qui Christum audierit, & audiendo in eum crediderit,benedictionem & salutem in populo Dei consequetur.Palam igitur fit, non operibus, sed fide in Christum benedictionem seu iustificationem contingere.

Huc pertinet quod author epistolæ ad Hebræos cap.3.Docet Christum esse multo maiorem ac digniorem Mose 3.& concludit hũc Christum, cuius iam vox in Euangelio sonãs audita est,ab omnibus alacriter recipiẽdum nec debere vllos obdurare corda,&c.

Pertinet insuper huc quod Ioan.1. scribitur, Ioannes Baptista testificatur de Christo,& clamat dicens, Hic erat de quo dicebam,Qui cùm me sequeretur,antecessit me, quia prior me erat. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiã pro gratia: quia lex per Mosen data est,gratia autem & veritas per Christum.

TERTIVMDECIMVM argumentũ, Rom. 10.ex pronũciato quod extat Deu.30. his verbis.Præceptum istud quod præcipio tibi hodie,&c. Quo loco etsi tam præcedẽtib.quàm subsequentibus verbis maximè commendari atque exigi videtur diligens operum legis obseruatio:tamen Apostolus qui probè nouit legis vsum ac mentem Legislatoris, perspicuè colligit, Deo præ omnibus placere obedientiam fidei,quæ in corde atque in ore sita est,simulque per fidem, non per legis opera iustiam hominibus contingere,quod ex ipsius

ipsius verbis clarè liquet:nam ostendit ex legis quidem operibus nullo modo expectandam iustitiã: cum enim perfectã requirat lex obedientiam, præstare autem eiusmodi nemo possit,facile quiuis intelligit,falli & frustra laborare homines,quamlibet magno interim zelo ac studio Dei teneantur,vt propter legis obseruationem iustitiæ laudem apud Deum consequantur.Procedit ergo vlterius, ac iubet iustitiam aliunde expectare, nempe ex fide in Iesum Christum:de qua iustitia magis in assensione cordis, quam in actionibus externis posita, admodum appositè verba Mosis interpretatur. Ac breuiter sanè definit vnam fidẽ esse qua Deo placeamus & salutẽ acquiramus:neque reuera posse acceptam esse Deo vllam legis obedientiam, quæ ex fonte fidei non promanaret.Hęc dicta sint de 4. pronunciatis ex lege,& argumentis quæ ex illis profluunt.Iam ad

ARGVMENTA EX PROPHETIS.

QVARTVM DECIMVMargumẽtũ ex Abacuc,cap.2.quod producitur ad Rom.1.Gal.3. Hebr.10.Tribus hisce locis noui testamenti dictum Prophetæ explicantibus.Cõcluditur quod iustitia non contingat ex operibus legis,sed simpliciter ex fide.

Neque est quòd quisquam cõtendat,Prophetæ dictum non rectè vsurpari in causa iustificationis per fidẽ absque operibus.Cõstat nãq; quod Propheta pios q; in Iudęa grauiter

premebantur ab impiis, consolatur, ac bono iubet esse animo: breui namque futurum, vt impij illi puniantur, per Babylonios abducendi in captiuitatem. Quo tempore piis fidenitentibus, & acquiescentibus in promissionibus Dei, maximè de liberatore Messia propositis, bene erit. Si moram fecerit, inquit Propheta, expecta illum: quoniam veniēs veniet & non tardabit. Ecce animus arrogantis & fastuosi non est in sese rectus, cum interim victurus sit iustus in fide sua. Itaque prophetæ Abacuc pronunciato perspicuè exprimitur, fide in christum iustos fieri homines, & vitam consequi.

QVINTVMDECIMVM argumentum, ex Isai. cap. 28. Ecce pono in Sion lapidem offendiculi & petram offensionis: & omnis qui credit in eo non pudefiet. Ita refert Apostolus hæc verba, ad Rom. 9. vt ex hoc cōcludat quod qui credunt, iustitiam & salutem accipiant, & quidem per lapidem illum, ad quem increduli impingunt, Christum.

Petrus eandem sententiam affert & conclusionem vertit Actor. 4. & primæ suæ epistolæ, capite 2.

SEXTVMDECIMVM argumentum ex Isai. 11. Ductum à dignitate personæ Christi, & qualitate personarum quæ iustificantur, sed autem recitatur ab Apostolo, ad Rom. 15. Erit radix Iessæ, & qui exsurgat ad imperandum gentibus, in eo gentes sperabunt. Quo loco significari, quòd gentes & peccatores gratis abs-

absque operibus sola Dei misericordia per fidem iustificentur, Apostolus satis declarat verbis antecedentibus, vbi ait, Gentes pro misericordia debere Deum glorificare. Quinetiam verbo sperandi officium & vis fidei nō obscurè notatur. De vocabulo Gentium dictum est nonnihil arg. quinto.

DECIMVMSEPTIMVM argumentum, ex Isai. 13. vbi de Christo & modo quo homines per eundem iustificabantur, Propheta ita vaticinabatur: de labore animæ suæ videbit fructum, & saturabitur, & cognitione sui iustus seruus meus iustificabit multos, quorum iniquitates ipse portabit. Videlicet: clarè dicit Propheta, quod christus multos iustificabit, ac delebit eorandem peccata, id autem cognitione sui. Nil verò aliud est hæc cognitio quam fides, quæ ex auditu verbi nascitur: quemadmodum luculenter demonstrat Apostolus. Rom. 10.

DECIMVMOCTAVVM argumentum ex Isai. 57. Ego annuntiabo iustitiam, &c. Qui autē in me sperat, is hæreditabit terrā & possidebit montem sanctum meum. Quis non animaduertit apertissimè dici, quod non ex operibus, sed ex fide hæreditas ac bona spiritualia contingant credentibus? Priori membro damnatur falsò æstimata iustitia operum, posteriori commendatur iustitia fidei.

DECIMVMNONVM argumētum sumi potest ex Ieremiæ. 17. Benedictus vir qui confidit in Domino, & cuius fiducia est Domi-

nus. Vbi notẽtur voces, confidere, & fiducia. Ierem. 33. Hoc est nomen quo vocabitur, Iehoua iustitia nostra. Ad quam sententiam Apostolus respiciens 1. Cor. 1. ait: Christus factus fuit nobis sapientia à Deo, iustitia, sanctificatio, & redemptio. Hæc sunt ex prophetis sumpta. nunc proferamus.

Argumenta ex Euangelio, seu nouo Testamento.

VICESIMVM argumentũ. Passim in Euangelio legimus Christum commendasse fidem eorum qui misericordiam implorarũt. Multis etiam dixit, fides tua te saluum fecit. Mat. 8. 9. 15. Marc. 2. 5. 10. Luc. 5. 7. 8. 18. Atque è diuerso frequenter Christus improbat in Pharisæis, iustitiam operum, eamque docet ad veram iustitiam coram Deo momentum nullũ adferre, vt Luc. 18. in parabola de publicano & Pharisæo. Omnes verò hi loci manifestè euincunt, homines fide absque operibus iustificati.

Si quis autem contendere volet, fidem in illis locis non accipi, vt propriè respicit in promissam misericordiam & remissionem peccatorum propter Christum: sed potiùs intelligendam esse fidem, qua postulantur à Deo signa & miracula, huic satisfiet adhibita ipsius Christi interpretatione. Is namque astruit se illam in illis fidem amplecti & prædicare: quæ ipsum agnoscit & confitetur promissum Messiam, ex semine Dauid natum.

tum: qualem confessionem à nonnulis clarè editam legimus. Nunc ad Paulum veniamus.

VICESIMVMPRIMVM argumentum ad Rom. 3. à glorioso, siue ab eo quod gloriæ Dei amplificandæ magis congruit.

Illud maximè decet fieri quod ad amplificandam Dei gloriam est magis accommodatum. Sed si iustificatio hominis perficiatur gratis per fidem absque operibus, cedit hoc ad maiorem gloriam & commendationem iustitiæ, bonitatis, ac potentiæ Dei, quàm si hominem oporteret iustitiam promereri suis operibus. Igitur fide & gratis iustificantur homines non operibus. Hoc arg. repetitur. Eph. 1. & 2. & 1. Cor. 1. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Si. n. nostris iustificaremur operib', magna nobis gloriãdi materia superesset.

VICESIMVMSECVNDVM argumentum, ad Rom. 3. & alibi passim, à dignitate & effectu sanguinis siue mortis Christi. Illam sanguinis effusionem & mortem Christi verè dignam æstimare debemus, ob quam solam Deus Pater nobis peccata absque operibus nostris remittat, nosque gratis recipiat in gratiam, & pro iustis habeat. Proposuit (inquit) Deus Christum reconciliatorẽ, &c. Et Rom. 5. Iustificati sanguine eius seruabimur, &c. Ad Hebræos. 9. Si sanguis taurorum, &c. Idem confirmant omnes loci in nouo Testamento, in quibus mentio fit de sanguine, de morte Christi, de humiliatione & cruce, de oblatione, hostia,

sacrificio, redemptione, reconciliatione per Christum facta: in quibus insuper Christus vocatur agnus, mediator, reconciliator, intercessor, aduocatus noster, qui propè sunt innumeri.

VICESIMVM TERTIVM argumentum, ad Gal. 2. ab eo quod euertat Christi merita, & manifesta cõtumelia Deũ afficiat, qui potius operibus suis quàm fide & gratuita misericordia propter christum oblata, ambit iustificari. Quicunque vult iustificari operibus potiùs quàm gratis & per mortem christi, is gratiam Dei per christum & per christi mortem oblatam aspernatur, & mortem christi eneruat, vtpote qui huic sua opera anteponat. Sed gratiam Dei cõtemnere, vel mortem christi eneruare non licet. Igitur neque licet statuere, quod per opera nostra iustificemur. Vitam quam nunc viuo in carne, &c. Gal. 2. Hebr. 10. Qui aspernatus fuerit Mosis legem, &c.

VICESIMVM QVARTVM argumentum ad Rom. 10. à natura contrariorum, siue ab eo quòd iustitia quam censent homines iustitiam, & iustitia quam Deus censet iustitiam, sint contraria, ac necessum sit vna posita tolli alteram: ac proinde humanam iustitiã debere illi cedere, quæ iustitia est apud Deum. Rom. 10. Testimoniũ perhibet fratribus, &c. Rom. 4. Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet, &c. Tit. 3. Non ex operibus quæ sunt in iustitia, &c. Phil. 3. Iuxta iustitiã quæ est in

est in lege factus irreprehensibilis, &c. Ergo suum iudicium Dei iudicio proteruè opponant, quicunque non per fidem sicut Deus constituit, sed per opera in quibus iustitiam ipsi ponunt, volunt iustificari.

VICESIMVM QVINTVM argumentum ad Rom. 11. ad Gal. 3. & alibi à natura contrariorum, siue ab eo quòd opera & fides, lex & gratia, sint immediatè contraria. Quamobrem vbi diuina sententia semel definitum est, homines iustificari fide & per gratiam, necessario conficitur, nõ posse iustificari eos lege vel operibus. Ad Rom. 11. Si per gratiam salui sunt, non iam ex operib. &c. Ad Gal. 3. Quod in lege nullus iustificetur apud Deum palam est, &c. Si ex lege est hæreditas, &c. Ioa. 1. de plenitudine eius nos omnes accepimus, &c. Ephe. 2. Gratia seruati estis per fidẽ, idque non ex vobis. Dei donum est, non ex operib. Rõ. 3. lex fidei opponitur legi operũ.

VICESIMVM SEXTVM argumentum, ad Gal. 3. à signis & effectis fidei seu iustificationis per fidẽ, quæ credentes experiuntur. Hoc solum, inquit, cupio discere à vobis, Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Adeò stulti estis, cum spiritũ acceperitis, num carne consummamini? &c.

Notum vero est quòd donatio Spiritus sancti sit iustificationis certa testificatio. Ad Rom. 5. Dilectio Dei effusa est, &c. Ephes. 1. qui Euangelio salutis crediderunt, dicuntur obsignati, &c. Actor. 15. Qui nouit corda

Deus, testimonium præbuit gentibus, dans illis spiritum sanctum, sicut & nobis, nihilque discreuit inter nos & illos, cùm fide purificauerit corda illorum.

VICESIMVM SEPTIMVM argumentum, ad Rom. 8. Actor. 15. à vilitate nostrorũ operum, præsertim quæ ante iustificationem fiunt. Palam namque est nos legem nũquam perfectè implere, ac proinde opera nostra imperfecta & inquinata semper esse. Quamobrem vt Deo placeant, vel iustitiam promereantur, planè impossibile est. Rom. 8. Etenim quod Lex præstare non poterat, &c. Actor. 15. Quid tẽtatis Deum, vt imponatur iugum, &c. Isai. 64, Ecce fuimus nos omnes quasi immundus, &c.

VICESIMVMOCTAVVM argumẽtum, ad Hebr. 10. & 11. ab exemplis Sanctorum Patrũ, qui omnes non alia ratione quàm fide iustificati sunt. Sic namque author epistolæ ad Hebr. postquam in initio eius disputationis, cap. 10. generalem illam sententiam retulisset ex proph. Iustus ex fide viuet, & cap. 11. dixisset simpliciter, per fidem testimonium promeritos maiores: statim enumerat plura exempla, dicens quod iustificati sint Abel, Enoch, Noe, Abrahã, atque ita deinceps omnes alij sancti patres & Prophetæ, ex qua enumeratione concludi debet, quòd omnes qui iustificantur, eadem ratione per fidem iustificari oporteat.

Etsi verò in exemplis illis plerũque admiscean-

sceantur quædam ad commendationem bonorum operum pertinentia, sic tamen ea debent accipi, posita pro effectis seu signis fidei ac iustificationis per fidem. Atque ita omnia ad comprobandum quod homines fide tantum iustificentur, tendunt. Argumento est quod in singulis locis fides primo loco extollitur, ceu seorsum ante quæcunque alia in patribus considerandæ: dehinc quod initio eius partis generales illas propositiones, quas diximus, pro disputationis statu collocat: denique passim miscentur in sermonis progressu, quæ idem declarant: cuiusmodi sunt hæc.

Abel per fidem testimonium meruit, quod esset iustus. Enoch priusquam transferretur, testimonium meruerat quod placuisset Deo, &c. Et ad finem disputationis cap. 11. generatim de vniuersis dicitur: Omnes hi testimonium promeriti sunt per fidem. Quibus omnibus idem planè dicitur quod in epist. ad Rom. & ad Galat. sæpius repetitur, iustificari videlicet homines fide absque operib⁹. Quin etiam notum est, bona opera ex fide tanquam fonte ac seminario scaturire & pullulare: neque intelligi posse cuiusquam opera esse bona, laude digna & Deo accepta, nisi persona primùm fuerit Deo probata & commendata per fidem. Qua ratione Genes. 4. dicitur quod respexit Deus ad Abel & ad oblationem illius. Augustinus superiora argumenta tractat lib. de spiritu & litera.

8.

OBIECTIONES ADVERSARIORUM.

1. Obiectio.

Cur data est Lex, Si non iustificat.

De vsu legis ad Rom. 7. & ad Gal. 3. Si lex siue bona opera secundum legem facta non iustificant, cur igitur lata est Lex? Quorsum opus fuit illam præscribi à Deo, vel ab hominibus obseruari, si per eam nõ peruenitur ad iustitiã: Atque huc pertinent quibus mandatur legis obedientia, quales non pauci in libris sacris occurrunt.

Dilutio.

Alij fines data legis.

Lex non est data vt iustificet, sed alios ad fines, eosdémque perutiles, sanctos ac necessarios.

I. Data est, inquit Apostolus, propter transgressiones: hoc est, non vt iustitiam cõferat, sed vt iniustitiam prohibeat & coerceat. Qui vsus ad impios potissimũ spectat, quos coerceri lege quasi fræno iniecto necesse est, ne præcipites ruant in quęuis peccata. 1. Tim. 1. Scimus quod bona sit lex, si quis ea legitimè vtatur, sciens illud quod iusto non sit lex posita, sed iniustis, &c. Appositè hic referrentur comminationes quę in lege & Prophetis aduersus peccatores extant, quandoquidem harum omnium communis finis est, impios aliquo modo cohibere, ne temerè ad quæuis ferantur flagitia.

II. Da-

II. Data est lex vt transgressores qui sibi à peccando temperare haud potuerũt, redarguat, atque ad agnitionem peccatorũ & pœnitentiam adducat. Ac propriè hic vsus iis confert, qui vitam corrigere, atque in viam redire cupiunt. Ad Rom. 3. Per legem agnitio peccati. Et ad Rom. 7. cap. Peccatum non cognoui nisi per legem, &c. Ex cognitione autem peccati deducitur homo ad pœnitentiam, quando nimirũ intelligens, quæ, quàm scelesta & horrenda peccata designarit, persentiscit se iram Dei, siue æternã damnationem promeritum. Rom. 4. Lex iram operatur, &c. Rom. 5. Lex obiter subijt vt abũdaret delictum. Rom. 7. Veniente mandato, peccatum reuixit, &c. Qui porro vident se ob peccata sua reos esse, neque possunt à lege præsidium vllum expectare, coguntur si salui esse velint, cõfugere ad mediatorem & intercessorem Iesum Christum, atque propter hunc postulare à Deo patre misericordiam, peccatorum remissionem, nouam iustitiam. Atque ita lex deducit aliquo modo ad fidem: quę ad iustitiã imputatur: illa ipsa verò per sese minimè iustificat.

III. Data est Lex, vt eos qui iam credũt ac iustificati sunt, doceat, quænam sint opera Deo accepta, & quæ facienda, omittendáve, simúlque ad omnis generis bonas actiones inuitet. Conuenit ergo hic vsus legis propriè piis, siue iam ad Deum conuersis. Rom. 2. Acquiescent in lege, &c. Rom. 7. Lex ipsa qui-

dem sancta, &c. cap.13. Consummatio legis dilectio.1.Tim.1.Finis præcepti est charitas, &c.1.cor.7.Circumcisio nihil est,&c. Libet tandem concludere cum Apostolo, Galat. 3. Si data fuisset Lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed concluſit Scriptura omnia sub peccatũ, vt promissio ex fide Iesu christi daretur credentibus.

II. Obiectio.

De promissione vitæ æternæ operantibus bonum.

Passim occurrunt in libris sacris sententiæ & promissiones quæ legis obseruatoribus promittunt iustitiam,vitam,& id genus amplissima beneficia.Leuit.18.Galat.3.Qui fecerit ea homo,viuet in ipsis.Matth.19. Si vis ad vitam ingredi,serua mandata.

Dilutio.

I. Rectè dici potest, quod in plerisque eiusmodi locis commendatur iustitia externa,quę meritò magni fit, ac plurimùm valet apud homines,non autem apud Deum.In negotio autem iustificationis, iustitia requiritur interna & coram Deo. Quam rationem indicat Apostolus ad Galat.3. Quod autem ex lege nullus iustificetur apud Deum,palam est:Siquidem iustus ex fide viuet,&c.Rom.4. Si Abraham iustificatus est ex operib. habet quod glorietur,sed non apud Deum. Nulla igitur apud Deum iustitia ex lege vel bonis operib.acquiritur, sed tantùm apud homines.

II. Intelligitur in eiusmodi locis latens

ter inclusa conditio, perinde ac si diceretur. Tunc quidem iustitiam ac vitam ex lege expectandum fore,vbi aliqui eam exactè,vt par est,& secundum mentem legislatoris obseruauerint.Atqui cum vnusquisque propria cõscientia accusante conuincatur, quod legem minimè præstet quemadmodum debebat, perspicuum sanè euadit,quod per legem nemo coram Deo iustificetur: sed necesse habeant omnes aliunde, videlicet à mediatore christo opem & solatium quærere. Et non obliquè hanc rationẽ notat Apostolus Galat.3.vbi ait:Lex autem non est ex fide,sed qui fecerit,&c.Si data fuisset Lex quæ posset iustificare,&c.Rom.8.Etenim quod Lex præstare non poterat,&c.Actor.15. Iugum legis neque patres nostri, neque nos portare potuimus.

III. Obseruandum est, plurimos locos qui de præmiis & iustitia operum loquũtur, propriè intelligendos esse de bonis operibus quæ ab his fiunt,qui iam ante sunt per fidem semel iustificati: à quibus quæ opera bona fiunt,ea Deo accepta sunt,non quidẽ ratione ipsarum actionum per se, sed quia personæ iam ante per iustitiam fidei placent.

Huc pertinent præclara illa exempla de actionibus sanctorum patrum per fidem editis, Hebr. 11. quæ magnopere prædicantur, sed quatenus ex fide trahunt originem, atque à personis fiunt fide iustificatis. Et cum in iisdẽ semper conspiciatur magna

diligentia, qua cauent ne cõtra præcepta Dei quicquam committant, néue nouis peccatis gratia Dei excidant: sæpenumerò in talibus bona opera vt iusta commendãtur, simúlque ad iustitiam imputari dicuntur.

Hoc pacto interpretari conuenit huiusce modi locos. Deuter. 6. Erit hæc iustitia nostra, &c. Deuter. 24. Erítque id tibi pro iustitia coram Domino, reddere pauperi depositum. Psalm. 106. Zelus quo Phinees accensus interfecit Israëlitam, dicitur ei ad iustitiam imputatus. In cuius facto maximè considerandam esse fidem, epistola ad Hebræos testatur.

Dignum verò obseruãtur est, quod vbicũque loci occurrunt in scripturis de iustitia, ex operibus legis concionantes, semper aliquid præcedit aut sequitur, aut alicubi miscetur de iustitia ex fide, vel de gratuita misericordia propter Christum promissa, interpretandum. Quod Apostolus cùm alibi, tum Rom. 10. declarat, vbi locum Deuter. 30. Ne dixeris in corde tuo, Quis ascẽdet in cœlum, &c. allegat: Quis nostrũ agitaret, in illis verbis, tale de iustitia fidei argumentum fuisse repositum.

III. *Obiectio.*

De merito congrui. Bona Opera quæ fiunt ante iustificationem, procul dubio præmia à Deo accipiunt. Generalis est sententia, Nullum bonum non remunerari. Quamobrem congruum est, vt per ea etiam iustificentur homines.

Dilutio.

I. Non sunt appellãda opera verè bona quæ fiũt ante fidem seu iustificationem. Possunt quidem fieri nonnulla, quę bonitatis externam speciem præ se ferant: sed quando nõ oriuntur ex ijsdem causis, nec fiunt eodem modo, nec ad eundem tendunt finẽ, ad quem diriguntur opera credentium, longissimo distant interuallo, nec inter verè bona opera conferi possunt. Qua ratione distinguuntur Rom. 4. Iustitia coram hominibus, & iustitia coram Deo Rom. 8. affectus carnis & spiritus. 1. Cor. 2. Sapientia huius seculi, animalis homo, & sapientia coram Deo in mysterio, spiritualis homo.

Quocirca prudenter collegerunt sancti Patres, magnum esse discrimen inter virtutes philosophicas & Christianas. Illæ námque oriuntur tantum ex doctrina vel institutione naturali, quæ alias infirma & corrupta est: parantur & fiunt assuefactione vel naturali impetu, finem habent gloriam, aliáque bona externa: Hæ verò trahunt originem ex notitia Euangelij & verbo Dei, fide & dilectione intentæ sunt in Dei gloriã & proximi vtilitatẽ.

II. Cum huiusmodi opera ante fidẽ vel sine fide non sint verè bona, manifestum est quod præmia non accipiunt. Quo enim iure, pro eo quod per se bonum non est, bonum aliquod rependatur? Aut si tandem aliquod bonum conferatur, necesse est fateamur id nõ propter operum dignitatem, sed planè gratis

conferri: sicut & ipsæ bonæ actiones, ipsius Dei actiones sunt, & gratis datæ, quas postea nonnunquam dignatur Deus etiam gratis coronare, & nouis honestare bonis deinde si præmium vllum opera illa ante fidē vel absque fide facta accipiunt, non tamen nisi temporale (vt opes, victorias, quietem externam, & eiusmodi vt Ezech. 29. promittitur Babylonio regi regnum Ægyptiorum) vel certè intellectuale (vt sapientia, intellectus, prudētia & eiusmodi, quibus Deus solet subinde etiam gentiles ornare) at verò spiritualis nullo modo.

III. Etiam si præmia spiritualia conferrentur bonis operibus (quod tamen nec petitur nec cōcedi debet) minime tamen sequeretur quod propterea impēderetur iustificatio seu iustitia. Nam Deus diues est, ac varia potest conferre dona prout libet. Eligit autem fidē præ omnibus aliis, quam vellet ad iustitiam imputare: operibus verò neutiquam eodem modo iustitiam proposuit. Ideo debet hæc voluntas & hoc iudicium Dei sufficere.

Sunt proinde omnes illi scripturarū loci, qui præmia spiritualia, veluti iustitiam: remissionem peccatorum, salutem, vitam siue in præsenti seculo, siue in futuro promittunt, exponendi, non de iustificandis, sed de his qui iam fuerint iustificati. Certum namque est horum bona opera Deo in primis placere, quamuis nō propter hæc ipsa per sese: sed multò magis quia ex fide prodeunt, respiciēte in

in mediatorem Christum, per quam fidem & propter quem mediatorem personæ acceptæ sunt, atque ita cum personis simul bona opera quæ ab ipsis fiūt. 1. Tim. 1. Pietas habet promissiones vitæ præsentis & futuræ. Marc. 10. recipient centuplum in hac vita, ac in futuro seculo vitam æternam.

IIII. *Obiectio.*

An fide sola iustificemur: & quomodo id intelligendum est,

Fides non potest esse sine bonis operibus, nec videtur dilectio separari posse à Charitate, quandoquidem frequentissimè in Scripturis coniunguntur. Ergo fides non sic iustificat, quin simul etiam iustificent adiuncta ei bona opera.

Dilutio.

I. Sacra scriptura plures depingit iustificatos, in quibus nullum opus bonum, sed tantùm fides spectatur. Luc. 18. publicanus. Luc. 23. Latro in cruce. Actor. 8. Eunuchus à Philippo baptizatus. Hæc & similia exempla satis perspicuè demonstrant, fidem in initio sine bonis operibus reuera subsistere, atque eam sic operibus vacuam imputari ad iustitiā & remissionem accipere peccatorum.

II. Si in aliquibus locis videtur cōiungi bona opera cum fide, & sic commendantur illa, quasi per eadem aliqui essent iustificati: sic interpretari conuenit eiusmodi locos, vt separatim consideretur in personis fides, ceu quæ prior extiterit separatim deinde bona opera tanquam fidem sequentia

quomodo effectus sequantur causam, & fructus prodeant post iacta semina. Vbi porrò de iustificatione quæritur, quatumlibet fides & dilectio seu bona opera videantur inter se coniuncta: decernendum tamen est, ex vna parte fidei propriè iustificationem apud Deũ tribui, ex altera parte dilectionem alia quędã præmia & beneficia accipere, atque ita vtranque, hinc videlicet dilectionem, inde verò fidem à Deo coronari. Ac natura quidē fides prior est, & aliquo vsque, vt sic loquar, per se subsistit: Dilectio verò seu opera dilectionis sequantur veluti effectus, signum & comprobatio fidei. Fides capit incrementa, similiter autem crescit & dilectio, & vtraque magis magísque Deo placet: sic tamē vt illa propriè ad iustitiam imputetur, hæc verò aliis ornetur beneficiis. Hoc pacto intelligendũ quod de Cornelio dicitur Actor. 10. quod orationes & eleemosynæ eius ascenderunt.

III. Etiam si concederetur fidem & charitatem, & quascũque præterea virtutes, simul eodémque tempore in vno homine pereę excellere: at respicere nos præcipue oportet ad ordinationem ac voluntatem Dei, quę dignatur fidem eligere, vt eam imputet ad iustitiam, præ charitate, bonis operibus, & quibuscunque aliis rebus.

IIII. Si quibus in locis, in diuulsę coniũgi videtur charitas cum fide, atque iustificatio eadem ratione attribuit charitati, qua tribuit eam dicimus fidei: operæprec ũ est eiusmodi locos

locos intelligi, non de iustificandis, sed de iustificatis.

V. *Obiectio.*

De merito bonorum operum.

Fides cùm per se videatur res exigua, tum est donum ipsius Dei, nihílque in ea consideratur quasi nostrum. Atqui vt iustitiam apud Deũ consequamur, meritò aliquid præclarũ & commendatione dignum, in primis verò bona opera, ex parte nostra in nobis requirũtur. Atq; hoc sibi volũt permultę scripturarũ sententię, quę videntur merita nostra cõmendare, ac dignitatem aliquam vel præparationem ex parte nostra exigere.

Dilutio.

I. Fides nõ est res exigua: sed plena dignitatis & ad amplificandam gloriam Dei valde accommoda, totáque intenta: quemadmodũ ex præstantia fidei Abrahæ apparet. Rom. 4.

II. Fides est donum Dei, Ephes. 2. Itaque eo ipso nomine magis Deo placet fides, eámque in nobis imputat ad iustitiam. Quod à Deo est, id meritò illi ante omnia est acceptum: quod verò à nobis est, placere illi non potest, vtpote nostra ex parte contaminatũ. Nec possemus re vera aliquid à nobis, quasi ex nobis profectum, in cõspectu diuinę maiestatis exhibere, 2. Cor. 3.

III. Si quæ elucent in nobis opera bona, sunt & ea ipsa Dei dona, ac Deus in nobis, sicut illa incipit, ita & perficit: vsque adeo quicquid boni agimus, illius planè est, eique acceptum ferri debet. Ephes. 2. Non ex operibus. Psal. 1.

IIII. Gratis iustificamur, ideo vt diserte & multis locis testatur Paulus ad Rom. 3.& 5.& ad Galatas.2.3.

Cur & quo sensu dicatur nos fide iustificari.

V. Sed neque fides ipsa eiusmodi virtus est seu qualitas, quæ ob suam excellentiã vel difficultatem promereatur iustitiam apud Deum: sed cùm nobis à Deo ipso donetur, sitque ipsius Dei opus in nobis, Ioan. 6. dignatur ille eam acceptare: nõ propter eius dignitatem in sese, sed propter nobilissima obiecta, id est, promissiones, & ipsum Filiũ Dei Christum, in quæ obiecta fides perpetuò intenta est. Atque hinc fit, quod non dicitur fides promereri ad iustitiam, sed imputari ad iustitiam nullo videlicet merito interuenente. Rom. 4.

VI. Si quæ causa, dignitas, præparatio ex parte nostra quæritur, nulla sanè reperitur potest, non magis quàm in nobis causa vlla inuenitur nostræ electionis, quæ ab æterno ante constitutionem mũdi, & antequam aliquid boni vel mali fecerimus, perfecta est. Ephes.1. Rom. 9. Sed causa omnis & dignitas, seu præparatio ad iustificationem nostrã spectans, ponenda est in beneplacito & proposito Dei patris: deinde in dignitate, operibus, obedientia, non nostra sed Christi filij Dei. Rom.3.& 4.& 8. Ephes.1.

VI. *Obiectio.* (habere debent.

De iustitia inhærente.

Qui iustificantur, aliquid iustitiæ propriæ

At qui in Christo iustificari dicuntur, nil iustitiæ propriæ habent.

Ergo per Christum iustificatio nõ sufficit,

nisi propria iustitia accedat.

Dilutio.

Paulus respondet huic obiectioni 5. capite ad Romanos, ratione sumpta à pari. Per vnum hominem Adamum, primum nostrũ parentem, effectũ est vt peccatũ introierit in mũdum vniuersum, & per peccatũ mors, ita vt omnes homines ab eo descẽdẽtes peccato fuerint inquinati, & per peccatũ pertracti in mortẽ: quãto magis igitur per vnũ hominem Iesum Christum, iustũ, adferri potest in mũdum iustitia, ac per iustitiam vita æterna, ita vt per hunc Christum multi alij (credentes videlicet) iustitiæ fiãt participes, ac vitã accipiant æternam. cõparatio est personæ christi cum persona Adami, & quãtò dignior est Christus quàm Adamus, tantò oportet intelligi potentiores effectus ab illo promanare. Itaque sunt per peccatum, & quidẽ originale tantùm (vt nil dicamus de actuali) homines fiunt propter Adamum iniusti & æternę dãnationis reisic per fidẽ homines fiũt propter christũ iusti, atq; ad vitã perducũtur ęternã.

VII. *Obiectio.*

Sãcti cõmorãt iustitiã suã, ac petũt secũdũ iustitiã suã apud Deũ iudicari. Ps.17.7.&c.

Quo sensu Sancti iustitiam suam in medium proferant.

Ergo secundum opera sua iustificandos se existimarunt.

Dilutio.

1. Aliquoties conferunt vitam suam & acta cum impietate & malitia aduersariorum: & sistentes se diuino iudicio, significant si examen fieri debeat, suam causam fore

meliorem, ac se prę aduersariis absoluendos. Estque hæc ratio sumpta à consuetudine humanorum iudiciorum.

2. Aliquoties sic loquuntur freti fiducia bonitatis diuinæ, & ad prædicandum Dei in se beneficia. Qui enim iam sunt semel iustificati, interpretantur se, quatenus nõ amplius secundum carnem ambulant, posse in bonitate Dei acquiescere. Statuunt nanque se Spiritu Dei Sancto regi ac gubernari, cuius ope & cauent ne peccata designent, & ad bonas actiones varias excitantur. Vnde agnoscentes Dei beneficia & Spiritus Sancti mirabiles effectus, tacitè gaudent in conscientia, & bona opera commemorantes, nihil aliud quàm piè sanctéque in Domino gloriantur. In hãc sententiam Apostolus Rom. 8. 1. & aliis locis ostendit quàm efficax sit Dei gratia in omnibus piis.

3. Proponunt interdum sancti actiones suas examinandas, non vniuersas & per omnẽ vitã editas, sed ad certum genus negotij pertinentes, de quo bene conscij sunt, séque audent insontes proclamare. Quo pacto Dauid suam testificatus est innocentiam, quando ad Saulem ait 1. Sam. 26. Dominus retribuat vnicuique secundum iustitiam suam.

VIII. *Obiectio.*

Nec nouam nec erroneã esse hãc doctrinam.

Doctrina de sola fide iustificante multos grauiter offendit propter locutionis formã, quæ in Scripturis non inuenitur. Ergo noua est recipienda.

Dilu-

Diluitur.

1. Aliud est Scandalum acceptum & pharisaicum, aliud datum. Offendũtur Sophistæ, ædificantur & consolantur pij.

2. Quando sententia verborum in Scripturis, expresse continetur, formulę non sunt reijciendæ, modò nõ sint nouæ, ambiguę aut obscuræ, vt vox Trinitas, Consubstantialis, &c.

3. Paulus sæpissime in epist. ad Rom. & Galat. asserit hominem iustificari fide absque operibus: quæ locutio respõdet prorsus huic, sola fide, & excludit opera Rom. 3. Gal. 2.

Testes Paulus, & Apostolici viri. Veteres doctores, & Scholastici.

4. Veteres Ecclesię doctores asseruerũt hominem iustificari sola fide. Hi verò sunt.

Origenes, anno 230. in Epist. ad Rom. lib. 3. Cap. 3. & in explanatione illorũ verborum, vbi est gloriatio tua. Item tract. 3. in Iobum.

Cyprianus, anno 250. lib. 3. adu. Iudæos, cap. 42. & 43.

Eusebius Cæsariensis, anno 330. lib. 3. historiæ Eccles. cap. 27.

Hilarius, anno 345. Canone 8. in Matthęũ. Idem de Trinitate, lib. 6.

Basilius, 370. in concione de humilitate.

Chrysostomus, anno 380. in 3. cap. epist. ad Romanos, & cap. 5. Itẽ tomo 5. homilia quadam de fide & lege naturæ, & spiritu Sancto.

Ambrosius, anno 380. in epist. ad Rom. cap. 3. 4. & 9. in 1. ad cor. 1. in epist. ad Galat. cap. 2. & 3. in libro de vocatione gentium.

Augustinus, anno 400. tractatu 42. in Ioãnem aduersus Pelagianos, in quæstionibus veteris & noui Testamenti.

Cyrillus, anno 430. in Ioannem l. 4. c. 29.

Primasius, anno 440. in cap. 4. & 5. epistolę ad Romanos, 2. & 5. epist. ad Galatas, & alibi passim.

Hesichius, anno 490. in Leuiticũ. li. 1. c. 2.

Gennadius, anno 500. in 3. ca. epi. ad Rom.

Oecumenius, anno 530. in 4. cap. epist. ad Rõ.

Theophylactus in 4. ca. epist. ad Rom. & 3. ad Gal. & 2. ad Thessal. & alibi passim.

Author commentariorum in omnes epistolas Paulinas, qui extant inter opera Hieronymi, in enarratione cap. 4. & 5. ad Rom.

Haimo Halberstatensis, anno 834. in 3. ca. epist. ad Galat. & in 11. epist. ad Hebræos, & in Euangelio de circunciſione Christi.

Rabanus Maurus, anno 856. in epist. Iacobi & in libro de fide.

Bernardus, anno 1105 multis in locis, præcipuè in serm. de annuntiatione. & 22. in Canticum.

Petrus Lombardus, anno 1220. lib. sententiarum 3. distinct. decima quinta.

Thomas Aquinas, anno 1270. in 2. cap. epistolæ ad Galat. & in 4. cap. epist. ad Rom.

Nicolaus Lycanus, in 3. cap. epistolæ ad Gala.

5. Necesse fuit omnino nostris temporibus doctrinam de iustificatione per fidem in Christo Iesu Ecclesiæ proponi propter impias

pias & nefandas hæreses de meritis operum, de congruo & condigno, à monachis inuectas, & portentosis traditionibus stabilitas. Quod si secus fuisset actum, funditus perierat Dei Ecclesia.

6. Locutio hæc, sola fide iustificamur, magnopere illustrat gloriã Dei, sicut diserte testatur Apostolus, Rom. 3. & 5. Secundò, mirificè prodest ad conscientiarum, quæ ob peccatorum magnitudinem, & iudicij diuini seueritatem percelluntur consolationem. Tertiò, non parum excitat ad ardentem inuocationẽ atq; implorationem diuinę misericordię. Vsus huius locutionis.

IX. *Obiectio.*

Et forma loquendi de sola fide, & tota doctrina de iustificatione per fidem absque operibus displicet quamplurimis, quod omnia bona opera videatur subuertere, atque homines ad bonas actiones reddere segniores. Doctrina de iustificatione per solã fidem non euertit, sed stabilit bona opera.

Dilutio.

Obiectionem hanc refutat Paulus 6. cap. ad Romanos.

I. Ducta ratione à dignitate beneficiorum Christi, quæ credentes in iustificatione accipiũt, ac primùm ratiocinatur à cõtrario. Qui mortui sumus peccato, inquit, quomodo posthac viuem' in eodẽ? Nõ potest fieri vt qui semel peccato sũt mortui, in eodẽ simulv iuãt. Sed quicũque in christũ credũt, & credendo sũt iustificati, sũt peccato mortui. Igitur qui in christũ credũt, sũtq; iustificati, viuere peccato non possunt. Maior nota est ex natura

priuatiuè oppositorum, mortuũ esse peccato & viuere peccato, consistere simul non possunt. Minor manifesta est à significatione & effectu baptismi, vel potius ab effectu mortis Christi in Baptismo. An ignoratis, inquit, quod quicunque baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus, &c. Quorum verborum hæc est sententia. In his qui credunt & baptizantur efficax est mors christi vt iis peccata remittantur. Atqui Christus moriens mortuus est peccato: igitur & nos per baptismum sumus vt exemplo, ita & virtute Christi peccato mortui, neque licet amplius in peccatis viuere. In summa, hac dilutione colligit Apostolus, fidem, iustificationem, obsignationem fidei & iustificationis in baptismo, mortem Christi esse eiusmodi, vt nos monere debeat, quò semel à peccatis liberati, deinceps peccata omni studio vitemus.

II. Rationem aliam proponit aliquo modo eam ducens ab obligatione ipsorum credentium. An nescitis, inquit, quod cui accommodatis vos seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iustitiam. Progreditur deinde Apostolus atque ostendit credentes quidem liberatos esse à lege, attamen adiunctos esse Christo, cui obligati & obstricti sunt, proinde atque mulier suo marito: quam ob causam decet illos piè sanctéque iuxta voluntatem & exemplum christi viuere.

III. Qui fide iustificantur, hi in ipsa iusti-

ficatione accipiunt Spiritũ sanctum, Act. 10. Gal. 3. Tit. 3. Rom. 5. Ephes. 1. Spiritus sanctus non est ociosus, sed suas vires in credentibus ita exerit, vt tum à peccatis eos auocet, tũ ad bonas indesinenter stimulet actiones: vide Rom. 7. 8. Gal. 5.

IIII. Impietas reproborum ipsis reprobis non cœlesti veritati tribuenda.

Ex supra dictis colligimus cum Apostolo fide iustificari hominem absque operibus legis. Rom. 3. & Gal. 2. Scimus non iustificari hominem ex operib. legis, nisi per fidem Iesus christi. Conclusio.

DISPVTATIO DE LECTIONE VETERVM

Scriptorum Ecclesiasticorum, contra IESVITAS, qui patres dignitate cum consensu Bibliorum exæquare conantur.

Instituta publicè, duabus vicibus, in gymnasio Dantiscano, præsente Magistratu, Ministerio Euangelico, & aliis viris R eip. literatis. Authore M. ANDREA FRANK, *tunc temporis Rectore.*

I.

ESTI multa insunt veterum scriptis Ecclesiasticis, decretis ac Conciliis, quæ turbent legentẽ, & à recta ratione dimoueant, si lectioni institutio desit: tamen eorũ cognitio maximopere expetenda est ab iis omnibus, qui solidiorum Theologiæ Sacrosanctæ notitiam affectant. I

II. 2. Etenim Patrũ pias enarrationes secundum Scripturam Sacrã asseruamus, tanquam de magnis vtriusque Testamenti cœnis, seu de conquisitissimis epulis reliquias.

III. 3. Sed Patres vocamus non illos profligatos & vanissimos libros, quibus totę Bibliothecę monachorũ refertæ, sunt de Frãcisco & similibus, sed eos qui proximè abfuerunt ab ortu & prima progenie Apostolorũ in nouo Testamẽto, vt Ignatiũ, Iustinũ, Martyrẽ, Irenæũ, Clemẽtẽ Alexãdrinũ, Ambrosium, Augustinum, quique horum similes vestigiis sacræ & purioris antiquitatis insistunt.

IIII. Horũ volumina partimur in διδακτικὰ, ἐλεγκτικὰ, ἱστορικὰ, ἀπολογητικὰ.

V. Eadem euoluimus propter doctrinã fidei analogõ, propter refutationes hęresium, propter refutationem erroris hæreditarij Iudęorum & Gentilium, propter historias, certamina & apologias pro orthodoxis.

VI. Primùm ob hãc caussã, vt ex puritate istius felicis seculi Apostolici vanitatem sequentiũ refellamus: iuxta dictum Tertulliani, primum quodque verissimum est, posterius adulteriũ.

VII. Secundò, vt perspiciamus, quæ synodi puræ, quæ impiæ fuerint, quæ conuersiones Ecclesiæ fatales acciderint.

VIII. Quemadmodum enim politiã ab initio & constitutionẽ & incrementũ habere cõtigerit, vt nihilominus pro tẽporũ cursu in cõtrarium mutetur: ita planè statutũ habeamus, fatales esse in Ecclesia reuolutiones, accelerantas à Diabolo, tyrannis, & peccatis priuatorũ.

IX. Tertiò, vt perspiciamus, quæ cõtagia errorum, quibus ætatibus (more serpẽtum) in Ecclesiam irrepserint.

X. Quartò, qui susceperint propugnationem pro ornamentis fidei orthodoxæ.

XI. Nam ex præteritis, sicut testata, & literis monumentisque consignata antiquitas egregiè nos monet, tam præsentia quàm futura iudicamus in multis casibus.

XII. Et adigerentur imbecilliores ad desperationem in tanta animorum distractione, nisi sciremus similia extitisse certamina.

XIII. cùm autem Patres non sint ἀναμάρτητοι atque expertes omnium errorũ, quales nobis aduersarij Papistę & Iesuitę pingũt & fingunt sanctos suos omni prorsus culpa vacãtes, cogitatè accuratèque perpendendũ est, vbi per ignorationẽ à via regia declinauerint, ne cũ consensu Scripturæ Propheticę & Apostolicæ ipsos authoritate atque dignitate exęquari patiamur.

XIIII. Patres contra analogiam fidei errare potuisse arguimus à posteriori.

XV. concilia nonnulla cõtra analogiam fidei errare potuisse arguimus à posteriori.

XVI. cùm præsertim sit ingens discrimen inter Prophetarum & Apostolorum volumina, & inter Patrum, Synodorũ, ac Põtificũ decreta.

XVII. Patres errarunt in dogmatibus, id quod ex ipsorum enarrationibus & disputationibus liquidò nobis constat.

XVIII. Patres errarunt in minutioribus, & indulserunt affectibus.

xix. Patres traxerunt aliquid contagij à gentibus, apud quas vitam suam exegerunt.

xx. concilia nonnulla fœdissimè hallucinata sunt in dogmatibus, & cõtradixerũt synodis purioribus, cuiusmodi sunt Ariminense, Seleucience, Syrmiense, Turonense, &c.

xxi. cõcilia sanxerunt ac superstitiosè confirmarunt traditiones humanas, cum opinione necessitatis & meriti.

xxii. Præter concilia, in iure canonico occurrunt horribilia cõmenta, vt distinct. 17. Nullũ ratum est aut erit vnquam concilium, quod Pontificis non fuerit authoritate suffultum.

xxiii. Distinct. 19. Sic omnes Sãctiones Apostolicæ sedis accipiendę, sunt tanquam ipsius diuina voce Petri formatæ.

xxiiii. Distinct. 21. De primatu Põtificis, detorto dicto Christi quò non oportuit.

xxv. Distinct. 22. de vtroque gladio, Sãcto Petro terreni & cœlestis imperij cura commissa.

xxvi. Distinct. 35. Esum carnium post christi aduentum esse inhibitum.

xxvii. Dist. 37. Libros gentiliũ nõ legendos Epis.

xxviii. Eadẽ distinct. reprehensio Episcoporum erudiẽtiũ filios in secularibus literis: quę quidem simillima videtur furori Iuliani Apostatæ, interdicentis christianis vsum librorum Philosophicorũ, poẽticorum, & oratoriorũ, vt quàm primùm Scholis collapsis Ecclesiæ excinderentur.

xxix. Eadẽ dist. Prohibitio lectionis Poẽtarum, ad alendam nimirum in Eccles[illegible], ac corroborandam barbariem & rudem ignorantiam.

xxx. Distin. 40. Si Papa innumerabiles populos cateruatim secum trahat in gehennam, huius culpã redarguere nemo mortalium prę sumat.

xxxi. Prę ter cõmenta scatet decretum iuris canonici horribilibus diaphoniis, vt distinct. 21. & 22. De primatu politico, & de vtroque gladio. Distinct. 36. & 88. sacerdos discat Scripturas Sacras, populum doceat, oret indesinenter exemplo Moysis, non pugnet. Et Episcopus secularibus curis occupari non debet.

xxxii. Præter cõtradictiones innumerabiles plenissimum est imitationum prauarum, rituum Iudaicorum ac ethnicorum, ineptiarúmque plus quàm puerilium, vt distinct. 4. tertiæ partis de consecratione, & alibi.

xxxiii. Possunt tamẽ ex eodem iure canonico aduersarij nostri erroris conuinci de præsenti statu Episcopatuum politico, cęteríque abusibus, vt ex distinct. 36. & 88.

xxxiiii. Magister Sẽtentiarum, Petrus Lõbardus, etsi pulcherrima methodo conscripsit capita doctrinæ Christianę: tamen permultas & inutiles & planè absurdas quæstiones interserit. Quãquam pro malis temporum istorum excusandus esse videatur, vt qui in seculũ infelix inciderit, cùm aliàs studiũ ipsi in propagãda atque tuenda veritate non defuerit.

xxxv. Ex Patribus, Synodis, hæresibus, liberalitate imperatorum Germanicorum vires suas traxit atque corroborauit regnum Pontificis Romani.

xxxvi. Ob has cauſſas concludimus tã libros Patrum, conciliorum ac Pontificum decreta, quàm Magiſtrum ſententiarum cum iudicio legendos eſſe: cùm præſertim, more zizaniorum, vitiant ſynceram Apoſtolici campi ſementem.

xxxvii. Id vt ſatis teſtatum apud animos noſtros relinquamus, authoritatem vtriuſque inſtrumenti Biblici & piæ vetuſtatis in conſpectu habeamus.

xxxviii. Prima authoritas petatur ex Hieremia Prophera, cap. 6. 16.

xxxix. Secũda, ex Paulo, Gal. 1. 8. Et 1. ad The. 5. 21.

xl. Tertia, ex Ioanne, 1. cap. 4. Probate Spiritus an ex Deo ſint.

xli. Præter Scripturam ſacram & ipſos Patres audiamus, atque eos non infimos, ſed anteſignanos, quale de hoc genere authorum ac de ſemetipſis præconium fecerint.

xlii. S. Ignatius in epiſtola decima ad Heronẽ diaconum Antiochenum, inquit. Quicunque dixerit quippiam præter ea quæ conſtituta ſunt, tametſi fide dignus ſit, quamuis ieiunet, quamuis in virginitate degat, quamuis ſigna edat, quamuis prophetet, pro lupo illum habeas, quíque ſub ouina pelle exitium peſtẽque affert ouibus.

Hieronymus ad Minerium, meum propoſitũ eſt antiquos legere, probare ſingula, retinere quæ bona ſunt, & à fide Eccleſiæ non recedere.

xliii. Ambroſius, Nos noua omnia, quæ chriſtus

ſtus non docuit, iure damnamus: quia fidelibus via chriſtus eſt.

xlv. Auguſtinus in epiſtola ad Hieronymum: Ego ſolis eis libris, quia canonici dicuntur, eum deferre honorem didici, vt nullum eorum Scriptorem erraſſe credã: cæteros verò, quantalibet ſanctitate doctrináque præpolleant, ita lego, vt non ideo verum credam, quia ipſi ſic ſenſerunt, ſed ſi per canonicas Scripturas, aut ratione probabili mihi perſuadere poterunt.

xlvi. Idem Auguſtinus, de Eccleſiaſticõrũ voluminibus, inquit: Si diuinarum Scripturarũ, quæ canonicæ nominantur, perſpicua firmatur authoritate aliquid, ſine vlla dubitatione credendum eſt: aliis verò teſtibus, vel teſtimoniis, quibus aliquid credẽdum eſſe ſuadetur, tibi credere, vel nõ credere liceat, quãtum meriti ea admonentem ad faciendã fidem vel habere, vel non habere perpenderis.

xlvii. Idẽ Auguſtinus, de ſuis voluminibus: Noli meis ſcriptis quaſi canonicis inſeruire, ſed in illis quod nõ credebas, ſi forte inueneris, incunctanter crede: in iſtis autem, quod certum non habeas, niſi certum intellexeris, noli firmiter credere.

xlviii. Præter ea, quæ à Bibliis & à Patribus, diuinitus præcipiuntur, & has regulas ab omnibus piis cõprobãdas, & ob oculos ponẽdas.

xlix. Prior: Omnia dicta Patrum non ſunt, nec debent eſſe fundamẽta vllius articuli chriſtianæ religionis, ſed cũ ex manifeſto verbo Dei

de causa constat, sunt illa accipiēda, vt rē illu strēt, si cum hac modò congruant, nō vt eam in hanc, vel in aliam sententiam deducant.

Posterior. Omnia scripta Patrum ad Scripturam, tanquā ad lapidem Lydium referenda sunt, & quicquid cum ea in interpretatione nō consentit, si commodè fieri potest, leniendum est: vel si non potest, suo loco relinquendum, & non approbandum est.

Sed vt ea, quæ à Bibliis in hoc genere & à Patribus consulentur in Spiritibus probandis, felicius atq; expeditius præstari possint, iaciēda sunt fundamenta in vtroq; Testamēto, in libris methodicis purioris Ecclesiæ, in linguis primariis & politiore literatura: ne præpostera quadam festinatione in labyrinthos diaboli incidamus.

Quum hæc disputatio haberetur, Pater Simon defensor Iesuitarum, quòd prima vice non ad finem vsque subsisteret, sed prætor omnium opinionem ex auditorio fugeret, ne plagā cū suis accepisse videretur, propositiones his contrarias valuis magni templi parochialis affixit.

FINIS.

AD IACOBI LEDESIMÆ, MONACHI NOVÆ SOCIETATIS,

QVAM NON SINE BLASPHEmia, societatem Iesu nominant, libellum: quo probare nititur, Diuinas scripturas, quauis passim lingua non esse legendas & sacrificium Missæ, in Ecclesia Christi, Hebræa tantùm, Græca, aut Latina lingua celebrandum.

TH. Q. T. *perspicua & breuis responsio.*

VERITATIS antiquissimus, atque adeò salutis nostræ hostis Satanas, in nulla vnquam re laborauit ardentius, quam in sacris literis, vel corrumpendis, vel occultandis: vt tandem sublata luce, miseros impietate mortales, idolomania, omni denique vitiorum genere irretitos, perderet. Cui suam operam, hac quidem in parte, plus satis & strenuam, & fidelem accommodarunt Iesuitæ: de quibus, ne quam facinoris postulet indignitas, conqueri grauiùs existimer: in medio rem proponere visum est, in-

diciũ lectori permittere. Quùm eadem, quæ permultos è fratribus verùm syncerè amplexos Euangelium, domo expulerat, me quoque belli procella solum vertere cœgisset: eáque de caussa, quemadmodum exulibus sæpe vsuenit, essem otiosus: cœpi mecum reputare, tum maximè inuicto animo veritatem esse propugnandam, & spiritualibus armis cum mundo Satánaque colluctandum, ne temporibus aduersis fracti atque debilitati esse videamur: quum noster ille hostis, suo robore omni succinctus, velut extremo conatu, in perniciem veritatis, quam frustra iandiu oppugnat, totum terrarum orbem concutere molitur. Ne longiùs abeam, in meas manus incidit perexiguus, & minimè ille quidẽ neruosus, cuiusdam Iesuitę libellus: qui quamuis responsione nõ indigeat, me tamen indignitate argumenti commouit. Negat enim Scripturas diuinas, vulgari, à plebe, lingua esse legendas: & ita negat, vt eorum, qui contra sentiunt, intolerãdam esse audaciam vociferetur: quos etiam, in hæreticorum album, eo ipso nomine, non dubitat referre. Itaque, diligentissimè considerandum est, quàm verè accusationem suam, & quidem grauissimam comprobet: vt aut impietatis rei, meritò esse peracti iudicemur, aut ille potiùs, impudentissimus calomniator habeatur. Ac primùm quàm vero, quamque ad rem accommodato sit vsus exordio, agè si placet despiciamus.

IESVITA.

IESVITA.

Diuina fides & religio, eam habent inter se affinitatem atque coniunctionem, vt vix vnã sine altera lædi contingat: ita vt qui fidei aduersetur, mox quasi effrænato impetu, religionem violare contendat: & rursus qui sacrilego pectore, religionem abijciat, in impietatem è vestigiò & errores varios præceps labatur. Haud secus contigit calamitosis nostris temporibus: nam quum primùm noua Lutheri fides, seu perfidia, in orbem inuecta est, de publico pariter religionis cultu immutando, deque sacrorum librorum versione, consilio ad eam rem appositissimo omnibus promulganda, inter ipsos hæreticos agitari est cœptum.

CHRISTIANVS.

Quid verò istud est, mi Ledesima, nisi, vt cum Dialecticis loquamur, τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖν. De vera inter nos fide, veráque religione quæritur: vos nostram, quæ & Christiana est, nullius enim hominis commenta amplectimur, sed veritatem Dei: nos vestram fidem, quæ Pontificia voluntate gubernatur, falsitatis accusamus. Est igitur τὸ κρινόμενον, cui tuam disputationem accommodare oportuit: quænam sit vera fides: Pontificiáne, an ea, quam profitentur illi, quos Lutheranos, & quidem falsò appellatis. Tu autem, controuersia tanta silentio prætereita, concludis.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Fides & religio tã arctè cohærẽt inter se, vt vix vnã sine altera lædi cõtingat. Lutherus lædit fidẽ, Ergo & religionem. Palmarium scilicet argumentum. Verùm enim verò, si Lutherus elabatur, angusta illa rimula, quã particula, vix, aperuisti, periculum erit, ne tam artificiosè structa ratiocinatio, tibi pereat. Viden' mi Iesuita, vt vestro more quæcũque attingis corrumpas: certa in dubium vocas, incerta asseris, vera refellis, falsa comprobas, denique nihil pensi habes, nisi, vt cum veritate bellũ geras. Quis enim, vel tam eminus sacras vnquam salutauit literas, vel tam peruerso ingenio foit: qui aut religionem lædi posse, fide inuiolata crederet, aut religione fidem? Nam quum fides norma religionis, religio sit opus fidei: vtraque simul aut lædatur aut illæsa permaneat necesse est. Ac quemadmodum, in prima epistola cap. 3. ver. 4. Ioannes, peccatum definit transgressionem legis: vt ex natura definiti, atque definitionis, duo ista inter se reciprocentur: ita quum fides, atque religio, non vt definitum, & definitio, sed vt relata retrò commeantia, similiter affecta sint: meritò violationem, & religionis, & fidei reciprocam esse docemus. Tu verò inuentus es vnus, qui quum eo ipso Axiomate pugnare velles, quamuis pessimè id quidem, tamen illud etiam eneruares: vt si totum argumentum tibi concederemus, quod certè nũquam obtinebis, nulla efficietur nisi admodum debilis complexio. Præterea,

ea, istam Christiani Axiomatis eneruationẽ, consequitur error alter: qui ne lateat, tuis verbis proditur. Dum enim duos & quidem ita discretos inter se peccatorum facis ordines, vt aliquando alter sine altero esse possit, quibus modo religionem, modò fidem violemus: non animaduertis, te sine fide religionẽ constituere, & sine religione fidem. Quod flagitium in Theologia longè grauissimum, à te data opera, fortasse cõmissum est. Solent enim Pontificii, vosque, hac in re Iesuitæ, omniũ ferè cõsensu, primas obtinere audio, neque fidem neque religionẽ curare, de hypocrisi tantum sua, & superstitionibus solliciti. Ad Lutherum autẽ quod attinet, suam ille causam, vel potiùs sibi cum Christianis omnibus communem ita egit, vt nullius hominis, nedum tantillo, quantulum esse meum agnosco libentissimè, patrocinio indigeat. Tu verò, Iacobe, malitiáne an memoria lapsus es? an tantæ rei gestæ, quanta nostra ætate nulla extitit, fœlicem historiam, vobisque monachis, vestróque adeò Pontifici perpetuò luctuosam, neque audisti vnquam, neque legisti? Quam enim fidem docuit Lutherus? Eam, si verũ fateri volumus, quam Prophetæ, Apostoli, Martyres, antiqui denique Christiani prodiderunt. Quã ille religionẽ, à Pontifice tuo efflagitauit, & si vlla isti sceleratissimo latroni cura salutis hominum, si verecundia vlla fuisset, impetrare debuit? Eã ita clarè dicam, vt audiatis, quam sacrosan-

&æ literæ, luculentissimis exemplis confirmarunt, ad memoriam sempiternam. Dic quæso Ledesima, ecquid tandem in cultu publicè recepto immutauit Lutherus. Sacros, inquis, libros conuertit, ad immutandam religionem consilio appositissimo. Ecquam verò religionem? Nempe illam, quæ libris sacris repugnat: quam enim aliam immutaret Lutherus sacrorum voluminum versione? At isti homines acutissimi lucem proferri, aiunt, vt offundantur tenebræ: veritatem vt aditus patefiat mendacio: legem, vt peccata celentur: Euangelium, vt salutis nostræ mysteria euanescant: denique Prophetarum & Apostolorum scripta, vt Propheticæ atque Apostolicæ doctrinæ fundamenta subruantur: cui verò, qui sensu modò communi præditus sit, hæc tandem persuadebitis? Quam autem verius est illos pietati velle insidiari, qui vt Pharisæi solebant, quum clauem cognitionis sustulerint, ipsi non introeunt, & eos qui conantur introire prohibent. Luc. cap. 11. vers. 52.

IESVITA.

" Callidi enim homines putarunt, si sacras
" literas, & recondita Euangeliorum arcana,
" populo rudi & nouitatis auido, sine vllo per-
" sonarum delectu proposuissēt: suas etiam hæ-
" reses, ex locis ibidem ostensis, & malè intel-
" lectis, haud difficilè, eisdem se posse obtru-
" dere, paulatímque nullo negotio easdem per
totum

totum orbem disseminare. "

CHRISTIANVS.

Non ita est, Ledesima, sed viri sapientissimi, & Spiritu Dei abundè præditi, Pontificiā idolomaniam toto pectore detestantes, quū intelligerent superstitiones tam veteratoriè fucatas, tam etiam veteres, tam altè in mentibus hominum defixas, euelli nulla ratione posse, nisi autoritate verbi diuini extraherentur: neque vllum Dei mandatū, exemplumúe, cui concedi par esset, illos ab incœpto deterreret: imò potiùs excitarentur, tum legibus Dei longè apertissimis, tum exemplis Sāctorum exceptione omni maioribus, de publicando Dei verbo libentissimè cogitarūt: cui & cogitationi, & multò etiam vberiùs labori, benedixit Dominus. Vobis autē qui alios publicati verbi diuini accusatis, causa dicenda est, cur populum, à lectione tam pia, támque salutari arceatis. At populus est rudis & nouitatis auidus. Vestra sanè culpa est, qui muti expectatis, dum imagines in tēplis collocatæ, pietatem populum doceant. Etsi vlla nouitate populus deciperetur, non vos quidem Iesuitæ, qui nuper admodum prodiistis; sed Pontificij reliqui, totam caussam sustinerent: qui dum vetera occultant, ad noua conquirenda plebem excitare videntur. Nec argumentum illud, pro dignitate decreui nunc explicare, tua tantum vestigia persequar, vbi pedem fixeris, ego etiam collatis, vt aiunt, signis præliabor. De illa verò insigni ratione

fallendi,quã sequutus est Lutherus dixi breuiter quid sentirem: ac ne tibi plus æquo placeas,ita nobis à Deo commendatur, vt nihil suprà. Nec non ipsæ scripturæ,nos ad se, ne decipiamur, sæpe reuocant, quibus magis quam tibi par est credere.vt Mat. ca.22.v. 29.*Erratis,nescientes Scripturas neque potẽtiam* Dei Ioan.c.5.v.39. *Scrutamini Scripturas*.Act. cap.17.vers.11. *Hi receperunt sermonem,cum omni alacritate,quotidiè, scrutantes Scripturas, an hæc ita se haberent.*Rom.cap.15.vers.4.*quæcunque scripta sunt ad nostram doctrinam scripta sunt.*At Scripturæ àLuthero malè intelliguntur. Hoc verò non est disputare,sed conuitiari.Sunt in medio Scripturæ, suæ ipsarum interpretationis atque intelligentiæ iudices: ostendite,vel à Luthero,vel à quoquam nostrûm,eas perperam esse intellectas:non modò veritati non repugnabimus,verùm etiam vobis partam de nostra ignorãtia victoriam gratulabimur. Ecquid possum ego polliceri prolixius?

IESVITA.

" Præterea,de oratione Ecclesiæ publica,as-
" serit quoque Caluinus, Galliæ luctuosissima
" pestis,in 1.Cor.14. vt non alia, quam vulgari
" lingua fiat:nec posse quenquam orationis pu
" blicæ esse participem,nisi intelligat idioma
" quo publica oratio recitatur.

CHRISTIANVS.

Tu autem,Iacobe,quî hoc refellis? Extat doctrina Pauli ad Corinthios:extant Iohannis

nis Caluini,hominis excellenti tùm pietate, tùm eruditione,velis nolis prędiți,commentaria:quid tandem,qua autoritate, quo argumento refellis?An existimas, tibi falsitatem verbo asserere,satis esse nobis veritatem verbo tueri non licere?

IESVITA.

Sacrum quoque missæ,quam Cœnam isti " vocare,Ecclesiæ odio potiùs volunt:cæterá " que officia diuina,vulgari Sermone celebrari " oportere,tùm ab eodem Caluino,tùm modò " maximè summa,à reliquis seculi nostri hære- " ticis,contentione defenditur.

CHRISTIANVS.

Absit à nobis tantum scelus,Ledesima,tãtum,inquam,à nobis scelus absit, vt vel Gallicè,vel quouis alio idiomate,missam esse celebrandam,dicamus:qua idolomania, ne inter Ethnicos quidem, Sol vnquam detestabiliorem ipse vidit.An verò est quicquã Missæ,cum Cœna Domini, aut cum vlla re sacra commune?Næ si tu ita existimas, vehementer erras:de quo tamen errore tuo, erit alius dicendi locus. Vtri autem nostrûm peccent, nósne,qui rebus antiquis,antiqua etiam conseruamus nomina: an vos qui nouis rebus, noua quoque vocabula imponitis? Et meritò certè δεῖπνον κυριακὸν tibi displicet,Missa placet:vt qui non Spiritu Christi,sed halitu fœdo tui Pontificis afflatus,mendacium veritati anteponendum putes.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Tandem primum libelli sui caput concludit Iesuita, demonstratque se, in vna consuetudine nostra cõuincenda, de tota religionis caussa, nobiscum velle confligere: quæ conditio, & si est iniquissima, & Iesuita planè digna, eis qui suis testibus & argumentis confidunt, minimè repudianda esse videtur: dum modo recordetur se, qui legem tulerit, eodem iure censeri. Addit conuitia, quæ prætermitti non debent eò, quòd in autore suo cõfutando, posteà vsurpabuntur.

IESVITA.

" Sed de hac iam execranda, sacrilega, & A-
" postolorum traditioni contraria, vulgari Mis-
" sæ, & officiorum diuinorum celebratione, ac
" publicæ Ecclesiæ orationis vernaculæ linguę
" prophana recitatione, & Scripturarum in o-
" mnibus linguis versione disseramus.

CHRISTIANVS.

Confusa res, confusa & oratio. Cæterùm hæc tam vera, tamque non Apostolorum traditionibus ementitis, sed monumentis αὐτοπτικοῖς cõtraria esse credim⁹, quũ de Missa, déq; diuinis vt ipsi quidem loquuntur, & celebrãdæ officiis, quacumque tandem lingua peragantur: quàm falsa sunt, quùm de administratione Sacramentorum legitima, lectione publica verbi diuini, precibus Ecclesiasticis mentio incidit.

Secundo capite partitur ea, noster Ledesima,

ma, quæ dicturus est: cui quidem partitioni benè conuenit, cum tribus commẽtitiis erroribus, capite superiori explicatis. Itaque quum nihil afferat noui, lectorem eisdem & recitandis & refellendis non diutùs fatigabo. Quid tamen polliceatur Iesuita, minimè prętereundum est: tùm illi vt gratulemur, etenim se præstaturum ostendit ea, quæ nos & magnifica, & singulari cõtentione animi expetenda iudicamus: tũ vt quam fideliter promissis steterit omnes intelligant.

IESVITA.

In singulis huius tractationis partibus, " primùm sacris literis: deinde sanctorũ Patrũ " testimoniis: tum perspicuis, & firmissimis " rationibus agemus. "

CHRISTIANVS.

Si hoc certè modo cõfirmaueris, quæ proposuisti, me quidem apertè, atque ingenuè confitente, litem viceris. Tantum enim, apud me, sacrarum literarum valet autoritas, nulli vt sententiæ, meum addere calculum recusem, quæ modò Dei verbo innitatur. De Patribus, autem, qui vt homines fuerũt, ita suos habuerunt nævos, ita sentio: si ad veritatem Scripturarum se adiungant, recipiendos esse: si verò ab illa recedant, non audiendos. Ad me autem quod attinet, vt doctissimorum virorum laborem summa laude dignum existimo: qui Pontificios maximè de Patribus

gloriantes,illustribus Patrum testimoniis refellerunt:ita mihi concedi fas esse puto,vt solis verbi diuini armis tectus, in aciem prodeam.Quum enim perspicuam,breuem,Analyticam methodum, meis addicere tractationibus Theologicis, decreuisse, necesse habui multis de caussis,ex sola Scripturarum veritate, alteram contradictionis partem constituere. Sic enim fore breuior disputatio videbatur,si aduersariis vberem ex Patribus rixandi materiam,præcidissem: sic etiam magis perspicua,siùa conciliandis tot Patrum sententiis, aliquando inter se pugnantibus: interpretandis compluribus loquendi formulis,non rarò duriusculis: denique vel ratione inuestiganda,excusandis Patribus,vel magna inuidia refellendis,abstinuisset. Analyticam verò differendi rationem, tunc fore demum arbitrabar,si omni autoritate hominum valere iussa, ἀμεταχίνητον è sacris literis θεμέλιον disputationi subtiterneretur. Itaque, quò res melius procedat, si quid è Patribus obiiciat Ledesima, dissimulato Patrum nomine, dissimulata quoque,si quam Patribus infligit, vt sæpe assolet,calumnia: ex illius hypothesi, argumentum excutiam, & nisi cum veritate consentiat,refellam.Sic & sua Scripturis manebit autoritas, & cum bona Patrum venia discedam,& Iesuita è vepribus suis extractus, in aperta luce versabitur. Idem de perspicuis rationibus,atque firmissimis, quas se allaturum pollicetur Ledesima,mei animi est iudicium.

cium.Vereor tamen, ne, quùm ad rem ventũ erit,ista omnis firmitas, in neruum erumpat denique.

IESVITA.

Constat ergo primò Apostolos,Græcè tãtùm, aut Hebraicè Euãgelium conscripsisse, sed & paulò pòst, eorundem tẽpore Latinè fuisse conuersum. Vetus quoque testamẽtum Hębraicè fuisse scriptum,tùm à Moyse, tùm à cæteris Prophetis, & scriptoribus manifestum est.&c. Sacrorum Bibliorũ Latina versio,videtur statim fuisse à temporibus Apostolorum,siquidem D.Hieronymus, in prologo Iosue,antè ipsum quoque asserit,plures fuisse Latinas versiones.

CHRISTIANVS.

Hęc est minor propositio,qua efficere sibi videtur Ledesima, quemadmodum apertius infrà demonstrabimus,nõ licere aliter,quàm Hębraicè,Græcè,Latinè Sacrarum literarum arcana legere.Et quoniam, in eius firmitate, totum ferè disputationis suæ robur collocat, agè cõsideremus,quàm benè ratiocinatio procedat:vt Iesuitæ qui propemodum soli,rectè differendi scientiam sibi vindicãt,ipsis etiam puerulis deridendi propinẽtur.Itaque si maiorem propositionem assumptioni superinducamus,argumentatio erit eiusmodi.

Illæ tantùm linguæ, ad publicam Bibliorum lectionem,atque administrationem Sacramentorũ adhibendæ sunt,quæ Apostolorum tẽporibus fue-

runt in Ecclesiam receptæ: Atqui Hebræa tantùm, & Græca, & Latina lingua, temporibus Apostolorum, in Ecclesiam fuerunt receptæ: Quare nunc etiam sola sunt recipienda.

Hic non possum multa nõ requirere. Nam & pollicitationem tuam efflagito quoniã cõtrà atque magna expectatione mea, eras pollicitus, in ipso disputationis exordio, sacrę tacent literæ. Deinde qui fit vt, quum de assumptione confirmanda, tantum labores: propositionem ita negligas, vt etiam præterieris: quæ tamen adeò necessaria est, vt, ea si tollatur, stare non possit complexio: Ac fortasse prudenter ea celasti, quę in oculis hominum posita, vehementer tibi nocitura pręuidebas. Quem enim nostrum esse opinaris, tam ἀβλεπτον, tam extrà oleas vagantem, qui quùm de re maximi momẽti agatur, μέτρῳ tam ἑτερογενεῖ decipi se sinat? Profer locum Scripturæ, quo tuum illud Axioma comprobes, profer, inquam, si tibi est in animo vincere. Sin minus: cur veritati bellũ indicis? Cur de Theologia sine Scripturarum fundamento disputas? Cur eos traducis hęreticorum nomine, quos contra Scripturam aut sentire, aut loqui ex Scriptura ipsa probare non potes? At te Apostolorũ mouet autoritas, vt quam illi nõ receperunt linguam, Ecclesiæ non esse recipiendam arbitrere. Itáne hominibus vos imponere nõ pudet? Vos qui Apostolorum scripta, prę traditionibus vestris, contemnitis? qui Euangelium quęstui habetis? qui contra Dei verbum apertè

apertè pugnatis? qui leges quotidie nouas figitis, atque refigitis? Vos, inquam, à versione Scripturæ, Apostolorum deterret autoritas? Quid verò interpretationi Latinæ fiet, quam tu ad tempora quidem Apostolorum refers, at verbo tenus. Deinde non quærimus quid Apostolorum temporibus sit factũ, sed quid ipsi Apostoli, aut fecerint, aut probauerint. Igitur, vel docete, argumentis non probabilibus, verùm Analyticis, Latinã versionem ab Apostolis esse vel editam, vel comprobatam: vel concedite, siquidem ratiocinatio Ledesimæ procedit, in Hebręa veritate, atque interpretatione Græca veteris, in Græca autem editione Noui Testamẽti acquiescendũ esse. Ad nos verò ista, nullo modo pertinẽt. Nam siue Latina interpretatio sit Apostolorum autoritate cõfirmata, siue minùs: quorũ prius neque verum est, neque etiam verisimile: quid enim? an Ecclesia versionem illam omnibus non antetulisset? ab passa fuisset, tam breui tempore, tam recenti Apostolorum memoria, tot exemplaria extare Noui Fœderis, Latinè ab ipsis Apostolis, vel conuersi, vel tanquam dedicati, quemadmodum verè conqueritur Hieronymus, quot codices? an illud authenticon exemplar, discernere à reliquis nõ potuisset? an ita mẽdis obrui, & deturpari sacrosanctũ illud volumen sustinuisset, vt noua subinde versione opus esset?) siue, inquã, versionem Latinam Apostoli comprobauerint, siue minus: non tamen efficitur Apostolos,

ne alio idiomate Biblia conuertẽrentur,quẽ-admodum asserit Iacobus, vetuisse. Laborat, igitur, argumentum Iesuitæ nostri multis vitiis,quæ breuiter ita recẽsebo,& si vereor ne, vt aiunt, ἐν φακῇ μύρον.

Primus error, μέσον ἑτερογενές. Illud. n. Axioma, quo vtitur ad efficiendã complexionem, in tota Theologia non extat,imò ne attributum quidem. Tota igitur argumentatio concidat necesse est,in qua nihil rectè, atque ordine componitur.

Secũdus error. πρὸ τὸ ἑπόμενον. Neque enim hæc sunt consectaria, Grecè,atque Hebraicè, Apostoli conscripserunt Euangelium, quod quidem Latinè,Apostolorũ temporibus fuit conuersum. Ergò nullo alio idiomate,aut publicandũ est,aut legẽdum. Sic enim exciperẽ, Moses cõscripsit Pẽtateuchũ Hæbraice quod ętate Mosis, & lõgo pòst tẽpore cõseruatum Hebraicè fuit. ergo Græcè conuerti non debuit. Atqui Apostolos Græcã versionẽ comprobasse, manifestius est, quàm vt verbis opus habeat. Deinde totum illud consequutionis genus est ridiculum.

Tertius error: πρὸ τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτούμενον. Ego enim affirmo, vulgari lingua interpretãdam esse Scripturam:tu verò id negas:quæstio est, an vertenda sit? Ad hunc autem modum argumentaris,non est vertẽda,quia linguæ illę quas vsurparunt Apostoli sunt retinendæ,id est non est vertenda, quia non est vertenda. hoc enim ex illo consequitur necessariò, & τῶν

ἑπομένων ἀλλήλοις ἐξ ἀνάγκης θάτερον ὂν αἰτιῶτον.

Quartus error:quia,quod ad Latinam versionem attinet,quam ab ipsis Apostolis autoritatem mutuò sumere concludis : hoc verò est necessarium quidem, vt probabilis argumẽtatio tua videatur, sed ἀναπόδεικτον αἴτημα postulare.

Retorqueamus argumentum. *Si quoniam Hebraicè & Græcè tantùm scripserunt Apostoli, Gallicè Sacræ literæ non sunt cõuertẽdæ:Ergo etiã quia Hebraicè & Græcè illi tantùm scripsere Latinè Sacra Biblia non fuerunt vertenda.* Falsum est consequens,vel ipsis Pontificiis aperto fatentibus,falsum igitur & antecedens.

IESVITA.

At de Missa, & sacrorum,& diuinorum officiorũ celebratione idem ostenditur .&c. Et quidem D. Iacobus Hebraicè aut Chaldaicè,vt alij volunt quæ quidem extat,& qua vti hodie videntur, aliqui Asiæ populi,& olim apud Iudæam,&c. Iam verò D.Petrus Latinè Missæ celebrationem tradidit primus omnium.

CHRISTIANVS.

Quàm aliena sit à cœna Domini,Pontificia Missa,nemo est qui non videat, nisi aut omninò sit rerũ sacrarum imperitus, aut malitia excæcetur. At vos Iesuitæ,nuper admodùm nati,nimirũ vt idolomaniæ ruenti subueniatis,quæ vestra est impudẽtia, christum illi monstro,Apostolos, Martyres,antiquam

& incorruptam Ecclesiam, patronos adoptatis. Et si tibi creditur, Iacobus Hebraicè Iudæis, Petrus Latinè Romanis celebrationem Missæ primus omnium tradidit. Rem verò tam prodigiosam, tam incredibilem, tam ab omni fide alienam, quibus tabulis, testibus, argumentis confirmas. Prodeunt apud te Isidorus atque Hugo, digni planè homines, qui veritate Scripturam, autoritate Apostolos, pietate Martyres, grauitate vniuersam Ecclesiam veterem superare videantur. Nec te pudet blasphemiæ, Ledesima, quam nisi resipiscas, inultam esse non patietur Dominus. At ne extra cancellos, institutæ disputationis vagari existimer, Sic habeto. Tua Missa, quocunque tandem idiomate peragatur, nihil ad nos. Cœnam autem Domini, Baptismum, Ecclesiasticas preces, quicquid denique in cœtu Ecclesiastico debet pronũtiari, eo sermonis genere pronũtiamus, qui possit à populo intelligi quemadmodum & antiquis temporibus factum esse, & fieri porrò debere, suo loco à nobis, σὺν θεῷ confirmabitur. Iam audiamus, quæ causæ sint, tam graues, támque ἀποδεικτικαὶ, quibus Iesuita noster conficiat, tres tantùm linguas, in Sacramentis administrandis, & precibus Ecclesiæ publicis esse recipiendas.

IESVITA.

Prima causa, cur tres linguæ sint

Non immeritò, tribus his potissimũ linguis, tum legem scribi diuinam, tum tradi sacra,

tra, & diuina officia, Apostoli, & eorum discipuli voluerunt, potiùs quam aliis. Quod illæ tres linguæ, essent vniuersalissimæ, & maximè communes, & quæ se per plures regiones diffuderant. Vt Hebraica per totum fermè Orientẽ, omnes enim Chaldaicè, aut Syriacè, hoc est Hebraicè ferè corruptè loquitur. Græca verò, per totam Græciam, & Asiam minorem olim, ac varias alias prouincias, latè patet, & patuit. Latina autem, per magnam Europæ vagatur partem.

Euangelio publicando tantum addictæ.

CHRISTIANVS.

Vt ad singula respondeam: In eo primùm peccas, quòd eius rei, quæ non ita est, causam quæris: vt mirum esse non possit te, quùm tã male disputationis fundamenta ieceris, tam infœliciter in caussis eruendis laborare. At si ex præscripto legis καθόλου, antequam de caussa inuestiganda cogitares, subiectum cum attributo exæquasses, non adeò turpiter, in ipso limine Theologicæ tractationis, offendisses. Nunc autem videlicet à disputatione Apodictica, delaberis, ad disputationem de Accidente, in quam profectò veræ illæ caussæ, atque immutabiles, admitti non debent, neque possunt. Quod, vt cuiuis pateat, paulò antè nimirum ἀποδεικτικῶς cõfirmaras, tres tantum linguas rebus sacris esse addictas. Expectabã qui hoc probare posses. Tu verò demonstrationem ab Accidente, tanquam à vetere filò suspendis. Nam si trium linguarum diffusio-

ne factum est, vt præ cæteris publicādo Euāgelio deligerentur: si vt facilè fieri potest, illę in angustum vicissim essent redactæ, magísque aliæ florerent, cessante caussa nimirum cessaret effectus, ne vnitas Ecclesiæ, quemadmodum infrà docebis, solueretur: & tum demum tua Demonstratio, quę nūc inuicta est, pedem vbi poneret, non haberet.

Deinde (oportet enim ψευδισορῆντι αἰθισορεῖν) tempora etiam cōfundis. Quid enim? an Hebraicè legem scribi diuinam Apostoli vnquā voluerunt, quæ à Mose fuerat Hebraicè conscripta, multò antè quàm ipsi Apostoli nascerentur? Nec cur Hebraicè primùm lex à Mose prodita sit, caussam germanam attulisti. Nam neque tam latè patuit Hebraica lingua, quàm tu vis: neque Deus decreuerat suā legē ante aduentū Christi longè latéq; diffūdere. Quæ duo, vt apertiùs probētur, Scripturæ testimoniis demonstranda sunt. Aegyptus erat inter Occidentem, & Meridiē vicina Iudææ. Nū illa, quæso, Hebraicè loqui aut intelligere solebat? Non certè. Nam & Iosephus fratres alloquebatur per interpretem. Gen. cap. 42. vers. 23. qui demum se filium Iacobi confirmat eò, quòd sine interprete cum fratribus sermonem commutaret. Ibid. 45. vers. 12. At Orientem versus iacebat Syria, Chaldæáque, quorum idiomata quamuis ab Hebræa lingua fluxissent: non ideò tamen aut Hebraicè Syri, Chaldæíue, aut Syriacè Chaldaicéue loquebantur Hebræi: imò ne intelligebant

gebant quidem. Quid ita? Rogant 2. Reg. cap. 18. vers. 26. Eliacim & Sobna Rapsacē, vt cum ipsis agat Syriacè non autē Iudaicè, ne populus intelligeret ea, quæ dicebantur. Et Daniel qui apud Iudæos, multa iam didicerat, nihilominus traditur in disciplinam, vt tum Chaldaicæ philosophiæ præcepta, tum etiam linguæ addiscat. Dan. cap. 1. vers. 4. Quin etiam quum de Chaldæis Ieremias cap. 5. vers. 15. vaticinatur, gentem dicit esse adducendam, super domum Israelis, cuius illa linguam ignorabit, nec intelliget quid loquatur. Satísne perspicuè docemus Hebræam linguam Palæstinæ propè finibus esse terminandam? Nec multis verbis opus est, ad demonstrandum solos primùm Iudæos, in populum electos, à Deo fuisse: tam enim clara sunt vbique adoptionis populi Iudaici, exheredationísque gentium reliquarum testimonia, vt ne tu quidem inficiari possis. Qua de caussa Paulus Actor. Apost. cap. 14. vers. 16. *Deum* ostendit *præteritis ætatibus sinisse omnes gentes suis ipsarum viis incedere.* Cur Moses igitur legem Hebraicis literis cōsignauit? certè quoniam Hebraicè Iudæi loquebantur. Ex quo effici volumus, illis qui verbum Dei publicè proponunt, ea lingua esse vtendum, quæ populo, quem se docere profitentur, sit familiaris. Ad Græcam verò quod attinet, fateor Apostolos, propterea quòd non vni populo scribebant: sed omnibus quotquot essent, & quotquot erāt futuri ad consummationem

vsque mundi Christianis: eam sequutos esse rationem, de qua obiter dixisti. Quæ tamen præiudicium afferre nostræ sententiæ non potest, neque debet: quemadmodum suo loco, non minus breuiter, quam necessariò demonstrabimus. Te autem miror, Ledesima, qui non animaduertas quàm parum tibi cõstes. Quid enim fiet tuis sacrosanctis arcanis, de quibus cap. 22. penè Tragicè declamitas? quæ vt occultes ad Pythagoræ somnia, Porphyrij impietatem, folia Sybillarum, Philosophorum ambitionem, Aegyptiacam ἱερογλυφικὴν, Poetarum denique fabulas te confugere non pudet. Certè secreta illa esse non possunt, quæ tot linguis, tam communibus, tam latè diffusis cõmissa sunt. Nos tamen, ne nescias, quę tradũtur in scriptura, valde arcana esse dicem?: nõ ea ratione, qua tu, & quidẽ nimium crassè opinaris: sed quòd illa (quum Dei de hominibus seruandis, consilium atque rationem, homo ψυχικὸς, sua omni sapientia, quæ coram Deo stultitia est capere non possit) vt primum cœlitus patefacta sunt, ita & quorum Deus constituit misereri, eis quotidiè reuelentur. Itaque censeo, vt de arcanis tuis μυστικωτέρως celandis, nouum ineas consiliũ, nec te pudeat παλινῳδεῖν. Crede mihi, linguę tam cõmunes illæ, quibus etiã vtũtur hæretici, non sunt satis accommodatæ, ad Pontificiam superstitionẽ, atque blasphemias occultandas, velandáque nostri Lediſimæ puerilia sophismata.

Deni-

Denique libẽter à te quærerẽ, si ratione & via disputare soleretis, cur linguas, vt tu loqueris, maximè cõmunes, linguis minùs communibus antetulerũt Apostoli: nã ad summã causam linguarũ electionis tandẽ veniendũ est. Nónne vt à pluribus intelligerẽtur arcana fidei nostrę? At si linguę cõmuniores propterea cõmendantur, quòd ad publicandũ & communicandum Euangelium, videntur accommodatissimæ: quantò magis publicatio, & cõmunicatio Euangelij, cõmendari debet, secundũ hanc peruagatissimam regulã. *Illud magis est tale, propter quod aliquid est tale.* Imitantur ergo Apostolos, non qui disputãt qua lingua Euãgeliũ illi scripserint, eámq; solam Euangelio esse addicendã definiunt: sed qui dant operã, vt ea lingua prodatur, quæ possit à populo, cui præsunt intelligi: Obiicis. Verũ Apostoli, non tot linguis Euangeliũ scripserunt, quot nationes docuerũt. Addo, non tantùm hoc necesse nõ fuisse, sed ne vtile quidẽ. Nã si hoc accidisset, aut singuli pro arbitrio Apostoli, Euangelium, ea lingua tradidissent qua vsus esset populus, quẽ suis docendũ scriptis vnusquisque suscepisset: aut quę scripserant alij, Aegyptiacè, Arabicè, Syriacè, Indicè, vel alia quauis dialecto ipse conuertisset. Si pro arbitrio singuli scripsissent, quãta mole librorum obrueremur: quot linguæ nobis essent addiscẽdæ, vt à puris atque integris fõtibus Theologiã hauriremus. Si cõuertissent, (pręterea quã minimè decuisset Apostoli Apostolũ esse interpretẽ) eisdẽ difficultatibus

premeremur, quanta enim materia hæreticis calumniandi suppeteret, nisi omnes linguas, quibus Apostoli scripsissent, teneremus: quod fieri non posse tum propter humani debilitatem ingenij, tum propter vitæ breuitatem, tum propter multas occupationes alias, certius est quam vt probatione nostra sit opus. At verò quum est vnum archetypon, ex quo infinita describuntur tanquam exemplaria, si quid alicubi erratum titubatúmve sit, facilis est ad archetypon reditus. Etsi hæretici gannant, ac scriptum proferatur Apostolicum, obmutescere cogentur, quum ad aliam principem Scripturam prouocare non possint: Deinde, quot tandē singulis Apostolis Euāgelia fuissent perscribenda? Non enim Apostoli, vt Episcopi, vni cuidam populo, vnquā fuerunt addicti: sed per totum orbem terrarum, quocunque vel peculiaris Dei vocatio, vel animi ferebat iudicium, liberi vagabantur. Denique si cōmunior lingua probatur, & tota illa communitas, eorum dicitur respectu qui communicant: nonne apud Britannos Britānica, apud Gallos Gallica, apud Germanos Germanica, apud Hispanos Hispanica lingua communior censeri debet? Quid enim si Latina lingua patet latius, prodest populo, qui ne literam quidem Latinā vidit vnquā. Et quū argumēta Theologica vbique suam vim obtineant, vide, quæso, an illi demōstrationi tuæ, apud Garamantas & Indos, quibus nihil est cum Latina lingua

gua commune, locū inuenire possis. Et quidem de istis hactenus. Infrà enim disputabimus, an priuilegium Scripturā legendi sua lingua, quod Hebræis Græcis & Latinis concessit, diuini sit, an verò humani iuris.

IESVITA.

Secunda causa cur tres illæ linguæ sint publicando Euangelio addictæ.

Prætereà, meritò hæ sunt præferendæ, quum in istis tribus, sint conscriptæ omnes scientiæ, & omnium disciplinarum, & artiū libri: tum Theologiæ, tum Philosophiæ, tum Dialecticæ, tum Medicinæ, tum Mathematicarum disciplinarum, tum aliarum omnium diuinarum & humanarum rerum.

CHRISTIANVS.

Nempè hoc est rem acu tangere. Tu autē, vt video, libentissimè Theologiam in Philosophiam prophanam trāsformares: tu arcana Euangelij, populo Christiano flagitiosè subrepta, vt anteà solebatis, maxima contentione animi, si posses, in gurgustiola vestra iterùm compingeres: tu, tu, inquam, per Dei misericordiam illuminato terrarum orbi, alacriter Cimmerias denuò tenebras offunderes. Quid enim ?an rerum ad salutem necessāriarum cognitionem, cum Philosophiæ cognitione tam arctè coniungis, vt ea demùm lingua Theologia tradenda sit, & administranda Sacramenta, qua Democriti corpuscula, voluptas Epicuri, παραμονὴ Zenonis, Dicæarchi de mortalitate, aut potiùs negatione animæ sententia, Pythagoræ numeri, Platonis, omnium rerum, ne vxoribus quidem

exceptis communitas proditur? Ista videlicet, incontaminatissimæ, sanctissimæ, purissimæ Theologiæ, si Iacobo credimus, dignitatem conciliabunt. Miror si sanguinem habet, qui quùm tam absurda dicat, non erubescit. Longè verò aliter de arcanis Dei reuelandis, Sacræ docent literæ, ipséque adeò Christus. *Gloriam tibi tribuo Pater, Domine cœli & terræ, quod absconderis hæc à sapientibus & intelligentibus, & ea detexeris infantibus, etiam Pater, quòd ita placuit tibi.* Matth. cap. 11. vers. 25. Et Paulus. *Vbi sapiens? vbi Scriba? vbi conquisitor seculi huius? nónne infatuauit Deus sapientiam mundi huius?* & paulò pòst. *Quæ stulta sunt in mundo elegit Deus, vt pudefaciat sapientes, & quæ sunt infirma in mundo elegit Deus, vt pudefaciat robusta.* 1. epist. Cor. cap. 1. vers. 20. & 27. & 16. cap. 2. vers. 4. *Neque oratio mea, & prædicatio mea versata est in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione Spiritualis potentiæ. Ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei.* An Deus qui elegit νηπίους, hoc est infantes? qui sapientiam mundi aboleuit? qui doctrinam Salutis, ab hominũ intelligentia, lõgo interuallo discreuit? quùm de lingua eligenda, quæ arcana fidei nostræ complecteretur, cogitaret, ad Philosophiam, hoc est, humana commenta respexit? Næ lõgè verior est illius Sententia, qui scriptum reliquit Philosophos hæreticorum esse Patriarchas.

Primus error est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Nam totum

totum illud est à Theologiâ yehemẽter alienum. Deinde quùm singulæ rerum causſę, aut in sua & propria scientia reperiantur, aut à scientia superiore arcessenda sint: meritò à te possum quærere, quánam in parte Theologiæ, causſa illa, quam nobis tam confidenter obtrudis, delitescat: aut quænam tãdem sciẽtia, prior Theologia existimanda sit, vnde nos illã principem causſam petere oporteat.

Secundus error, τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτούμενον. Tu enim assumis tanquam probatum, quod in controuersia positum est. Nempè quasdam linguas cæteris tantùm esse præferendas, vt etiam rebus sacris solæ sint adducendę. Nam vt Hebræam atque Græcam, Theologis maximè omnium esse necessarias iudicemus, quòd diuini fœderis αὐτόγραφον Hebraicè & Græcè perscriptum sit: tamen pernegamus esse illicitum, vllo idiomate alio, sacra vel legere, vel celebrare.

Tertius error οὐδὲ τὸ ἐπόμενον. Etenim non bene colligitur: Næ linguæ sunt omniũ præstantissimæ: Ergo rebus sacris solæ sunt adhibendæ. Nam si de excellentia disserendum est, dubio procul Hebræa est omnium præstantissima: deinde, vel ipsis Latinis apertè fatentibus, Græca est Latina præstantior: ex quo quid efficiatur, non ignorat Ledesima. Verùm illi ternarius placet numerus. Hoc certè est principium petere, ac ignotũ probare per ignotius.

IESVITA.

Tertia causſa cur tres illæ linguæ, rebus ſacris ſolæ ſint addictæ.

Deinde, quum primùm Euangelium prædicatur, & lex Dei alicui prouinciæ, vel primis alicuius populi hominibus, per quos ad alios debeat deriuari, promulgatur: quod cõtigit Apoſtolorum tempore, meritò in eorũ lingua ſcribi debuit, quam & ipſi intelligerent, quibus primis tradebãtur: & in qua illis tradita & literis conſignata, religioſè cuſtodirent, cuſtodita ad alios incorrupta & immutata tranſmitterent: & ſic ea in futurũ perpetuò eadem lingua ſcripta, inuiolatè cõſeruarent: atque ideò meritò Hebræis Hebraicè, Græcis Græcè, Latinis Latinè tradita fuerunt.

CHRISTIANVS.

Qui rectè diſputant, norunt verum & germanum διότι, & ὅπ ἀντιστρόφως. Tu verò identidẽ nobis cauſſas proponis, quæ neceſſarios effectus non habeant: & viciſſim effectus, quorum nulla ſit cauſſa neceſſaria: id eſt, non argumẽtaris, ſed ineptè quidquid in buccam venerit obtrudis. Quæ enim, & quàm neceſſaria fuit cauſſa illa, quam paulò antè attuliſti? quæ verò hæc, quam nunc proponis cenſeri debet? Vana certè, futilis, commentitia, & vt verbo finiam, Ieſuita planè digna. Sed vide quantum tibi concedam, quæcunque tandem illa ſit, hactenus in ea diſputatione, quæ mecum tibi futura eſt, quando ita vis, eam valere patiar: vt, ſi ad efficiẽdam complexiónem,

nem, quam tibi propoſuiſti, accommodari poſſit: perindè ac ſi vera eſſet, argumentationem tuã eſſe ἀγαλυπκαλάπλω pronuntiem. Nec intereà tibi me facere iniuriam exiſtimabo, vel quicquam de liberalitate mea detrahere, ſi à te petam, qua ratione tandem concludas (vt totum tibi argumentum concedamus, nempè eorum lingua Euangelium eſſe conſcribendum, quibus primùm annuntiatur) tres tantùm linguas, rebus ſacris eſſe deſtinãdas. Reſpondebis, vt ex ſuperioribus cõijcio, ita fieri oportêre, quò ſacra myſteria incorrup è ſeruentur. Quę ſi reſponſio vera eſt: deleatur ſanè Latina verſio, quam tantoperè commendas. Quàm enim grauiter conqueritur Hieronymus, tòt illius exemplaria extare, quot erant ſua ætate codices? At emẽdata eſt poſteà. Primùm hoc nihil ad rem: cur enim emendata? certè quoniam incorrupta non permanſerat: deinde qualiſcunque tandem illa fuit, pura & integra non diu perſeuerauit emendatio. Quàm enim multa in Latina verſione deprauata, quàm difficere multa, quàm multa eſſe ſuperuacanea, lector eruditus & diligens animaduertet, ſi cum Græcis conferat. Nihilominùs boni illi patres, qui Tridenti anno 1546. expugnandæ veritatis cauſſa conſpirarunt: ita ratum eſſe illam iubent, vt ne ad Græcum quidem autographum, liceat vnquam prouocare. Vt toti mundo exploratum eſſe poſſit, quàm parum

de Scripturę puritate conſeruanda laborent. Sed ad rem propiùs accedamus. Quibus primùm cenſes propoſitum fuiſſe Euangelium. Profectò Iudæis. Nam & Apoſtoli, primam Hieroſolymis concionem habuerũt: & Paulus alloquens Iudæos Act. Apoſt. cap. 13. verſ. 46. *Vobis neceſſe fuit primùm*, inquit, *exponi ſermonem Dei: Poſtquàm autem illum repellitis, & indignos vos ipſi decernitis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes.* At fortaſſe obijcies ita quidem ſe rem habere. Sed propterea quòd Iudæi, verbum Dei repudiarunt, Græcè atque Latinè promulgatum fuiſſe: reſpondeo, verum hoc non eſſe, eo quo dicis modo. Nam & Paulus Rom. cap. 11. verſ. 5. negat Deum abieciſſe populum ſuum, oſtenditque, reſeruationem ſecundùm electionem gratuitam eſſe factam. Cui etiam diſputationi cap. 9. v. 27. Eſaiæ Prophetiam accommodauerat. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael vt arena maris, reliquiæ ſeruabuntur.* Deinde, per te ipſum tibi non eſt liberum exceptione illa vti. Quare? quia vna ex tribus linguis, quæ tibi ad repræſentandum Trinitatis myſterium, de quo paulò pòſt agemus, eſt omninò neceſſaria, tibi periret: cuius etiam te nullo modo iacturam velle facere demonſtras. Verũ enimuerò vt iſta omnia diſſimulemus, Græca certè lingua primum obtinebit locum: vt ex Actor. Apoſtol. cap. 11. verſ. 20. Colligere poſſumus. Igitur Latina tibi repudianda eſt: vt pote, quæ

quæ ſi Græca prima eſt, prima etiam eſſe non poſſit. At ſi, vt annuere videris, vt linguarum principatum efficias, ad tempora reſpicis Apoſtolorum: & principium petis: & in eundem recidis errorem, qui paulò antè ſublatus eſt.

Sic autem tua errata breuiter recẽſeo. Primùm in eo peccas, quòd extra Theologiam vagaris: nam omnes argumentationis tuæ partes, ſunt ὑστερογενεῖς.

Deinde, tuo ipſius Andabaptiſmo concidis. Etenim ſi primatum linguæ, in eo vis ponere, vt ea iudicetur prima qua, primùm Apoſtoli prædicarunt, cauſa cecidiſti: ad Syriacam enim nobis erit deueniendum: quæ ſola etiam, rebus Sacris erit addicenda. Sin autem illam eſſe primam arbitraris, qua ſcripſerunt Apoſtoli, aut Græca ſola, vt multi ſentiunt, aut Hebræa Græcáque, primæ erunt iudicandæ. At ſi ad tempora recurris Apoſtolorum, eáſque velis eſſe primas, quibus arcana fidei noſtræ, dum ipſi verſarentur in terris Apoſtoli commiſſa ſunt: & rancidam crambem tuam iterum reponis, & principium petis, atque illud etiam dupliciter. Nam neque temporibus Apoſtolorum Latinam extitiſſe verſionem comprobas: Neque neceſſariò demonſtrare potes, nullo idiomate alio, præter ea, quæ tu ipſe commemoraſti, dùm viuerent Apoſtoli, conſcriptum Euangelium fuiſſe.

Adhæc, ſi Roma Euangelium prima non

accepit: nec incorruptè conseruauit: te ipso iudice condemnaris. At nos suprà nec primùm Romanis annuntiatum Euangelium fuisse: neque illud Romanos incorruptè conseruasse demonstrauimus.

Denique fallis, πρὸς τὸ ἐπόμενον: quia hæc nõ sunt consectaria. Eorum lingua, quibus primùm annuntiatur, publicandum est Euangelium: Ergo non licet alia lingua publicare. Item, Euangelium incorruptè conseruãdum est: Igitur Hebraicè tantùm, & Græcè, & Latinè promulgari debet.

IESVITA.

Sed neque carere mysterio videtur, quòd
Quarta causa his tribus potissimùm linguis Spiritus San-
" ctus, voluit vetus, & Nouum Testamentum
" conscribi: Sacra fieri, & diuina officia celebra
" ri. Nam, vt diuini consilij causſam aliam non
" reperiamus, tamen quoddam hîc cerni po-
" test, Sanctæ Trinitatis vestigiũ quod sanè nõ
" est omnino contemnendum.
"

CHRISTIANVS.

Apagè verò Symbolicam istam differẽdi rationem: in qua etiam cò peccas, quòd ἀλληγορικῶς ex tuis commentis, te posse argumentari existimes. Nam & de tribus linguis tãdiu absque testimonio Scripturę disputas: & mysterium sine verbo fabricaris, quo nimirum sancta repræsentetur Trinitas. Et quoniam quæ

quæ tua est religio) tibi in re tam sacra, vsque adeò pueriliter nugari placuit, hoc si veniſſet in mentem addidiſſes. Non modò Trinitatem linguis tribus illis adumbrari, verùmetiã linguam ſingulam, ſingulis perſonis ſuam tribuere proprietatem. Siquidem Hebræa, quæ omnium prima linguarũ habetur, ideóque reliquarum propè mater exiſtimari poteſt: tibi Patrẽ figuraret, qui eſt principium & origo Deitatis. Græca verò, quæ optimam quámque artem, atque ſcientiam vberrimè complexa eſt: Filium repræſentaret, qui appellatur Sapientia Patris. Latina autem, qua populus omnium potentiſſimus, atque fortiſſimus eſt vſus, Spiritus Sancti eſſet imago, qui virtus Patris & Filij nominatur: quis non hîc meritò exclamaret, ἐκ τῶν ἐκ τῶν ἔτι βέλτιον: & tamen, ſi quiſpiam eiuſmodi commenta publicaret, quid eſſet aliud facere, quam id, quod tu facis: hoc eſt, venerãda fidei noſtræ arcana prophanare. Tandem quaſi magnificè viciſſet, ſibi nimiram & Muſis, canit triumphum Ledeſima, qui ſanè triumphus nobis, qui quùm de plebe ſimus aures nõ habemus eruditas, minimè omnium probatur.

IESVITA.

Iam verò, ex dictis neceſſariò conſequitur, " errorem eſſe aſſerere, non aliter quàm vulgari lingua, Sacra aut officia diuina celebrare: " aut quauis paſſim vulgari lingua ſacras litteras eſſe vertendas, vel id magis expedire. "

CHRISTIANVS.

O me valdè cęcum, Iacobe, qui tuam illam conſequutionis adamantinam, atque inuictã neceſſitatem non viderim quam neque me viſurum ſpero, niſi nouam Theologiam, nouas denique tùm ἀναλύσεως, tùm ἀποδείξεως rationes me docere velis: quo munere, nullum præſtantius ab Academia celebri veſtra expectari audio.

Tribus quæ proximè ſequũtur capitibus, nempe quarto, quinto, & ſexto, omnes intendit neruos Ledeſima, vt paulò quàm eius ferat conſuetudo diſputare probabiliùs videatur, nihilò tamen veriùs. Quædam enim colligit vocabula, quæ in Euangelio vſurpãtur aliter, quàm in veteri Hebræorum lingua vſurpari ſolebant: deinde addit.

IESVITA.

" Quamobrem lingua Hebræorum pura, in
" qua ſacræ literæ erãt conſcriptæ: non immeritò quibuſdam videtur, iam relegata fuiſſe
" ad Rabinos, & alios tantùm qui literas diſcebant, legis peritos & Doctores.

CHRISTIANVS.

Tandem, iſtiuſmodi nectere cõcluſionem geſtit Ledeſima, Quùm alia lingua Hebræi aliquando vulgariter vſi ſint: aliam in ſacris adhibuerint: mirum videri non debere, ſi noſtris quoque temporibus, veteri commutato idiomate, idem accidat.

Hæc

Hęc ratiocinatio primùm fallit ἀπὸ τοῦ ὑποκειμένου. Nam etiamſi cõcederem, ita ſe rem habere, vt Iacobus aſſerit, nihilominus vitioſè colligeretur illud quod Eccleſiæ quondam Iſraeliticæ contigit, atque etiam deprauatiſſimis temporibus, in Eccleſia Chriſtiana perpetuò vſurpari debere. Præterea Chriſtianæ accidit Eccleſiæ, vt Eccleſia Iſraelitica, non ſatis cognito idiomate ſacra celebrarit: quod certè Accidens de illa prædicari neceſſariò non poteſt.

Deinde, in rebus Theologicis, præcipuè quùm qui aliter ſentiunt ἀιρέσεως inſimulãtur, coniecturis nullus eſt locus: quæ tamen à Ieſuita noſtro, nimiùm frequenter ad probandum adhibentur, quemadmodum tribus his capitibus. Pura Hebræorum lingua, non immeritò quibuſdam videtur ad Rabinos fuiſſe relegata. Item. Diuerſa via idem colligitur non ſine probabili ratione. Hæc ſunt videlicet fundamenta, quibus tua diſputatio firmiſſimè nunc innititur.

Præterea fallit etiam, ἀπὸ τοῦ ὁμωνυμίαν: quę in voce, *alia*, deliteſcit. Quamuis enim eſſet corrupta temporibus illis Hebręorum vetus lingua, & ad Syrorum idioma vehementer accederet: non tamen eius ita erant obliti Iudęi, quin ea, quę frequenter in Synagogis audiebãt, intelligere poſſent. Quod etiam vſuenire quotidiè videmus in regionibus illis, quæ vnam tantùm habent linguam communem, dialectos autem inter ſe diuerſas. Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

qui purè minùs loquuntur, propterea quòd leges, instituta, disciplinę, artes, omnísque vitæ ratio, lingua puriori explicatur, eam plerique norunt: aut saltem, si propter imperitiã in colloquutionibus vsurpare non possunt, facilè tamen si quis elegantiùs sermonem cũ illis cõmuter, quid sibi velit, assequũtur. Sed ad rem. A Mose ad Nehemiam, qui anno vigesimõ imperij Darij Longimani, ad instaurandam Hierosolymorum vrbem in Iudæã Susis profectus est, intercedunt 1550. ferè anni: quò tamen tanto spatio, quùm tot bella, tot vastitates, Babylonica etiam transportatio interuenisset: antiquæ linguæ ita obliuisci Hebræi non potuerunt, quin adhuc, ne mulieribus quidem exceptis, verba legis Mosaicæ intelligerent. quemadmodum ex Nehem. cap. 8. vers. 3. & 4. liquidò constat. *Attulit ergo sacerdos legem, coram multitudine virorum, & mulierum, & omnibus qui poterant intelligere, in die prima mensis septimi, & legit in eo apertè in platea, quæ erat ante portam aquarum, de manè vsque ad meridiem, in conspectu virorũ, & mulierum, & intelligentium, & aures omnis populi erant arrectæ ad librum.* Ab instaurata verò ciuitate Hierosolymitana, ad Christi mortẽ, numerantur 490. anni. quibus Danielis hebdomades continẽtur. Sed ad extremum, quin magna rerum mutatio facta sit, tùm vestri similibus Pharisæis, rerum sacrarum cognitionem ad se reuocantibus: tùm Deo ingratitudinem, & profligatam Iudæorum impietatem

tatem seueríssimè vleiscente, nolim ego quidem inficiari. Minùs tamen Pharisæi, quàm Romani Pontifices impudentię, atque autoritatis habuerunt. Singulis enim Sabbathis legebatur in Iudæorum Synagogis verbum Dei, & ita legebatur, vt quod ad sensum literalem attinet, à populo etiam intelligeretur. Act. Apost. cap. 15. vers. 21. *Moses ab ætatibus antiquis, in singulis ciuitatibus, habet qui ipsum prædicent: quùm in Synagogis per singula Sabbatha legatur.* At si lectio Mosis, est illius prædicatio, atque adeò legalium ceremoniarum, & rituum: certè vt à populo intelligatur Mosis lectio necesse est.

Denique, vbi est illa tua Hebraicæ linguæ diffusio. Sanè si τὸ ἄπαξ tollis, τὸ αἰπαξ quoque, vna eadémque opera tolletur. Quî enim fieri potest, vt diffusio Hebraicæ linguę caussa fuerit, cur Hebraicè proderetur Euangelium, si tunc Hebræa lingua suis expulsa sedibus, quò se tandem reciperet, non habebat? Itaque, si me audias, tibi vehementer suadeo, vt antequàm contrà veritatem bellum geras, in tuis saltem inter se conciliandis mendaciis labores.

IESVITA.

Deus non sic voluit, nec ita præcepit, vt sacra Biblia, sacráue mysteria veteris legis, in « pluribus linguis conscriberentur, sed solùm « Hebraicè: quùm tamen Iudæi multarum na- « tionum, & linguarum per totum fermè or- «

" bem terrarum reperirentur. At hi Deum ip-
" sum facti reprehendunt, & melius quid co-
" gitant &c.

CHRISTIANVS.

Bona verba, Iacobe, non quales tibi videmur, tales sumus. Nam & Deo parere didicimus, & commenta hominum repudiare. Tua autem argumentatio, vehementer nobis gestit imponere, ἀπὸ τὸ ἐπόμενον. Etenim quùm Deus decreuisset, sibi populum Israeliticum, exclusis gentibus reliquis, vsque ad reuelationem Christi retinere: peculiares illi Sacrorum ritus, ceremonias, templum, Sacrificia, instituta, leges tradidit: præcepit quoque Israelitis, vt, quemadmodum à cæterorum populorum familiaritate abstinebant: ita longè arctissimam inter se alerent fraternitatem, atque beneuolentiam: vt denique vnis sacris, templo, altaribus, ceremoniis, legibus, institutis, moribus communiter vterentur. Et quamuis interdum accidebat, quùm exilij caussa solum vertebant, vt ista nonnihil mutarentur: tamen quoniam vel ab extremitate orbis, suum populum reducere Hierosolymam, & templum instaurare, & conseruare gentis vnitatem, in animo Deus habebat, donec Christus appareret: minimè opportuit, de conuertendis voluminibus sacris, ne in plures populos abirent, Israelitas cogitare: sed magis dare operam vt, quòd ita ferebat necessitas, & nationum quibuscum versabãtur, lin-

linguam callerent: & suæ ipsorum, quæ sacrosancta mysteria pandebat, non obliuiscerentur. Quæ certè ratio, iam latè diffuso per totum terrarum orbem Euangelio, locum inter Christianos habere non potest: quorum vniuersalitas spirituali tantùm vinculo coniungitur. Prætereà tibi non venit in mẽtem, illis temporibus, quæ proximè aduentum Christi antecesserunt, quibus demùm, si vnquam illud accidit, vetus Testamentum Israelitæ, ob ignorationem linguæ non intelligebant: quò ardentioribus votis exoptaretur ὁ Θεάνθρωπος, nullos extitisse Prophetas (nam de Anna, & Simeone obijcere non potes, quorum in animo versabatur Christus ipse mox appariturus, adeóque illa omnium rerum mutatio, quæ publicationem Euãgelij statim consequuta est) ac proinde mirum non esse, si nulla de conuertendo Dei verbo, sit cælitùs reuelata Prophetia. Denique, vt Israelitæ solum exilio verterũt, quòd in Deum peccassent, ita etiam, si hoc quidem accidit, Deo irato legis cognitionem amiserũt. Nam & ita fore prædixerat ipse Deus. Am. cap. 8. vers. 11. & 12. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & emittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini. Et commouebuntur à Mari vsque ad Mare, & ab Aquilone, vsque ad Orientem, quærentes verbum Domini, & non inuenient,* & Deut. cap. 28. vers. 64. *Disperget te Deus in omnes populos, à summitate terræ, vsque ad terminos eius: & ser-*

uies ibi Dijs alienis, quos tu ignoras, & patres tui, lignis, & lapidibus. Ac profectò te ipso iudice, non est bona consequutio, quæ illud, quod aliquando irato Deo contigit, obtinere in omnibus, probare conatur. Addam quoque, si paruo tempore, sacrarum literarum intelligentia populus caruit Israeliticus, non tamen effici, nos illa perpetuò carere posse, aut etiam debere.

IESVITA.

« Iam verò quùm hoc sit (nempè quùm in-
« finitis populis Euangelium Apostoli prædi-
« cauerint) tamen constat, non eos omnibus iis
« linguis scripsisse Nouum Testamentum, vt
« suprà diximus, sed solùm Latinè, Græcè, at-
« que Hebraicè, neque ipsos id vertisse, sed ne-
« que legimus id eos imperasse vt fieret, neque
« factum est, &c. quare haud dubiè condemnã-
« tur ab hæreticis Apostoli, & eorum discipu-
« li, qui hoc non fecerunt &c. Manet ergò per-
« spicuè probata Apostolica traditio aduersus
hos. &c.

CHRISTIANVS.

Assumptioni, quam paulò antè refutauimus, tandem Conclusionem adnectit Ledesima. Sed quoniam, vltima cum primis collata, magis eluescunt: totam Iacobi argumentationem, breuiter excutiamus.

Propositio falsa est, ac ἑτερογενὴς nempè linguas, quibus Apostoli dum viuerent, in rebus

bus sacris sunt vsi, esse tantùm in Ecclesia recipiendas. Deinde principium petit. Nos enim asseueramus, Euangelium esse omnibus linguis promulgandum: vos negatis. Quo tandem medio? hoc nimirum, quædam linguæ duntaxat sunt retinendæ. At quis adeò cæcus est, vt non videat, tuam rationem per inde se habere, ac si diceres: quædam linguæ sunt retinendæ, quia quędam linguæ sunt retinendæ.

Assumptio, peccat etiam τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτούμενον: quia tanquam probatum sumit, quod maximè in controuersia positum est: videlicet Hebraicè tantùm, & Græcè atque Latinè Apostolos sacra mysteria celebrasse.

Conclusio suis etiam laborat vitiis, quorũ est primum, ἄγνοια τοῦ ἐλέγχου. traducit enim disputationem a versionibus, ad αὐτόγραφον. certè plura esse autographa neque possunt, neque debent: & nos illud tantùm retinemus quod est ab ipsis Apostolis editum, & publicatum. Præterea non quærimus, an multa sint habẽda Christianis autographa, sed an Scripturã vertere in linguam vulgarem sit nefas. Respondebis, at non ipsi verterunt Apostoli, aut vertendam Scripturã curauerunt. Vide quàm simpliciter tibi occurram. Si vertissent Apostoli, tot haberemus autographa quot versiones: vndè infinita emergerent incommoda, de quibus abundè supra disseruimus, si iussissent, ijsdem ferè difficultatibus premeremur: & propter autoritatem Apostolorum iuben-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tium,& propter eorum existimationem, qui ex Apostolorum mandato, huic rei operam dedissent.

Secundum est τὸ ἐπόμενον. quia non bene colligitur: Apostoli non verterunt Scripturam,nec vertendam curarunt: igitur non est vertenda quem elenchum suo etiam loco vberiùs explicauimus.

Tertiũ est:τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτούμενον. Neque enim confirmat Apostolorum temporibus,nullam præter eas quas excipit,in rebus sacris,adhibitam fuisse linguam.

Rem autem vniuersam ita explico. Si diligenter consideramus, qua tandem ratione, Deus arcana fidei nostræ hominibus proposuit:nemo erit omnium adeò stupidus atque hebes,quin facilè agnoscat,ea lingua semper publicata esse,& porrò etiã publicari debere, quæ possit à populo,qui ab ipso Deo in adoptionẽ electus est,intelligi.Primus enim Moses,non tantum Hebræis Hebraicè,legem,ceremonias, quidquid denique ad patefactionem voluntatis Domini promulgauit:verùm etiam populo præcepit,vt legẽ cælitus patefactam edisceret,in eáque noctes,ac dies meditanda,versaretur assiduè. Deut.cap.6.vers. 6.7.8.& alibi passim. Quinetiam apud Ier.c. 23.ver.29. Deus irascitur Prophetis,qui furãtur verba eius,vnusquisque à proximo suo. Itaque, quum veteris Testamẽti temporibus, lex Domini & prophetiæ quibusuis promulgarentur: Ledesimæ reddenda est ratio,cur post

post reuelatum Christũ,qui meritò lux mundi appellatus est,ab Euangelista Ioanne: totí mundo tantæ fuerint offundendæ tenebræ, vt quænam Dei esset voluntas,quæ arcana fidei nostrę,omnes ferè ignorarẽt.Sed vna Pauli sententia,totam controuersiam vt opinor, apertissimè diiudicabit. Act.cap. 20.vers.26. Ideò,inquit, testor vobis hodierno die, me purum esse à sanguine omnium: Non enim subterfugi, quominùs annuntiarem vobis omne Dei consilium. Hic duo sunt examinanda,quorum alterum ab altero pendet, nimirùm tum demùm perire homines, quum arcana cęlestia ignorant:& Pastorẽ Ecclesię nõ esse purum ab eorum sanguine, qui à Deo iustè damnãtur,priusquàm illis omne Dei cõsiliũ,hoc est arcana fidei omnia reuelarit, quæ certè ratio minimè vnius, aut alterius populi propria, sed omnium censeri debet communis.Ex quo efficitur,ea lingua publicandum esse vnicuique populo,& conscribendum Euangelium,quam ille percipere possit.Denique ne lectorẽ diutius detineam: probet Iacobus, vel Apostolos peregrina lingua vsos fuisse,apud eas nationes,quas verbũ Dei docuerunt: vel Hebręos,Græcos,& Latinos priuilegium illud diuinitùs habere,vt cæteris omnibus papalis,à familiari cognitione verbi Dei exclusis,soli omnium in rebus sacris,cognita lingua vtantur. Nam certè, si rationes Ledesimæ de mysteriis occultandis valẽt, hic etiam suuũ robur,& firmitatem obtineant, necesse est.

IESVITA.

« Si qua reperiatur in vniuersali Ecclesia, cõ
« suetudo circa fidem, cultúmue diuinũ: cuius
« in Apostolorum literis mentio nõ fit, neque
« in alio consilio de nouo reperitur constituta:
« tamen origo nesciatur, neq; eius extet memo
« ria: credendum est Apostolicam esse traditio-
« nẽ, & vt talem esse venerandam, &c. Igitur
« quum constet in Germania, Gallia, Anglia,
« Hispania, & cæteris Occidentis regionibus,
« Latinè anteà Missæ sacrificium, & diuina offi
« cia tradita, & celebrata citra originis memo
« riam, vtique cõfitendum est, atque adeò cre-
« dendum, ex ipsa prima ipsarum conuersio-
« ne id incepisse, &c. Idem quoque probari po
« test, ex eadem regula traditionis, de Græca
« Ecclesia, &c. Idem ostẽdi potest de aliis qui
« Hebraicè sacra, & diuina officia celebrant.

CHRISTIANVS.

Meritò possem hoc totum differendi genus repudiare, vt quod Theoremate nitatur ὑπερογενεῖ.

Deinde petit Principium. Nam quum inter nos non constet, sintné, an non sint ἄγραφοι traditiones Apostolicæ, de rebus, quæ ad fidem pertinent: illud assumit ad probandam conclusionem, quod æquè est incertum, atque ipsa conclusio.

Præterea, peccat etiam κατὰ τὸ ἀγνοιαν τοῦ ἐλέγχου. Nam in propositione loquitur de orthodoxa Ecclesia in assumptione verò de illa,

la, quæ circa fidem Apostolicam, naufragium fecit. Vt enim concedã Theorema illud vim suam aliquatenus obtinere in vera Ecclesia quæ à temporibus Apostolorum, puritatem fidei coluit: certè ad Catolycam Ecclesiam Romanam propterea non erit referendum, quæ iandiu Euangelio infinitis erroribus cõtaminato, aduersus Dei veritatem infœlici audacia, magis ac magis quotidiè insurgit.

Adhæc, suo ipsius Andabatismo Ledesima confoditur. Præcipit enim, tunc eam demùm Apostolicam traditionem esse iudicandam, quæ in vniuersali Ecclesia reperitur. Deinde ostendit aliam esse consuetudinem Hebraicæ, aliam Græcæ, aliam verò Ecclesię Latinæ. Itaque vel ipso Iesuita teste, atque adeò iudice, quùm, de quibusdam linguis ad mysteria fidei accommodandis, „vna eadémque consuetudo, in vniuersali Ecclesia non inueniatur, ad traditionem Apostolicam illa referri non potest. Ac fortasse obijciet: tamen in vniuersali Ecclesia, hæ tres tantùm linguæ sunt receptæ. Primùm ad rem nihil hoc facit: nam neque tres linguę sunt vna lingua: neque tres, vel separatim consideratæ (vt ex hypothesi Ledesimæ considerari debent) vel coniunctim, quibus totam ferè Europam, & Africã, atque Asiæ bonam partem complectitur, sectiones, vniuersalem Ecclesiam constituunt. Deinde, vt ista omnia homini condonemus, ecquid de Ruthenis, Morauis, Dalmatis, Aegyptiis, qui omnes vulgari sua lin-

gua, in rebus sacris vtuntur, quemadmodum ipse tradit pag. 260. nũc quàm maximè oportet, cogitat.

Ad extremum addere libet, quãuis Theorema illud sit probabile, necessarium tamen non esse. Etenim multæ consuetudines, quæ meritò sunt repudiandæ, in quandam particularem Ecclesiam facilè irrepunt: quæ posteà imitatione latiùs propagantur, & tandem quùm diuturno vsu tritę sunt, vim atque autoritatem legis vbique obtinent. De quare tota nõ est disserendi locus. Ad me autem quod attinet, nunquam ab illa verè aurea sententia, me dimoueri patiar. Εὔδηλον φαίνεται, θεολόγητε πιθανολογούμενος, ἀποδείξεως, ἢ ῥητορικὸν ἀπόδειξις ἀπαιτεῖν sed obruamus ἀδυνάτῳ.

Si consuetudo sacra mysteria Hebraicè, & Græcè, & Latinè celebrandi, locum habet in vniuersali Ecclesia: & Hebraicè tantùm & Græcè apud nationes quasdam Orientales, Latinè autem apud Occidentales sacra mysteria celebrantur: Ergò tùm quidam populi Orientales, tùm Occidentales vniuersalem Ecclesiam à cæteris secretam constituent. & vi consequutionis erunt multæ vniuersales Ecclesiæ. Retorqueamus argumentum.

Si consuetudo sacra mysteria Græcè peragendi, locum habet in vniuersali Ecclesia, & apud Occidentales populos nusquam inuenitur. Ergo populi Occidentales nullo modo, ad Ecclesiam vniuersalem pertinent.

IESVI-

IESVITA.

Apostolorum tempore non fuit nisi vna translatio, septuaginta interpretum: quam omnes hæretici diuersarum dialectorum, licet vnius linguæ, intelligere nõ commodè possent: nedum alij Asiatici, aut Afri, diuersarum linguarum longè à Græca differentium. Et tamen ex istorum nouorum pseudoeuangelistarum sententia, oportuisset secundùm omnium proprias dialectos, omniumque linguas Orientalium, conuerti vt omnes commodè intelligerent. At hoc neque Apostoli, neque Græci, nec alij populi Orientales fecerunt &c.

CHRISTIANVS.

Satis superque de Apostolis respõdemus. Cæterùm primus error est ὃ τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτέαμενον. Quis enim Iesuitæ nostro asseuerauit, vnam duntaxat in tota Græcia fuisse Bibliorum versionem? At posteà septem agnoscit: in quibus ea, quæ septuaginta interpretum autoritate commendatur.

tantùm suprà caput extulit omnes,
Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Sed fuere pleręque omnes vna eademque dialecto perscriptæ, vt à reliquis Græciæ ciuitatibus, intelligi non possent. Respondeo, me satis apertè suprà docuisse, principem linguã non tam arctis finibus esse comprehendendam, multóque patêre latiùs, quàm opinetur Ledesima: qui tamẽ pro arbitrio, linguarum imperium, & diducit, & contrahit.

Secundus error, περὶ τὸ ἐπόμενον: quia certè nec omnia quæ contigêre scripta sunt, nec quæ monumentis literarum tradita fuerunt ab antiquis, ad nostram vsque ætatem salua, atque incolumia peruenêre. Quin etiam, si tibi placet, finge Græcos, qui vbique tunc essent, versionem Bibliorum qua vtebantur nó intellexisse: nec de noua interpretatione publicanda cogitasse: an idcircò efficies, aut vnâ omnibus, quæ in toto terrarum orbe diffusæ sunt, nationem esse imitandam: aut Græcos rectè atque ordine fecisse, qui suorum popularium tam paruam habuerint rationem.

IESVITA.

« Apostoli etiam, quam plurima reliquerũt « in ipso Nouo Testamẽto Hebraica vocabula « permixta, quæ Græci non intelligebant: & ea « reliquerunt sine interpretatione, idque vt cre « dere fas est, ob mysteria quædam, quę in illis « continebantur occultiora: sed nec voluerunt « ea vertere Græcè quùm possent: &c. Quo ar « gumento & testimoniis hoc saltem necessa « riò conuincitur, non esse necesse, vt omnes « omnia intelligant, imò ne expedire quidem, « quia si expediret, vtique fecissent &c.

CHRISTIANVS.

Iam verò extra oleas vagaris. Error est, περὶ τὴν ἄγνοιαν τῶν ἐλέγχε. quia μυστικὰ πάντα illa, quæ ipse commentus es, ad controuersiæ statum minimè pertinent. Agimus enim de lectione

ctione verbi diuini, publicis precibus, & administratione Sacramentorum, quæ vulgari lingua fieri oportêre dicimus. Sin autem paucula quædam sunt tam arcana, vt nec Græcæ, nec Latinæ linguæ committenda sint: extra quæstionem vagantur, magísque faciunt, si argumentatio Ledesimæ procedit, ad Græcam & Latinam quàm ad quampiam aliam, è vulgaribus linguis, de Ecclesiæ possessione depellendam.

Secũdus error περὶ τὸ μὴ πᾶσαν, ὡς πᾶσαν. Nec enim quædam vocabula Hebraicè ab ipsis Apostolis conscripta sunt, quòd in illis ἄῤῥητα μυστήρια laterent, vt singulis quę attulisti explanandis apparebit: sed quòd essent inter Hebræos, vndè religio manauit, adeò trita & vsitata, vt etiam nationes, quæ ad cognitionem pietatis accedebant, facilè illa perciperent. Deinde perpauca eiusmodi reperiũtur, vt eorum interpretatio à diligenti sacrarum concionum auditore, nullo negotio memoriæ mãdari possit. Et quod rei caput est, nihil omninò istis vocibus Hebraicis designatur, quod in aliis sacræ Scripturæ locis perspicuè ac dilucidè non explicetur. Quæ omnia illustriùs vera esse probabũtur, si ea, quæ in medium Ledesima proponit explanemus. Ac primùm citat ex Apocal. cap. 19. vers. 3. Halleluia. quæ vox significat laudate Dominum. Hæc nimirũ arcana sunt & ἄῤῥητα & soli Hebraicæ linguæ credenda: ne Græci, Latini, & reliqui omnes populi Deum esse laudandum

fateantur. At ne nescias, inter Hebræos, huiusmodi vocabulum, ita fuit vsitatum, & familiare, vt nemo quid sibi vellet, ignoraret. Ex eadem origine profluit *Hosanna*, vel vt Hebraicè scriberetur, *Hoschahna*: quam vocē ex Matth. cap. 21. vers. 9. depromis, hæc seruā vel opitulare quæso, denotat: qua etiam in solenni Tabernaculorum festo vtebātur Iudæi, quùm ramos gestarent ex Domini mādato: & tandem eò ventum est, quùm hanc vocem in illo festo identidem multi vsurparent, vt rami salicum, & cæterarum deinceps arborum Hosanna dicerentur. At tu ex illo ritu peruagatissimo, & maximè publico, vt nouum mysteriorum fabricatorem decuit, quoddam nobis arcanum extrahis, quod palàm efferre sit nefas. Nec minus apud Iudęos trita fuere vocabula *Sabbaoth*, & *Amen*: de quibus sigillatim commemorare non est necesse: quùm illi omnes qui vel à limine Theologiam è puris fontibus manantem salutarunt, rem ita se habere satis superque intelligant. Sed vrgeamus Ledesimam ἀδυνάτῳ.

Si reuelationem mysteriorum cælestium, quæ Iudæis contigit, cum ea, quam Christianis Deus patefecit collatam, longè obscuriorem, & vt ita dicam contractiorem fuisse sacræ docent literæ: & Iudæi res illas, quæ vocabulis suprà expositis designabantur, familiariter cognitas & perspectas habebant, quamuis res illæ ad mysteria cælestia pertinerent: Christianis autem arcana illa cœlestia sunt penitus incognita: Ergo illustrior patefactio arca-

norum cælestium, non est illustrior patefactio arcanorum cælestium: & obscurior patefactio, non est obscurior patefactio. Retorqueamus argumentum.

Si quædam Apostoli Hebraicè scripta reliquerunt, quòd essent occulenda, & illa Iudæi facilè intelligebant: Ergo quædam sunt occulenda Græcæ, atque Romanæ Ecclesiæ, quæ publicanda fuerunt Ecclesiæ Iudaicæ. Ac vt consequutionis, Ecclesia Iudaica, quod ad reuelationem arcanorum cælestium attinet, Romanam Ecclesiam longo interuallo superabit.

IESVITA.

Ex vniuersalis Ecclesiæ præsentis vsu, & praxi, idem quoque conuincitur. Nā præsentem Ecclesiam condemnarent, & non solùm Latinam, sed Græcam, & Orientalem, atque vniuersam denique omnium prouinciarum, atque nationum, quę quidem non vulgari & propria lingua, sed vel Latina &c. celebrant.

CHRISTIANVS.

Hoc verò est longè grauissimum ψευδογράφημα. Quia enim? an tot Germanicæ, Heluticę, Gallicæ, Neruicæ, Britannicæ, Scanicæ, multæque aliæ per totum ferè orbem terrarum sparsæ Ecclesiæ, Dei gratia & misericordia florentissimæ, in rebus sacris peregrinam linguam vsurpant? An illarum omnium tibi nullam rationem esse habendam arbitraris, propterea quod iandiu à tuo Pontifice Romano, hæreses sint condem-

natę, atque fulmine illo Tarpeia de rupe vibrato vehementissimè quidem, attamen frustrà petitæ? Dic quæso Ledesima, túne ad hunc modum disputare nobiscum audes? Næ si hæc tibi ratio placet, sine sanguine & sudore, aut potiùs sedens stertensque facilè viceris. Hoc vitium à Dialecticis appellatur τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι. Quùm enim controuertatur, nostrane, an vestra sit vera Ecclesia: certè in disputando alteri altera præiudicium facere non debet, priusquam liquidò appareat firmissimis rationibus è verbo Dei deprompt is, quænam tandem cum veritate Propheticæ, atque Apostolicæ doctrinæ consentiat. Nec vos pudet à Græca Ecclesia testimonium petere, quam eiecistis, propterea quòd vestri Pontificis ambitionem, atque immanem tyrānidem pati nollet, quid enim vos illa subleuat, cui autoritatem vt hæreticæ ademistis? Sed retorqueamus argumentum.

Si ex vniuersalis Ecclesiæ consensu, atque more iudicandum est, an lingua peregrina vtendum sit: & non vniuersalis Ecclesiæ consensu, peregrina lingua in rebus sacris vtendum esse confirmetur: certè peregrina lingua in rebus sacris adhibenda non erit.

Connexi hypothetici veritas per se lucet, priorem Antecedentis partem cōfirmat ipse Ledesima: posterior autem ex nostrarum Ecclesiarum consuetudine comprobatur: & vt illas reijciat noster antogonista, nihilominus tamen inter orthodoxas recēsendę sunt, donec

donec aut Iesuita, aut quiuis alius in errore illas versari demonstrauerit. Denique ad Aegyptios, Morauos, Dalmatas &c. quorum ipse meminit possum prouocare, qui omnes suam vulgarem linguam in rebus sacris adhibent, nec tamen propterea de Catholicæ Ecclesiæ finibus, à nostro Ledesima depelluntur. Verum igitur est consequens.

Totum Iesuitæ vndecimum caput, Sophismate vno continetur, quo probare contendit: quùm antiqui Patres, atque etiam recentioris Ecclesiæ Doctores, ijsdem omninò verbis sacra, vt loquitur, officia citarint: in omnibus Occidentis regionibus Latinam, in Orientis verò Græcā duntaxat, & Hebræam linguam viguisse. Respondeo, mirum videri non debere (quùm Latinè vel Græcè Patres scripserint, & plerique omnes vel Latinè, vel Græcè docuerint, propter vtriusque linguæ diffusam longè latèque notitiam) in multis rebus, præcipuè solennibus, egregiè inter se illos consentire. Quos tamen, si mei esset instituti, facilè possem demonstrare, non semper, vt etiam non fuit vbique necesse, aut eadem verba, ad easdem res significandas vsurpasse: aut omninò inter se cōgruentes sacrorum ritus, diuersis in regionibus retinuisse. Peccat autem ratio Ledesimæ, ἀπὸ τὸ ἐπόμενον. quia non est necesse, si quædam proferat, quę inter se optimè conueniant: omnia se ad hunc modum habere: neque etiam, vt ijsdem

verbis Patres ad demonstrandam Ecclesiæ vnionem atque concordiam, quùm Latinè aut Græcè scriberent, vsi sint: eandem quùm in Ecclesia docerent, & sacra mysteria celebrarẽt, vbique linguam adhibuisse. Denique non animaduertis Iacobus, quam ieiunè hãc ratiocinationem, quæ ferè omnium Patrum scriptis inter se conferendis ad exitum perducenda est, comprobet. Quemadmodum etiam illud minimè cogitat, controuersias quæ ad fidem pertinent, ad solius autoritatem Scripturæ esse reuocandas. Verùm agè, afferamus incommodum eius quod fieri nequit.

Si propterea quòd multa inter se congruentia, eisdem verbis atque sentẽtijs Latinè patres scripta reliquerunt, efficitur vna eademque lingua omnes docuisse: Ergò etiam quòd multa inter se discrepãtia diuersis vocabulis, atque sententijs, Latinè scripta reliquerunt efficietur, non vna eademque lingua omnes docuisse, & vi consequentis Patres illi, eadem & non eadem lingua docuerunt: quod etiam de Græcis ratiocinatione simili colligitur. Hoc ἐξ ἀπηνεμένων flagello, istiusmodi falsæ concluſiunculæ, Theologo maximè indignæ, de Ecclesia eijciuntur:

IESVITA.

« Iam verò non omnia in intelligendo con-
« sistunt, non enim rarò accidit, vt qui minùs iorem

intelligunt ea, quæ dicũtur, à Sacerdote, ma- «
iorem tamen in eis videre liceat pietatis af- «
fectum. Nam & turbam non intelligendi vi- «
uacitas, sed credendi simplicitas tutissimam «
facit. Et si propter eos solos Christus mor- «
tuus est, qui certa intelligentia possunt, quæ «
ad fidem pertinent discernere: penè frustrà «
in Ecclesia laboramus: non quantùm intelli- «
gas, sed quantum credas, & quantùm creden- «
do ames quærit Deus: fit non rarò vt qui in- «
telligunt contemnant, qui non intelligunt «
afficiãtur. Vndè Deus cor potiùs & animum «
orantis, quàm verba, aut eius intelligentiam «
intuetur: & illa longè plus placent, quàm vlla «
verborum intelligentia & cognitio, &c. fides «
non sapientium secundum mundum, sed sa- «
pientiam secundum Deum est possessio &c. «
quandoquidem certum est, licet pleraque nõ «
intelligant, in fide maiorum suorum saluos «
fieri minores: nulla itaque est huius rei neces- «
sitas, vt sacra, & officia diuina, lingua vulgari «
celebrentur: sed contrà potiùs nõ parua vti- «
litas non intelligentibus.

CHRISTIANVS.

Hîc multos errores, & quidẽ grauissimos deprehendo: quorũ primus est μέσον ὑστερογενές, quæ argumentandi ratio valdè tibi est familiaris, vt iam non mirer, te in populo rerum ad salutem necessariarum ignorantiam excu-

sare : quum tu ipse sis absque Theologia Theologus.

Secundus error παρὰ τὸ ἐπίμυθον. Non enim ista sunt consectaria. Non omnia in intelligendo consistunt. Item : Turbam non intelgendi viuacitas, sed credendi simplicitas tutissimam facit. Item, fit non rarò vt qui intelligunt contemnant, qui non intelligunt afficiantur. Item, Deus cor potiùs & intelligentiam orantis, quàm verba, aut eius intelligentiam intuetur. Item, Fides non sapientiũ secundùm mundum, sed sapientium secundùm Deum est possessio: Ergò nulla est necessitas, vt sacra vulgari lingua celebrentur. Vide autem quid respondeam. Nemo est eorum, qui rectè sentiunt, qui non facilè nudam, & simplicem diuinæ voluntatis notitiam, ab ea intelligentia discernat, quam ideò efficacem appellamus, quòd fide sibi applicet cognitionem salutis in Christo patefactæ. Nudam autem, & simplicem illam Euangelij notitiam fideles habere possunt cum infidelibus communem: hęc verò intelligentia, quæ cum fide cõiuncta est, tota electorum est propria, & ita propria, vt à fide nunquam diuelli possit. Idcircò etiam Esaias cap. 53. vers. 1. Fidem qua Euangelio credimus, cum reuelatione brachij Domini copulat, & cap. 59. vers. 21. Spiritum Dei & verba foederis arctissimè coniungit.

Tertius error ψευδογράφημα in Theologia.

Omnis enim expetendorum, & fugiendorũ recta ratio, pendet à vera intelligẽtia verbi Diuini, quæ in sanctis τὸ μόριον τῆς ψυχῆς ὀρεκτικὸν, informat & dirigit. Tu autem vis, vt ignoratione maius in nobis desiderium accendatur, & quidem eius rei, ad cuius cognitionem quo propiùs accedimus, illam magis ac magis expetere, amplecti, deamare cogimur. Quamobrem, & sacræ literæ ab intelligentia ordiuntur, nos vt ad vitam perfectiorem deducant: in nobisque charitatem, quam ignorantia foueri existimas, contrario prorsus modo excitent, atque adaugeant. Paulus ad Col. cap. 1. vers. 4. *Non desinimus pro vobis orare & petere, vt impleamini omni cognitione voluntatis eius, cum omni sapientia & intelligentia spirituali: vt incedatis sicut Domino digum est, cui per omnia placeatis omnis operis boni fructus proferentes, & crescentes in agnitione Dei.* & infrà ver. 28. *Quem nos annuntiamus, admonentes quosuis, & quosuis erudientes, omni sapientia, vt quosuis sistamus perfectos in Iesu Christo.* & cap. 3. vers. 10. *Quum indueritis nouum hominẽ, qui renouatur in agnitionem congruentem imagini eius, qui ipsum condidit.* At iterum etiam ψευδογραφεῖ: separat enim ab intelligentia fidem, quæ duo vbique coniungenda esse, vel vlla Pauli Rom. cap. 10. vers. 14. gradatio demonstrat. Quomodo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? quomodo autem credent ei, de quo non audierint? quomodo autẽ audient absque præ-

Omnis

dicante? Cæterùm vbi explicueris quænam vtilitas, ex peregrinæ linguæ murmuratione, ad eos redeat qui non intelligunt: ad illam quoque partem, si Deo visum fuerit, respondebo.

Quartus error ἀπὸ τοῦ μὴ ἄπιον, ὡς ἄπιον. Nã cognitio, & intelligentia esse causſa non potest, cur minùs ardenter Deum oremus: imò contrà eorum quæ audiuntur ignoratio, frãgit atque debilitat contentionem animi: quæ certè vix vnquam futura est momentanea, nisi rerum, & sententiarum adminiculis fulciatur.

Quintus error ἀπὸ τοῦ ἄγνοιαν τῆ ἐλέγχει: quia sapientiam huiusce mundi, cum sapientia Dei confundit. Quid enim? An illi mundanam habent sapientiam qui arcana Dei audiunt & intelligunt? an illi contrà qui mundana prædiți sunt sapientia, de cælestibus arcanis possunt quicquam suspicari? annon antè exuenda est mundana illa sapientia, quàm Christi fiamus discipuli?

Sextus error ἀπὸ τοῦ συμβεβηκός, tribuit enim intelligentiæ vitium, quod homini tribuendum est. At Scriptura non eo modo medetur scandalis: sed veritatem in oculis omniũ collocandã esse docet, in odorem vitę atque mortis. 2. Cor. cap. 2. vers. 14. & 15. Sed obruamus Ledesimam incommodis.

Si sacrorum mysteriorum intelligentia, & pietas sunt dona Dei: & sacrorum mysteriorum intelligentia

ligẽtia interdum pietati repugnat: Ergò interdum dona Dei sibi repugnant ἀδύνατον & βλάσφημον. Item.

Si sacrorum mysteriorum cognitio, vt in pietate proficiamus, data est nobis à Deo: & sacrorum mysteriorum intelligentia pietatem interdum debilitat: Ergò illud, quod datum est nobis à Deo, vt in pietate proficiamus, pietatem interdum debilitat, ἀδύνατον. Item.

Si arcanorum cœlestium ignoratio est à peccato, eorundemque patefactio est à Spiritu Sancto: & interdum ignoratio cœlestium arcanorum, plus ad salutem interdum prodest quàm patefactio: Ergò interdum plus ad salutem prodest illud quod est à peccato, quam illud quod est à Spiritu Sancto, ἀδύνατον, βλάσφημον, & ἀσύλλογον. Item.

Si qui secundum mundum sapiunt, Dei arcana intelligunt, & qui secundum Deum sapiunt, Dei arcana non intelligunt: Ergo qui sapiunt secundum mundum, non sapiunt secundum mundum, & qui sapiunt secundum Deum, non sapiunt secundum Deum, ἀδύνατον. Consequentia patet, quia illi sapere secundum mundum, in Scriptura dicuntur, qui arcanorum fidei nostræ intelligentiam non habent: qua qui sunt prędiți sapere secundum Deum, & mundi Sapientiam exuisse credũtur. Verumenimuerò sua in sophistam retorqueamus argumenta.

Si quoniã in intelligendo non omnia consistunt, intelligentia non est in celebratione sacrorum necessaria: Ergò quoniam in pere-

grina lingua non omnia consistunt, peregrina lingua in sacrorum celebratione non est necessaria. Item,

Si fides possidetur ab iis, qui secundùm Deum sapiunt: & illi secundum Deum sapiunt, qui arcanorum cælestium intelligentiam non habent: Ergò fides non possidetur à Iesuitis, vtpote qui cælestium arcanorum intelligentiam habeant, siquidem illis credere volum', eáque de caussa sint infideles, & nõ sapiant secundùm Deum: quam quidem consequentiam, vt Ledesimæ gratificer, libentissimè isti bonę societati concedam.

IESVITA.

" Iam si hæreticas preces recitans, per ignorantiæ simplicitatem, eas bonas arbitrans, apud Deum nihilominus, ex affectus quo ducuntur pietate valent, nec vtilitate euacuantur: quantò magis is, qui certò scit, bonas esse preces, quas ignota lingua recitat, vel recitantes audis, fructu suo non fraudabitur? &c. " Quia etsi non intelligimus quæ de ore profe- " rimus, illæ tamen virtutes, quæ nobis adsunt, " intelligunt: & velut carmine quodam inuitatæ adesse nobis & ferre auxilium delectantur. " Quòd autem, sint non solùm circa nos, multæ diuinæ virtutes, sed etiam intra nos, quibus vel animarum nostrarum cura, vel corporum permissa est: quæ vtique si sanctæ Scripturæ

pturæ leguntur à nobis detestantur, & validiores erga nostri diligentiam fiunt, si linguis loquamur, & spiritus noster oret, sensus autem noster sine fructu sit. Dixit enim & hoc sanctus Apostolus, & mirum quodammodo mysterium humanis auribus protulit, dicens: Aliquando fieri posse, vt Spiritus qui in nobis est oret, & sensus noster sine fructu sit. Intellige ergo ex hoc, quia fit aliquando noster sensus sine fructu, Spiritus autem, id est virtutes illæ, quæ animæ nostræ in adiutorium datæ sunt: pascuntur, & reficiuntur ex auditu Scripturæ sanctæ, velut ex diuinis & rationalibus cibis.

CHRISTIANVS.

Falsum & ἀθεόλογον Antecedens, falsum etiam & ἀθεόλογον consequens. πρῶτον ψεῦδος manauit à vestris intentionibus, quas & quidem falsò bonas appellatis. Verumenimuerò illæ multis Scripturæ testimoniis, de Theologiæ sacrario tanquam prophanæ depelluntur. Rom. cap. 10. vers. 2. *Testor enim de ipsis, eos zelum Dei habere, sed non ex notitia: Nam ignorantes Dei iustitiam, & propriam iustitiam quærentes constituere, iustitiæ Dei nõ fuerunt subiecti.* Deut. cap. 12. vers. 8. *Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur.* Deinde, quum Deus veritatem palàm proposuerit, ne aberremus: indigni certè futuri sumus excusatione, si eius verbo neglecto,

quo

quo veritas illa continetur, ignorantiæ nostræ nos ipsi committamus. Nam de simplicitate quod affers, nõ eget responsione. Nec enim dicimus quosuis posse in Ecclesia Dei esse Doctores: aut de mysteriis nostræ fidei, quæ quidem nulla hominũ intelligentia cõprehendi, nulla exprimi oratione possunt, ita enucleatè & subtiliter disserere, quàm hi solent, qui Theologiæ operam dederunt. Quãquã ne nescias, Deus extra ordinẽ, quos vult erudit, quemadmodum velis nolis, abundantissimè nostra tempora testantur. Nihilominùs in Ecclesia Dei nemo est, qui tùm diuinæ legis præcepta, tùm articulos fidei tenere, ac legendo & audiendo Dei verbo, in dies magis ac magis proficere non debeat.

Erras etiam, ἀπὸ τὴν ἀγνοιαν τῦ ἐλέγχε. Nam & illud scientiam appellas, quod est mera inscientia: & bonum esse vis, quod est longè pessimum. Sed agam tecum liberaliter vniuersa me Scripturarum παυοπλία exuam, vt tuo ipsius gladio confodiare. Soletis vos quidem affirmare Catholicam Ecclesiam, quæ Synodo vniuersali repræsentatur errare non posse: Ecclesias particulares posse: quemadmodum & ipsa experientia satis supérque testatur. Hîc à te quæro, vbinam gentium preces illæ, quæ in singulis Hierarchiæ vestræ Synagogis decantantur, aut scriptæ fuerunt, aut saltem comprobatæ? Nam si publico Synodi cuiusdam consensu receptæ sunt, quî fit vt earum tòt extent formulæ, quot penè sunt diœceses? Sin autem à particularibus Ecclesiis conscriptæ sunt, quonã argumento idiotæ vestri, bonas esse preces illas sibi tandem persuadebunt, quùm vos etiam doceatis particulares Ecclesias errare posse? Quid? annón preces illæ sunt hæreticæ? Ora Patrem, iube natum: iure matris impera Redemptori. Nã infinitis similibus colligendis nolo certè operam ponere. Et cuius rei vos pudebit vnquam, si hæc tam profana, tam impia defenditis?

Deinde, tua disputatio μεταβαίνει εἰς ἄλλο γένος. Nam & totum illud quod de Angelis affers à Scriptura Sancta est alienum: & omisso verè Analytico eruditionis modo, probabiliter disserere conaris, quùm tamen sophisticè garrias. Non enim Angelorum caussa, sunt institutæ preces: sed tùm vt à Deo petamus ea, quorum indigemus: tum vt illi pro infinitis suis erga nos beneficiis agamus gratias: tùm verò vt magis ac magis, fides accendatur in nobis & charitas. Exemplo esse possunt ferè omnia Epistolarum Pauli exordia.

Posteà laberis quoque, ἀπὸ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Nam quæ propriè dicuntur à Propheta, nouè interpretaris. Sensus enim est, tu anima mea, cum illis omnibus facultatibus, quas liberaliter tibi Deus attribuit, vosque animæ organa, quibus illa vtitur ad vim suam demonstrandam, laudate Dominum. Tu verò ὑπερθεολογεῖς. Vt enim

dissimulem ἐκ εἶναι διαλεκτίον ταῖς μεταφοραῖς, vndè tandem didicisti Angelos in sanctis habitare ἐσωθῶς? Ac fortasse peritiùs, Pauli quem citas, locum interpretatus es: imò etiã peius. Nam & quale fuerit temporibus Apostolorum excellentissimum illud donum linguarum ignoras: & quid vocibus, tùm Spiritus, tùm intelligentiæ Paulus significet, non assequeris: aut certè dissimulas. Etenim qui tunc linguarum dono in Ecclesia pollebant, non vt fanatici loquebantur: sed proculdubiò intelligebant ea, quæ ipsi, vt intelligerent alij proponebãt. Illo tamen excellenti dono abutebantur Corinthij, vtpote qui tum peregrinam linguam vsurpare solebant, quùm ad eos sermonem dirigere oportebat, qui eius linguæ non erant periti. Quamobrem & Paulus. 2. Cor. cap. 14. vers. 4. *Qui loquitur lingua*, inquit, *seipsum ædificat: qui verò Prophetat, Ecclesiam ædificat.* At enim si linguę illius, tùm is qui loquebatur, tùm illi qui audiebãt, æquè fuissent imperiti: non magis seipsum ędificasset, qui peregrinam linguam vsurpasset, quàm Ecclesiã. Ex quibus apparet, Apostolum voce Spiritus, loquentis animũ significare, qui certè quùm ea, quæ dicũtur intelligat, ipse ædificatur: intelligentiæ verò appellationem ad Ecclesiam referre: loquentis enim quatenus alios affatur, nulla est vtilitas, nisi ab iis, quos instituit, quæ ille dicat, percipiantur. Tu autem mirificum quoddã mysterium, in verbis Apostoli latêre arbitraris, quod

quod quidem tibi probandum relinquo.

Sed asseramus aliquot incommoda eorum, quæ fieri non possunt.

Si ignorantia excusat peccatum, vt ait Ledesima: *& non excusat peccatũ*, vt ait Christus Luc. cap. 12. vers. 48. *Ergò illud quod excusat peccatũ non excusat peccatum ἀδύνατον.* Item.

Si peregrina lingua & incognita, vt Iacobus asserit, *est in Ecclesia sine interprete recipienda*: & vt ait Paulus. 1. Cor. cap. 14. vers. 28. *non est sine interprete in Ecclesia recipienda: Ergo lingua peregrina quæ est in Ecclesia sine interprete recipienda, non est sine interprete recipienda.*

Retorqueamus argumentum. *Si*, quemadmodum docet Iacobus, *probanda est illa orandi consuetudo, qua Spiritus noster orat, intelligentia verò nostra est sine fructu: Ergo magis est probanda consuetudo illa, qua & spiritus noster orat, & intelligentia nostra est fructuosa & δυνάμεις τῆς ἀκολουθούσας* eorum, quos Lutheranos appellatis, orandi consuetudo, magis est probanda, quàm Pontificiorum.

IESVITA.

Christus Saluator noster, id comprobauit « quod dicimus, prodesse scilicet orationem, & « Deo placere non intellectam. Nam pueri in « templo laudantes Christum clamabant, dicen « tes: Hosanna filio Dauid, quum tamen non « intelligerent quid dicerent, id autem placuit « Christo, & eos defendit, & voluit sic agere. «

CHRISTIANVS.

Falsum est Antecedens. vulgaris enim vt suprà docuimus illa fuit acclamatio, & quæ idcircò facilè ab omnibus intelligeretur: Deinde familiari etiam sermone fuit concepta. Sed video quid tibi imposuerit, quum ne tu quidem illud dissimules. Ais enim *necessariò quidem confitendum esse lactentes, & vix dum loqui potentes pueros non intellexisse, quid nomine Filij Dei altissimi & maximi significaretur.* Quid hoc sibi vult? an ideo non intelligebant quid vocabulũ *Hosanna* & *Filij Dauid* notaretur? an se faustum suo Messiæ successum precari nesciebant? an venturum Messiam ab ætatibus antiquis Dauidis fore filium ignorabant? annon Christus à pueris pro vero illo Messia tum agnoscebatur? At sanctissimum & incomprehensibile incarnationis mysterium pueros turbámque adeò vniuersam fugiebat. Quasi nos inficiemur carceres cognitionis nostrę aperiendos esse, vt longiùs progrediamur. Atque vt breuibus absoluã: argumẽtatio peccat ὡς ἐπὶ τὸ πόλυσνον multis modis. Nam non sequitur si Deus nõ requirit ab infantibus nostris, vt salutis arcana mysteriq distinctè intelligãt: propterea quòd ætas infantiũ ad illorũ cognitionẽ aspirare nõ potest, illud ipsum ab hominibus prouectę iam ętatis nõ requirere. Prætereà nõ est consectariũ, si maximè ἄῤῥητον illud arcanũ pueri cognitũ & perspectũ non habuerunt: quod etiã pleroscj legis Doctores latebat, reliqua etiã ignorasse. De-

Deinde non bene colligitur à statu Ecclesiæ collapso, ad statum Ecclesiæ instauratum. Posteà non valet consequutio, Christus approbauit vocem puerorũ qua pro Messia coram Scribis & Pharisæis agnoscebatur, ergo illorum etiam ignorationem gratã habuit, propter quam ad eius Deitatem non ascendebant. Quemadmodum vera non est complexio. Accepta fuit Deo fides Rahab, qua Israelitarum exploratores conseruauit: acceptum igitur Deo fuit mendacium quo mulier illa in conseruandis exploratoribus delusit suos ciues. Denique obseruare debuit Ledesima pueros lingua populari esse loquutos, & idcirco propter linguæ ignorationẽ, à rerũ cognitione minime fuisse repulsos, sedtũ propter ętatis imbecillitatẽ, tũ etiã propter Scribarum & Pharisæorum imperitiam & tyrannidem.

IESVITA.

Rursus, si semper requireretur linguę illius cognitio, qua fit oratio: sanè multò magis rerum ipsarum, quæ verbis ipsis significantur, intelligentia. Verba enim & linguæ rei significandæ duntaxat inseruiunt. At verò non rarò accidit vt pij in oratione sic erga Deum afficiantur, vt non solum verborum, sed rerum quas ibi à Deo petunt rapti obliuiscantur, & longè alia eo ipso tempore, quum recitant, mente abstracti cogitent ac meditentur, qui tamen nulla

« ratione vituperandi sunt, &c. Quamobrem « continua & particularis, animi attentio ad « singula verba, non est omninò necessaria, & « quod plus est, nec ad ea etiam quæ peculiari- « ter verbis orationis significantur : sed satis « est in Deum mens eleuetur, siue id fiat ver- « borũ ipsorũ particulari cognitione, siue qua- « dam alia intelligentia.

CHRISTIANVS.

Pudet me toties præceptum illud inculcare, non oportere disputando μεταβαίνειν εἰς ἄλλο γένος: at te toties cõtra præceptũ maximè obseruandum peccare non pudet. Nam axioma illud, quod affers in tota Theologia nusquam extat: quo etiam nihil est absurdius. Deinde principium petis: vt qui ignotũ probes per ignotius. Cur enim de verborum intelligentia disserimus, nisi res vt ipsę intelligantur: quas quidẽ si absque verbis intelligere possemus, de tota illorum ratione nullo essemus modo soliciti. At tu festiuè, vt omnia verborum, inquis, cognitio nõ est necessaria, quia rerũ cognitio non est necessaria: Quum nos persæpe a necessitate cognitionis rerum, ad necessitatem cognitionis verborum essemus argumentati. Sed ne teramus tẽpus in istiusmodi refutãdis ineptiis Ledesimam obruamus ἀδυνάτῳ.

Si fides atque intelligentia separari non possunt, quemadmodum paulò antè demõstrauimus: *& intelligentia inter orandum non est vbique necessaria. Ergo & fides inter orandum non est vbique necessaria*, ἀδύνατον. Nam sine fide impossibile est

est placere Deo Heb. cap. II. vers. 6.

Si qui non intelligunt ea, quæ precibus à Deo petunt, blasphema interdum petunt, quod & suprà confirmauimus, & preces absque fide concipi non debent aut etiam possunt: Ergo interdum blasphemiæ cum fide cohærent. ἀδύνατον & absurdum. Retorqueamus argumentum in Iesuitam.

Si intelligentia rerum, & verborum non est necessaria eò quòd sufficit vt mẽs in Deum eleuetur: ergo etiam neque preces ipsæ, neque verba erunt necessaria, sed mentis sola in Deum eleuatio. & vi consequentis non erit quærendum, qua lingua preces concipi debeãt, sed tùm ipsæ preces, tum multo magis erunt linguæ abolendæ, vt soli mentis in Deum eleuationi locus relinquatur.

IESVITA.

Prætereà eum posse publicæ orationis esse participem, qui linguam Latinam prorsus ignorat, aduersus ea quæ nugantur aduersarij, ex his liquet, Nouit siquidem fideliũ quisque satis multa, vnde possit ex oratione Ecclesiæ fructum capere. Nouit enim orationibus ab Ecclesia, & Christi ministris à Deo peti pro populo, veniam peccatorum, dona virtutum, pacem, sanitatem mentis & corporis. &c. Atque vt maximè sit rusticus, scit saltem in genere, bona huius vitæ & futuræ orationibus ab Ecclesia peti, &c. vt vtilis sit oratio vel publica, vel priuata sufficit gene-

ralem rei petitæ,& eius à quo petitur, & per quem petitur habere cognitionem. At in genere hæc omnes norunt,&c. Imò illi qui noto sermone orant, sæpe Dominicam orationem,non nisi admodũ confusè & generatim intelligunt,vt ex ea cognitione,quam ex cõcionatoribus acceperunt amplius orent, quã ex ea,quæ ex verborum recitatione, ab ipsis concipitur.

CHRISTIANVS.

Isto certè modo differere peius est, quàm ἀδολεσχεῖν. Quid enim quæso est participare? nónne partẽ eius rei auferre, quæ cum multis cõmunicanda est. Et quoniã preces illæ, quæ in Ecclesia fiunt, ex earũ rerum genere sunt,quæ in solidũ participantur: prorsus æquo iure cum Christianis omnibus cõmunicandæ sunt. Tu verò cui leonina placet societas,quum aperto Dei verbo premaris,ad pueriles cõclusiunculas cõfugere audes, vt tantã nobis ereptã lucem, cum tenebris plusquam cimmeriis cõmutes? Quodnã autem est illud argumentãdi genus. Is potest publicæ orationis esse particeps, qui linguã Latinã ignorat,quia multa nouit vnde fructum ex Ecclesiæ oratione possit capere. Nouit enim àDeo peti veniã peccatorũ,&c. Primũ hoc nihil ad rẽ facit. Negauimus enim semper, & adhuc obnixè negamus,generalẽ illã cognitionem quæ potiùs ignorantia est appellanda sufficere: quã tamen longè secùs ac oportuit vt probatã assumis. Deinde,tam absurdè argumentaris,

taris,quàm si affirmares, eũ qui certò scit alterũ pro se laborare: quũ ipse intereà vitã otiosè traducat,nihilominus nõ vtilitatis modò alicuius,quæ illo ex labore existit,sed etiã laboris esse participem. Quæ vt meliùs intelligantur,distinguenda est homonymia, quæ in voce,*participandi*,latet. Quum preces fiunt legitimè,nõ modò illi qui adsunt,sed illi etiam qui absunt(propterea quòd ex Dei præcepto pro electis omnibus oramus) eatenus precum vtilitatem & fructum nobiscũ participant,quatenus Deo vel generaliter vel etiã peculiariter cõmendantur:actionem verò illam quum absint, participare non possunt. Quamobrẽ,si preces vestræ haberentur legitimæ,qui adessent neque intelligerent, quatenus pro illis orarent ministri,vtilitatem ex precibus perciperent, non ipsas autẽ participarent preces. At in Ecclesia vbi Deus nobiscũ suas liberaliter cõmunicat diuitias,non vtilitas quædã modò participanda est, verùm etiam illa quæ publicè fit actio. Sed age retorqueamus argumentum.

Si qui & generaliter, & particulariter preces participant, magis earum sunt participes, quàm illi qui generaliter tantùm: & illi quos Lutheranos appellatis, & generaliter, vtpote qui sciant quid à Deo petatur,& particulariter,vt qui tum verba orationis,tum sententias intelligant, participare preces solent:certè illi quos Lutheranos appellatis preces magis participant quàm Pontificij.

At qui noto sermone orant, Dominicam orationem confusè, ac generatim primò intelligunt: ità vt illius interpretationem à cõcionatoribus ediscere cogantur. Quasi nos dicamus arcana cœlestia, quibuslibet reuelari extrà ordinem; aut ministerium Ecclesiasticum sine fructu esse contendamus. Verum enimuerò quis non miretur tãtum posse veritatem, vt qui maximè illam oppugnãt, pro illa testimoniũ dicere cogantur. Quid enim? an verborum intelligentia est inutilis, & sine fructu si expositione sententiarum exactissima cumuletur? an non ipsæ sententiæ faciliùs & tenaciùs animis inhærent, si verborum tanquam notis exprimantur? De inuocatione autem sanctorum ne, tuo more, omnia confundam̃, aliâs si Deo placuerit disputabimus.

IESVITA.

« Sicut enim olim in veteri lege, ceremoniis « & sacrificiis, Deum fructuosè orabãt omnes, « qui sciẽtes quidem signa esse, quid tamen eis « significaretur particulatim atque distinctè « non nouerant &c. Oratio non solùm popu- « lo intellecta, sed etiam non audita prodest, « vt Pontificis Sancta Sanctorum ingredientis « &c. Leuitæ Deum quotidiè manè & vesperi « laudabant, quibus laudibus aut populus non « intererat, aut minutim omnia non intel- « ligebat.

CHRI-

CHRISTIANVS.

Error est: πρὸς τὸ ἄγνοιαν τοῦ ἐλέγχου. Nam inter nos non controuertitur, an Deus excuset in hominibus, quandam arcanorum suorum ignorantiam: verùm an homines sua sponte sibi oculos eruere debeant, ne veritatem intueantur. Deinde, sub veteri lege ceremoniarum ritus erant accuratissimè descripti, & quidem eo idiomate, quod à populo facilè poterat intelligi: adhæc Pontifices ne tantillum quidem in ritibus illis, ab ipso Deo præceptis, immutare audebant: ità vt nisi populus voluntariò cæcutiret, nullo negotio tùm à lege Dei quę in omnium manibus versabatur: nondum enim Pontificia tyrãnis Domini verbum hominibus extorserat: tum ab ipsa rituum illorum celebratione, posset addiscere, quò tandem & sacrificia, & ceremoniæ reliquæ pertinerent.

Error etiam est πρὸς τὸ ἐπόμενον. Nec enim est consectarium, si arcana ceremoniarum populus Israeliticus minimè intellexerit, nos Ecclesiasticas preces intelligere non debere. Deinde non valet consequentia, ab vmbris legis, ad lucem Euangelij. Iam verò retorqueamus argumentum.

Si sub legis vmbris, quælibet sacra populari lingua fiebant, vt ab omnibus qui aderant intelligerentur: certè multò magis, posteaquàm lux Euangelij nobis affulsit, sacra sunt eo idiomate celebranda, quod ijs qui audiunt, notum esse possit & perspectum.

Quatenus autē qui absunt, preces nostras participare possint suprà diximus. Ad Pontificem verò quod attinet, qui semel in anno sancta Sanctorum ingrediebatur, non te, vt opinor, latet qua de caussa illud à Deo sit præceptum, nempè vt Christum figuraret: qui solus pro nobis cœlum adscendit, & ibi corā Deo preces fundit, quę nullius creaturę auxilio indigent, sed ita sunt efficaces, vt nostrarum omnium precū dignitas ab vnius Christi precum dignitate pendeat. Regeramus argumentum in sophistam.

Si quoniam populus Israeliticus iuuabatur oratione Pontificis, quam tamen non intelligebat, sequitur preces à populo intelligi non debere: Ergò quia dum oraret sacerdos nemo stabat in templo, sequitur dùm orant sacerdotes Pontificij neminem sacris debere interesse, quod certè consequens tam est verum, quàm falsum antecedens, nihilominus Pontificios nulla ex parte subleuat. Item.

Si Pontifex Israeliticus inter orandum linguā populari vtebatur: Ergò non est mutanda in peregrinam lingua popularis. Item.

Si semel in anno Israeliticus Pontifex à populo secretus in arcano sacrario Deum orabat: Ergò semel tantùm in anno preces Pontificiorum à populo non intelligi debent, quod illi valdè absurdum iudicarent.

IESVITA.

» Nec fieri poterat, vt illa quæ in choro à psal-

psallentibus quātumuis vernacula lingua ca- «
nerentur in amplis præsertim vrbibus audi- «
ret populus, & audita perciperet, &c. tota vul «
gi intelligentia per conciones formatur, &c. «
Nihil eorū quæ per Ecclesiæ orationem im- «
petrantur, quacunque lingua fiat, deperit «
populo.

CHRISTIANVS.

Totum illud est ridiculum. Sed tamen, si quidem illud verum esset incommodum, excogitanda potiùs erat ratio, qua ei succurreretur, quàm nouo & quidem grauiori cumulandum. At in templis populus non canebat. Esto. At psalmorum in manibus habere volumen, quis prohibebat? At omnes literas nō didicerant. Ideóne excludendi erāt à lectione sacra qui didicissent? Annón etiam illi, qui erant literarū imperiti, vel domi alere à quibus docerentur, vel à vicinis sacrarum librorum lectionem mutuari poterant? Denique quàm totum illud concludendi genus est, ἀπαίδευτον, καὶ ἐπερόδοξον.

IESVITA.

Satis hactenùs constitit Scripturis, & San- «
ctorum testimoniis, aduersus Caluinum, & «
sequaces, orationem tam publicam, quā pri- «
uatam prodesse etiam non intellectam. «

CHRISTIANVS.

O profligatam audaciā! O impudētiam singularē! Túne vllo Scripturę testimonio confirmasti vnquā, aut etiā cōfirmabis, orationē

non intellectam prodesse, aut peregrina lingua esse concipiendam? Atque vtinam in animũ inducere velletis, hanc præstantissimam & Theologo maximè dignam disserendi cõsuetudinem: quæ sui amore ac desiderio me tam ardenter inflammauit, vt inter disputãdum de fidei nostræ arcanis, præter ea, quæ depromuntur è religiosissimo Scripturarum sacrario, nihil esse mihi audiendum putem.

IESVITA.

Orationes quædam, ab Ecclesia populo "sunt propositæ, vt eas ipsemet populus, reci- "tet, & eas discat, & intelligat. Sunt præterea "quædam alia paucula, ab eis ediscenda, om- "nibus ad salutem necessaria, hæc ergò rectè "non tantùm Latinè, sed vulgari poterũt lin- "gua proponi. &c. Nam si corde creditur ad "iustitiam, & oris confessio fit ad salutem Rõ. "10. & sine fide impossibile est placere Deo "Hęb. 11. vtique siue oportet credenda, quæ in Symbolo ipso continentur.

CHRISTIANVS.

Ergò aliquantulum resipuistis. Nam memini me audire cõcionatores vestros, quanta contentione possent vociferantes, non licere sub pœna peccati mortalis, vt loquebantur, vel priuatim vel publicè Deum orare, lingua vulgari, aut rem vllam sacram legere. At vt video tibi error iste non placet, & meritò quidem si vlteriùs pergeres. Quin etiam testimonia

stimonia ex scriptis Apostolicis à te prolata, vehementer apposita iudicarem, nisi exceptionibus tanquam compedibus, quæ latissimè patent, in angustũ constringeres. Verùm agè retorqueamus argumentum.

Si sine fide impossibile est placere Deo, & fides, vt tandem confitetur Ledesima, sine scientia esse nequit: Ergò, dùm illas preces populus recitat, quas ipse non intelligit, Deo placere non potest.

IESVITA.

Et præterea, in publica oratione Ecclesiæ, » non expedit vt populus omnia intelligat, quę » sacerdos vel Ecclesia petit: ídque ob plures » causſas: Primò quia varia ab Ecclesia, & Dei » ministris petuntur, quæ non expedit totum » populum scire, neque publicè passim euulga- » ri: vt, verbi gratia, vnũ ex multis proferamus, » quùm orat contra eos qui Ecclesiam oppri- » munt, vel in fideles vel tyrannos, & quùm » pro peccatis nonnunquam quorundam oc- » cultis, ac rebus & necessitatibus secretiori- » bus orat.

CHRISTIANVS.

Hoc est scilicet ratiocinari ἀποδεικτικῶς. Veruntamen quoniam didicimus τὸ δικαῖον αἴτιον ἢ τὸ αἰτιατὸν ἀντιστρέφειν, consideremus quàm bene causſæ illi, quam affers, cum suo effecto conueniat. Si enim germana est, germanúmque habeat effectum, vbicunque hoc fuerit, illam quoque fuisse necesse est. Primùm igi-

tur à te peto Ledesima, quàm diu Græca Latináque Ecclesia floruerint, post receptum Euangelium in Græca Græcè, in Latina verò Latinè sacra fierent, quæ tunc linguæ ab omnium ordinum hominibus intelligebantur, quanam ratione mysteria illa, quæ dicis tantoperè esse celanda, occultabantur. Num quæso apud Græcos Hebraicè, apud Latinos Græcè mos erat, quùm illa incidissent, proloqui. Nec assequi possum quid nomine orantis Ecclesiæ tibi velis. Nam si Sacerdotibus solis nomen Ecclesiæ attribuis & in ea præsertim quæstione de qua disserimus, petam à te vt exemplum, quo istiusmodi expositio nitatur, proferas: Sin verò de omnibus, qui cõueniũt fidelibus, loqueris, Ecclesia certè cognoscat necesse est, quæ à Deo ipsa precatur. Quã verò illa arcana sunt, quę vel Grammaticulus nebulo intelligit, & cum quouis communicare potest. Atque ita etiam περισωποληψία in Ecclesiam Dei apertè irrumpet, ac intelligẽtia Spiritualis, quam Deus pro arbitrio distribuit, vnius linguæ regulis addicetur. Meliùs certè Paulus qui donum prophetiæ, à dono linguarum distinguit. Denique, an existimas Ecclesiam Dei tam fuisse vnquam meticulosam, vt si necessitas incidisset, apertè contra tyrannos, qui essent omninò desperati, orare non auderet. Iam illud perquàm rarò accidit, vt nõ sit opus tanta lege lata procurari. Quod verò ad peccata attinet, quæ tu secreta nominas, hoc scilicet tanti fuit, vt Ecclesiam spoliaret communione precum. Sed in Ledesimam regeramus argumentum.

Si arcana, quæ tantoperè dicit esse celanda Ledesima, Græcam, & Latinam Ecclesiam non impediuerunt quominùs populari, & cognita lingua sacra facerent: ac ea de caussa Græca Latináque Ecclesia carent vitio: certè illa tanti esse non debẽt, vt nos à communione precum, & mysteriorum quæ in Ecclesia celebrantur, arceat.

IESVITA.

Præterea orandi sæpe modus Ecclesiæ, aliquos ex populo, ob ignorantiam, vel malitiã eorum posset offendere: amoris enim verba, & ecstasis Spiritualis, quibus Ecclesia vtitur, esse possent rudiori populo offendiculum, quùm animalis homo non percipiat ea, quæ Dei sunt, vt ait D. Paulus, 1. Cor. 2. Qualia sunt Cantica Canticorum, ex quibus aliqua non rarò mutuatur Ecclesia in suis precibus, &c. & illud quoque ex eodem amore profectum, sed diuersi generis, quùm cruci Ecclesia dicit. O crux aue, spes vnica, hoc passionis tempore, auge piis iustitiam, reisque dona veniam. Clamaret hîc carnalis sciolus, aut ignorans idiota, aut Lutheranus, & Caluinista hæreticus, hoc esse proprium Christi, & Dei, non crucis. Varia denique sæpe Christi mysteria in orationibus Ecclesiæ recondunturquæ non est fas passim euulgare.

CHRISTIANVS.

Ijdem errores qui suprà: quibus antiquam opponimus Ecclesiam, quæ certè prudentia

Romano Pontifici non cessit. At egregiam scandala tollendi rationem excogitasse tibi videris, nempè si crassa ignorãtia inuehatur in Ecclesiam. Sed parce mihi, fundamentum Scripturæ requiro, cui tuum dogma nitatur. Nam quùm sint duo genera offendiculorũ: quorum vnum ἐν τοῖς ἀδιαφόροις consistit, alterum fidem & pietatem respicit. τὰ ἀδιάφορα charitati accommodare possumus, fidem verò & pietatem, veritati congruentem retinere cogimur. Si qui sunt infirmi, non ignorantia fouendi sunt, sed docendi. Si qui verò malitia excæcantur, dicamus cũ sancto Paulo. 1. Cor. cap. 1. ver. 23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam: Ipsis autem vocatis, tùm Iudæis, tùm Græcis, Dei potentiam, ac Dei sapientiam.*

Et Christus ipse respondit discipulis monentibus, Pharisæos eius sermone offensos fuisse. *Omnis planta, quam non plantauit pater ille meus cælestis eradicabitur: Sinite eos, duces sunt cæci cæcorum, quod si cæcus cæco præierit, ambo in foueam cadent.* Matth. cap. 15. vers. 12. Et apud eundem Mattheum cap. 11. vers. 5. ipse idem Christus, Euangelium dicit esse pauperibus prędicandum, & beatum appellat eum qui non ea de caussa fuerit offensus, & te non pudet, rudiorem populum animalis hominis appellatione comprehendere, qua Paulus tùm Iudæos, tum Græcos infideles complectitur? Sed afferamus incommodũ eius, quod fieri

fieri nequit.

Si rudis populus est animalis homo: id est, *si omnes illi, qui Latinè non intelligunt, ea quæ sunt Spiritus Dei percipere nõ possunt: & præcepta legis, articuli fidei, precatio Dominica est Spiritus Dei: Ergo qui Latinè non intelligunt, nihil eorum percipere possunt. ἀδύνατον.* Etenim non essent Christiani, vel ipso Ledesima teste.

IESVITA.

Petiuerat hoc olim dux Bohemiæ, totius suæ gentis nomine, à Gregorio VII. Pontifice Romano, ante annos quingẽtos & ampliùs, quod nostra ætate Lutherus introduxit: sed videamus, quid Pontifex responderit, lib. 7. regiſtri sui, in Epistola ad Ducem Bohemorum. Quia verò, inquit, tua nobilitas postulauit, vt secũdum Sclauonicam linguam, apud vos diuinum celebrari annueremus officium, scias nos huic petitioni tuæ, nequaquã posse fauere, &c.

CHRISTIANVS.

Apud vos Pontificios, Põtificia valeat autoritas, nos autem qui Christiani sumus, solius vocem Christi audire didicimus. Nam quæ illa est ratio: Episcopus qui sceleratissimè omnia sacra & profana peruertit & corrupit, extremam diuinæ volũtatis ignorationem, quam in Ecclesiam inuexit, approbata ergo etiam ab omnibus est approbanda. Et cui magis expedit verbum Dei latêre, quàm

vestro Põtifici, vobisque adeò Iesuitis. Error est: Ὅδε τὸ ἐπόμενον, atque etiam μετάβασις εἰς ἄλλο γένος. Quid enim est veritati cum Pontifice Romano commune?

IESVITA.

Prætereà incommoda hinc euenire grauis
„ sima, retulit Innocentius III. &c. nuper autem
„ idem Episcopus, per suas nobis literas inti-
„ mauit, quòd quidam eorum, quos notabiles
„ prioribus literis denotarat, mãdatis recusant
„ Apostolicis obedire: quibusdam eorum clan-
„ culò, quibusdam verò iam publicè, obedien-
„ dum esse dicentibus soli Deo: ab occultis e-
„ tiam conuenticulis non cessantes, officium
„ prædicationis occultè, licet à nullo mittan-
„ tur, prohibiti etiam non metuentes vsurpa-
„ re: aspernantes sibi dissimiles, & translationi
„ eidem vsque adeò insistentes, vt se nec Epis-
„ copo, nec Metropolitano suo, nec nobis ipsis
„ asserant parituros, si eam decreuerimus abo-
„ lendam.

CHRISTIANVS.

Grauissima certè illa esse Romanę Eccle-
się incommoda, nemo nostrûm negaturus est vnquam: sed non ideò efficitur illa esse vituperanda. Imò cum suapte natura, publicatio mysteriorum cœlestium plurimi faciẽda est, tum etiam propterea quòd ad idolomaniam, & reliquas superstitiones profligandas vehementer est accommodata. Tu verò, vt ferè semper, principium petis, cum tuo Pontifice Innocentio: ita enim colligis. Quidquid Ecclesiæ

clesiæ Romanæ nocet, illud est malum: Publicatio verbi Dei Ecclesiæ Romanæ nocet: Mala est igitur. Quasi verò illud non esset optimum, quod rei malæ interitum afferre solet. Ne autem patientia lectorum abutar, commodius erit argumentum retorquere, quàm singulis refutandis immorari.

Si patefactione mysteriorum cœlestium Romana ruit Ecclesia: & arcanorum cœlestium patefactio est in bonis: Ergo Ecclesia Romana est in malis.

Prius Antecedẽtis membrum verum est, Innocẽtio & Ledesima testibus: posterius abũdè suprà confirmauimus. Verum igitur est consequens.

IESVITA.

Concilium Tridentinum nuper celebra- «
tum, sapiẽtissimis & sanctissimis suis decretis «
istorum errorem condemnat: quod sanè ad- «
uersarij non est, cur vlla ratione recusent, «
quùm omnes ad illud vocati fuerint, & à su- «
prema quidem Ecclesię potestate vocati &c. «

CHRISTIANVS.

Vsque adeóne es impudens Ledesima, ut concilibabulum Tridentinum nobis obijcias: quod aduersus Dei veritatem congregarum fuisse à tuo Pontifice Romano ecquis tãdem ignorat, nisi fortasse tui similis? At omnes conuocati sunt. Scilicet lupus de ouibus cõgregandis vnquam seriò cogitauit. Deinde, ignoras vt maximè cupieris, per vestras leges, vobis non esse licitum, fidem illis seruare

quos hæreticos, & quidem falsò appellatis. Tota igitur hæc ratiocinatio non est solum ἑτεροζητής, verum etiam ἀσύστατος.

IESVITA.

« Si vulgari sermone sacrum passim celebra
« retur, primò vnio periret fidei. Nam si in va-
« riis regionibus, dissimili loquendi genere sa-
« crũ fieret, & officia diuina celebrarentur: tunc
« quæ illarum esset fides, aliæ regiones ignora-
« rẽt: & is profectò, qui ex vna in aliam migra-
« ret regionem, tãquam ad alterius fidei, ac re-
« ligionis homines accederet: quùm nihil prof
« sus eorum intelligeret, quæ dicerentur: vnde
« illi prorsus essent barbari, ac perinde ac si in-
« ter alterius sectæ homines versaretur.

CHRISTIANVS.

Meritò possem totum illud argumentum repudiare, vtpote, quod minimè sit ἀναλυτικὸν, sed τοπικὸν: quùm in accuratis tractationibus, cuiusmodi habentur in primis Theologicæ, loci Topici ad Sophisticos reuocari debeant, nihilominus excutiam, quodnam illud sit, ne tibi à me factam iniuriam conqueraris. Quæstio est igitur, an si sacra vulgari lingua celebrentur, peritura sit vnio fidei: quod tu quidem affirmas, nos verò pernegamus. Hoc problema pertinet ad methodum disputãdi de Accidẽte: vnde quàm lubrico in loco tuæ ratiocinationes vacillent, nisi omninò es πάνυ παιδείας imperitus, non te fugit. Sed neque medio

medio termino per te tibi vti licet: qui vt ad efficiendam complexionem ineptus est, ità non vno loco à te falsitatis accusatur. Nam vt de illis populis taceam, qui à tuo Pontifice impetrarũt, vt in rebus sacris vulgares suas dialectos adhiberẽt: quid fiet tribus illis linguis, quas in celebratione sacrorum retinendas esse opinaris. Nam si ratio tua procedit, ad vnam nobis deueniendum est: ne si quis ex vna regione, in aliam demigret, tanquam ad alterius fidei homines accedat, quùm nihil prorsus intelliget eorum quæ dicentur. Deinde, vt sacra lingua vulgari fiant, ideóne sequitur, inter homines qui longis terrarum interuallis à se dissident, nullam fore societatem? nullam fidei mutuam communicationem? Quasi verò nesciamus instituta, mores, superstitiones, genealogias, res aut præclarè, aut turpiter gestas eorum populorum, qui nõ modò linguis, & regionibus à nobis, verum etiam temporibus dissident. Et ne longius abeam, cui non perspecti esse olim potuerint, aut ætate nostra possint, diuersi gentium in adorãdo ritus? Præterea, etiamsi communicatio & societas, longè maximam vtilitatem affert, tamen vnionem fidei, quæ verè spiritualis est, in externa communicatione ponendã esse, vehementer inficiamur. Quid enim? an vlla nobis vnquam fuit, aut esse potuit, externa cum Prophetis, & Apostolis cõmunicatio? At enim, si Christiani sumus, cum Prophetis & Apostolis vnionem

fidei, nos conseruare necesse est. Deinde, quùm Ecclesia interdum lateat, interdùm lõgè, latéque diffundatur: certè externa cõmunicatio illa perpetuò vigere nõ potest: quùm tamen intereà vnio fidei non pereat. Sed regeramus argumentum in Sophistam.

Si qui nihil prorsus intelligit eorum, quæ dicuntur, tanquam ad alterius fidei homines accedit: & quamplurimi ex Pontificijs, nihil eorum, quæ dicuntur intelligunt: Ergò quamplurimi ex Pontificijs tanquam ad alterius fidei homines accedunt. Prius Antecedentis membrũ ipse confirmat Ledesima: posterius experientia comprobat. tenet igitur Conclusio: eáque de causa Iacobus, suis se retibus induit. Item.

Si inter eos qui dissimili loquendi genere sacra faciunt, alter quæ sit alterius fides ignorat: & Pontificij dissimili genere loquendi sacra faciunt, nimirum Hebraicè, Græcè, Latinè, Aegyptiacè, Syriacè, &c. Ergò inter Pontificios alter quæ sit alterius fides ignorat, quod vsuenire quotidiè videmus.

IESVITA.

„ Secũdò religionis quoque ac diuini cultus „ sic vnio periret. Nam quùm diuersa lingua, „ quæuis prouincia celebraret: etiam diuersis „ ceremoniis vteretur: ac propterea spatio pau „ corũ annorum, quùm non haberent inter se „ cõmerciũ, paulatim diuersi cultus obreperẽt.

CHRISTIANVS.

Duo sunt ordines rituum, qui legitimè vsur-

vsurpantur. Vnum necessitatis, alterum Ecclesiasticæ politiæ. Illud perpetuò manere debet: hoc verò pro locorum & temporum circumstantia mutatur. Nemo tamen est nostrûm, qui si fieri posset, non percuperet: vt omnes quæcunque tandem esse possunt Ecclesiæ, ijsdem ritibus & necessariis, & politiæ Ecclesiasticæ gratia institutis, vterentur. Sed quùm hoc vix possit ab omnibus impetrari, nec patiatur charitas vt in æstimandis fratrũ consiliis morosi nimium simus: modo fixa, & rata maneant illa, quæ à Deo ipso constituta sunt: ab omnibusque, qui verè habẽtur Christiani, recipiuntur: de cæteris non adeò esse debemus solliciti. Sed amabo te Ledesima, putásne si Latina missa deleretur (quemadmodum verbo Dei tandem de vestris idolomaniis, glorioßissimum agente triumphum, delenda est) nullum inter Christianos fore commercium, linguas esse abolendas, nullam denique Synodum congregandam, vt rebus vel iam collapsis, vel breui collapsuris mederetur? Annón etiam animaduertis, te solamẽ afferre, ipso, vt de re tragica tragicè loquar, luctuosius malo: nẽpè vt ritus & ceremonias conserues, fidei & cognitionis cœlestium arcanorum facere iacturam? Quæ tamẽ electio vehementer vobis probatur, qui de religione non admodùm cogitare soletis, modò sartę, tectæque superstitiones, vndè vitam otioßè traducitis, vobis maneant. Cæterùm hæc ἀποδειξις tua mirificè cum superiore cõsentit,

IESVITA.

» Iam charitatis vnionem inter fideles bo-
» na ex parte perituram, ex eo ostendi potest,
» quod sermonis, & linguæ similitudo bene-
» uolentiam conciliat, & est magnum amoris
» vinculum: vt perspicuè liquet, inter homines
» eiusdem patriæ.

CHRISTIANVS.

Agnoscimus certè maximum à Deo iustis sime irato, inflictum hominibus supplicium esse: quum apud Babel, infinita linguarum e rupit multitudo. Sed an illi tantæ incommoditati succuritis, quum Mysteria nostræ fidei peregrino idiomate decantatis. Imò potiùs illam vehementer augetis. Deinde, vt nihil pensi habes, modò illud efficias, quod tibi est propositum: minimè tecum reputas longè maiorem in cordibus fidelium accendi, tum erga Deum, tum erga proximum charitatem: ex familiari cognitione cœlestium arcanorum, quæ lingua vulgari, & vsitata comparatur: quàm ex vlla communicatione alia, quantumlibet firmo sit adstricta humanæ beneuolentiæ vinculo. Error est πρὸς τὸ ἐπόμενον: & σαθρὸν τῆς ἀγάπης θεμέλιον.

IESVITA.

» Nec vnionem tãtùm Ecclesiæ dissoluent,
» sed errorum, ac hæresεων esset magna caussa.
» Quoniam si ita fieret, vt isti religionis hostes con-

contẽdunt: in grauissimos errores facilè homines inducerẽtur, tum in vertendo, tũ post « « «

rium: versiones vulgares nullum haberent idoneum iudicem: Atqui Pontifex Romanus solus esse potest idoneus iudex rerum ad salutem pertinentium: & propter imperitiam, linguarum esse iudex non potest versionum vulgarium. Ergo versiones vulgares nullum habebunt idoneum iudicem. Quod ad primum attinet. Non efficitur si periculum est, ne incidamus in errorem Biblia conuertendo, idcircò minimè conuertenda esse. Nam vt peruagatissima fertur sententia: Non fit sine periculo facinus magnũ & memorabile. Verùm inde bene colligitur, nequaquam soluto animo ad tantum opus aggrediendum esse: sed precibus, diligentia, elucubrandis noctibus, communicatione cum piis, atquè doctis elaborandum, vt par voto respondeat vtilitas. Deinde, non venit Ledesimæ in mentem, se illo etiam argumento Latinam versionem, à bonis Patribus Tridentinis vnicè approbatam condẽnare: quæ cùm maximis erroribus pateat, tum verò etiam longè maioribus occasionem præbuit. Eodem vitio alterum laborat argumẽtum: vt enim de scriptura nihil differam, à Deo, vt se ad captum ingenij humani demitteret, admirabiliter temperata, pessimè colligitur, difficilis est, non ergo diuulganda. Quid enim? quum Deus arcana sua quibuslibet Christianis patefieri velit, tute oppones scilicet, ac de difficultate verbi diuini sophisticè disputabis? Bene verò factum, quod quum nihil

nihil tale cogitares, Pauli sententiam, vt tua ipse sophismata euerteres, protuleris. Nempè opertum esse Euangelium illis, qui pereunt: apertum illis ergo est qui seruantur: quemadmodum & ipsa differendi ratio, & Pauli contextus euidentissimè demonstrat. Vbi autem Pontificis tui, vt vos dicere soletis primatum, vt nos tyrannidem: ex sacris literis ἀναλυτικῶς constitueris, tum ego fortasse ad tertium sophisma respondebo.

IESVITA.

Experientia item constat idiotismum, « caussam extitisse multorum errorum, & hæ- « reseum: hinc enim ortæ sunt hæreses Val- « denſium, qui alio nomine pauperes de Lug- « duno vocati sunt, &c. Huius enim rei per- « spicua est ratio, quia ex vario sensu hære- « ses omnes fiũt: quùm quisque iudicat de scri- « pturæ sensu, vt sibi videtur &c. at verò vul- « gari Sermone facilè omnes etiam idiotę, sen- « sus varios inuenire possent. «

CHRISTIANVS.

Complexio Iesuitæ nostri pendet ab illo Axiomate. Illud est magis tale, propter quod aliud est tale. Cui subiungit. At versio hæreseum caussa est: magis ergò ipsa est hæretica. Primùm nobis conatur imponere Iacobus τὸ ψευδεπίγραφον Neq; enim si accidit versio-

ni sacrarũ literarũ, vt in manus profanas inei dat, ipsa profana censenda est. Deinde, Axio ma illud locum habere non solet, in caussa instrumẽtali, propterea quòd & bono instru mento malè, & contrà malo bene vti possu mus. Nam vt de versione taceam, fortasse Le desima conscriptum ab ipsis Apostolis αὐτό γραφον, accusaturus non est: quo tamen instru mento, vel maximè salutari, hæreticorum in finita multitudo fœdè perijt, ideò se Paulus odorem vitę iis, qui seruantur: & odorẽ mor tis iis, qui pereunt appellat. 2. Cor. cap. 2. ver. 15. & Christus ipse vocatur lapis offendiculi 1. Petr. cap. 2. vers. 8.

IESVITA.

» Præterea, non potest rectè vulgus intelli-
» gere, quùm sit indoctum, multi idiotæ, multi
» mali, impij, superstitionibus dediti multi &c.
» Est enim vulgus Lerna multorum capitum.
» Adhæc turba indocta tropos non assequitur,
» nec parabolas, & figuratas dictiones, à non
» figuratis distinguit &c. Item, pugnantia loca
» Scripturæ vulgus nescit cõcordare, sed essent
» illi planè erroris occasio &c. Quare quùm in
» hæc vulgus incidat, quæ putat contraria, aut
» dubitabit, aut vacillabit in fide, nesciens vtra
» pars sit vera, aut temere censebit, alteram scri
» pturæ partem reijciens: vt hæretici sępe con-
» sueuerunt &c. Præterea, multa sunt in sacris
» literis, quæ vt erroris occasionem præbere pote-

poterant, ita etiam alia, quæ prima fronte, & literali tantùm sensu simpliciter intellecta, ad carnalem sensum indoctum, & imperitum hominem prouocare possent &c. Præterea sunt aliqua facta, quæ populo rudi, & ignoranti viderentur imitanda, vt de fornicatione Thamar, &c.

CHRISTIANVS.

Hoc in loco egregiè, vestros Patres Pharisæos, imitari soletis: & magnificè de vestra singulari doctrina, & populi ruditate, atque ignorantia differere. Verumtamen, ne vobis tãtopere placeatis, probate quæso Deum, aut linguarum cognitioni, aut philosophiæ præceptis, verbi sui lectionem, addo etiam interpretationem alligasse. Nec interea quicquam illis Dei donis longè excellentissimis detractum volumus: quæ certè, absit verbo inuidia, multò à nostris hominibus, quàm à vestris, & religiosiùs & diligentius excoluntur. Sed illum Deo deferimus honorem, vt pro arbitrio, cuicunque placuerit, facem veritatis accendat. Et vt semel nodum præcidam, quem tam arctè nectere vultis, vt Gordio illi par esse possit: vulgus quod modò indoctum, modò impium nominas, ad Ecclesimáne Christianam pertineat, an extra Ecclesiam vagetur, apertè tibi definiendum est. Nam si Ecclesiæ Christianæ partem constituat, certè ad illud etiam hę promissiones di-

uinæ ſpectabunt: *Indam leges meas menti eorũ, & cordi eorum inſcribam, & ero ipſis Deus, & ipſi erunt mihi populus.* Hebr. cap. 8. verſ. 10. & Eſa. cap. 59. verſ. 21. *Hoc erit fœdus meum, cum eis, dicet Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus ab hodierno die, vſque in æternum.* Viden' quàm expreſſè Deus polliceatur electis patefactionem voluntatis ſuæ. At ſi tibi credimus, non ſatis prudẽter Deus cum omnibus arcana ſua communicat: quæ libenter veſtræ ſocietati commiſſa eſſe optares. Sin verò populus ille rudis, ad Eccleſiam non pertinet valde miror, cur ab eo percutiendo, anathemata pontificia tandiu abſtinuerint: Attamen, quocunque ſe modo apud vos res habeat, Deus non eſt προσωποληπτης ſed ſi cui deeſt ſapientia, eámque à Deo ille poſtulet impetrabit. Deus enim dat omnibus benignè, nec exprobrare ſolet. Iacob. cap. 1. verſ. 5. Præterea, ad eundem ſcopulum ſemper impingis: qui exiſtimes ignorantiam, omnium hæreſeum eſſe, nunquam ſatis laudatum à vobis Ieſuitis panaceum, quod certè medendi genus ipſo etiam morbo peius eſt. Denique, vt ſuo Marte plebs non aſſequatur eorum, quę in Scripturis legit expoſitionem: quemadmodum ſæpiſſimè vſuuenit, nónne cum ſuis Paſtoribus communicando, & conciones ſacras diligenter audiendo magis ac magis

magis in dies proficere poteſt. At ſi lectionem Scripturarum quaſi fundamẽtum euellas, vix, ac ne vix quidem, ad perexiguam arcanorum cęleſtium intelligentiam conſcendet. Ne tamen intereà contra vos omnia dicere videar, quùm de interpretanda lege diuina non admodùm cogitetis, vtpote de veſtris ſuperſtitionibus quo iure, quáque iniuria promulgandis ſolliciti, periculum eſſet fortaſſe, ne populus, de cuius ignorantia tam anxiè laboratis: quùm non haberet, qui ſe in mẽdacio luce ſublata detineret, veſtro maximo damno veritatem ſtudioſè amplecteretur. Cui tamen rei, audio veſtrum Pontificem enixè prouidere: dimiſsis quocũq; falſis Prophetis, in quibus vos Ieſuitæ primas facilè obtinetis. Hoc igitur dogma eſt ἀθεόλογον, cuius πρῶτον ψεῦδος aperiendum eſt hoc modo. Sibi olim falſò perſuadebãt Phariſæi, quibus hac in re, noſtris temporibus, Pontificij ſuccedunt, legem Dei, aut ſaltem perfectiorem & μυστικοτέραν eius interpretationem, ad ſe tãtum pertinere: à cuius ſecretis docebant populum, tanquam profanum expellendum eſſe, qui error permultis Scripturarum teſtimoniis conuincitur, quemadmodùm & ſupra demonſtrauimus, & ſuo etiam loco apertiſſimè demonſtrabimus. Ex illo fonte alterum ψεῦδος manauit. Etenim tam vehementer ſibi placent, támque adulatoriè blandiuntur, propterea quòd linguæ vnius aut alterius pertenuem habent co-

gnitionem, & putida quædam sophismata, è magistellorum commentariis depromunt: vt si quis eiusmodi nænias non degustauerit, ab illis eiiciatur, à sacrarum literarum lectione, tanquam impurus & profanus: ita vt Ecclesiam Dei, quamuis distinguant millies, sanctissimo doctissimóque scilicet magistrorum nostrorum choro, definire cogãtur.

IESVITA.

" Dices fortasse, idiotas hæresiarchas paucos numero extitisse: ac multò plures fuisse qui & ingenio, & doctrina pollerent: nec tamen doctis vnquam fuisse prohibitam lectionem sacrarum literarum, quare neque idiotis prohibendam. Respondemus, hæresiarchas paucos quidem ex idiotis extitisse, at verò qui illorũ vestigia sequerentur, quàm plurimos fuisse idiotas, tum ciues, tum agricolas, tum etiam principes, ac integras denique respublicas: qui quidem omnes vulgari versione maximè delectantur, & pertrahuntur ab ipsis hæresiarchis, &c. Vnde mos est celeberrimus, hæreticorum, & maximè nostrorum, vt ipsosmet idiotas iudices constituant sacrarum literarum, & earum sensus arbitros efficiãt, &c. Hæc ideò, vt scilicet non captiuantes intellectum in obsequium fidei, quod Paulus postulat. 2. Cor. 10. sicut ipsimet Hæresiarchæ doctiores, ita & cæteri sint proprio iudicio condemnati. Atque est vna

vna ex potissimis caussis, cur ita obstinati " posteà maneant, non solum hæresiarchæ, sed " etiam idiotæ: quia videlicet superbia proprij " iudicij eos excæcauit, & sibi nimium arro- " gantes, & cæterorum iudicij contemptores " effecit.

CHRISTIANVS.

Excutere libet, quàm bene tota hæc ratio procedat. Ac primò, quùm omnis intelligentia, & cognitio, siquidem hoc nomine censenda est à veritate simplicium terminorum, nempè subiecti, & attributi longiùs procedat, nempè ad veritatem caussarũ, atque adeò illius, quæ est summa efficiens: fieri nulla ratione potest, si primo in limine offendamus, id est si in subiecti & attributi sumptionibus decipiamur: vt posteà in caussarum inuestigatione quicquam efficiamus, quod cum rei, de qua disserimus, natura consentiat. Quæ enim caussa, eius tandem esse poterit, quod non est, vel quod non ita est? Hic error vsuenit Iesuitæ nostro, qui quùm suæ disputationi σκοπὸν σκεπτικὸν strauerit, valdè quidem est occupatus in caussis perscrutandis, nec tamẽ hilum proficit. Ratio est, quia propositionis attributum est longè falsissimum: ergò erit falsissima illa etiam caussa, quæ istiusmodi attributum cum subiecto cõciliare conabitur. Quod ita se habere, cuiuis, vt opinor, patebit, si Axioma verum Axiomati falso ἀντιφατικῶς opponamus. Contẽdit Ledesima sacras

literas populum esse celandas: quòd illi nocere soleant: Nos verò asserimus, cum populo esse communicãdas, quoniam illi prosint. Quæstio est, an sint populum celandæ. Nos negationem illis Scripturæ testimoniis efficimus, quibus apertè docemur, ad quoslibet fideles Dei verbum pertinere. *Hæc autem omnia typicè eueniebant eis, scripta verò sunt ad nostri admonitionem.* 1. Cor. cap. 10. vers. 11. *Nam quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Rom. cap. 15. vers. 4. Item, *Omne studium adhibeo, vt scribam ad vos de communi salute.* Iud. vers. 3. Item, *Eadem scribere vobis, mequidem haud piget, vobis autem tutum est.* Phil. cap. 3. vers. 1. Item, *Hasce literas scribo vobis, quibus vos commonefacio, vt memores sitis doctrinæ Propheticæ, & nostræ.* 2. Petr. cap. 3. vers. 1. Item, *Scrutamini Scripturas.* Ioan. cap. vers. 39. tem, *Abscondita Domini Dei nostri manifesta sunt nobis, & filijs nostris in sempiternum, vt faciamus vniuersa legis huius.* Deut. cap. 29. vers. 29. Præterea, non considerat Ledesima, vt paulò antè dixi, ad instrumentum de medio tollendum, minimè sufficere si demonstres, quosdam illo malè vti, quùm suapte natura sit bonum. Sin verò tale sit, vt bonis quidem sit necessarium, malis autem duntaxat perniciosum, nemo erit, opinor, tam depravato iudicio, qui ea de causa illud vel occultandum, vel perdendum existimet: alioquin & nos elementa deficiant, & ipsa rerum natura consistat necesse est. In hoc instrumentorum genere habendam esse Scripturam, vel vnus ex

posteriore Petri Epistola locus, quem impudenter nobis obijcere soletis luculentissimè demonstrat. *Domini*, ait Petrus, *patientiam salutem arbitremini, sicut & charus frater noster Paulus, pro sibi data sapientia scripsit vobis: vt qui in omnibus ferè Epistolis loquatur de istis, inter quæ sunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumque stabiles detorquent, vt & reliquas Scripturas, suo ipsorum exitio. Vos igitur dilecti, istorum præscij quùm sitis, cauete ne illorum nefariorũ errore, cum illis abducti excidatis à propria stabilitate. Sed crescite in gratia, & cognitione Dei.* Quo ex loco primum colligimus, Pauli Epistolas, quamuis si titulum spectes, peculiariter cuidam vel homini, vel Ecclesiæ scriptæ sint, tamen ad omnes fideles pertinere. Posteà, vt scripta Pauli Petrus intellectu esse difficilia testetur, atque adeò malè feriatis hominibus quamplurimis, occasionem erroris præbere: nihilominus ab eorũ lectione nos nullo modo arcet, quemadmodum vos arcere soletis: sed ad illa omnes potius reuocat, quum scripta esse omnibus demonstret, adhortetúrque, vt illorum memores crescamus in gratia & agnitione Domini. Deinde opponit ἀμόεως τὲς ἀμαθεῖς καὶ ἀστήκτους ἰδίαν σπεβλὸν ἔχουσι. Postremò, qui tam diligenter nobis cauet, ne erremus, panacei vestri non meminit, quod mirum esse non debet, quum temporibus Apostolorum in rerum natura nullũ esset. Nunc breuiter tibi ad singula respondeo. Fidē sine scientia esse non posse: At

tu,quæ tua est amentia,fidei stabilitatem atque firmitatem ignorantia constitui posse arbitraris. Nam si esset hominibus Scriptura interdicendum, quia homines occasionē errandi è Scriptura solent arripere:nec id tantùm idiotis vsuuenit, sed multò magis vt tu etiã agnoscis,huic hominũ generi,quod& ingenio,& doctrina pollet:certè omnibus scriptura esset interdicēdũ, quam & ideò frustrà Deus publicandam curasset.At tibi dolet tantam hæreticorum extare multitudinem .Tibi sanè veritatem illuxisse mundo, quã & flagitiosè insimulas hæreseos,displiceat & doleat, modò suorũ Deus misereatur,eósque tũ à vestris superstitionibus, tũ à Pontificis Romani crudelissima & animorum & corporũ laniena vindicet.Cęterùm & falsò & inuidiosè obiicis,nos idiotas constituere Scripturarum iudices.Non ita est Ledesima,non ita est:verùm & illis quos idiotas esse dicis,& reliquis omnibus,Scripturam nostri homines proponunt,minimè illam quidem tanquam normã Lesbiam, quã vestro more ad quoduis probandum scelerate contorqueant : sed tanquã voluntatem Dei,quæ sui semper similis est, quęq; à nemine pro arbitrio explanari neque possit , neque etiam debeat. Sedenim omnino infœliciter locum ex posteriore ad Corinthios , aduersum te protulisti , quem ideò repetam altiùs. *Arma militiæ nostræ*, inquit Apostolus , *non carnalia sunt , sed diuinitus valida,& ad subuersionem munitionum: Ratiocinationes*

nationes euertendo , & omnem sublimitatem, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei , & in captiuitatem redigendo omnem cognitionem ad obediendum Christo. Quæ illa est,obsecro te, sublimitas, quæ extollitur aduersus cognitionem Dei nisi vester Pontifex, vósque adeò Iesuitæ,qui orbi Christiano plusquam Cimmerias tenebras offundere conamini ? qui cognitionem tum Dei, tum cœlestium arcanorum,è mentibus hominum euellere contenditis , vt idolo vestro Mammonæ templum extruatis augustius? quid verò aliud nos vrgemus , nisi vt commentis hominum valere iussis,sola in fidelium cordibus Christi regnet obedientia? Denique,vt verbo finiam, vtrum superbia iudicij nostri cæcutiamus, an Dei gratia,& misericordia nos illuminet Scripturarum veritas : ipsæ sunt in medio Scripturæ , quarum autoritate litem semel componere,quàm contumeliis tandiu certare magis oportet.

IESVITA.

Si omnia in Ecclesia vulgari lingua celebrarentur,perirent scientiæ , & omnium disciplinarum,& bonarum artium genera:præsertim verò Theologia,& hinc fieret vt breui tẽpore magna ignorantia non solũ populus, sed etiam ipsi sacerdotes laborarent,&c. « Hinc etiam fieret , vt qui doctores linguas «

» non attigissent, ad beneficia, & præbendas,
» ad presbyteratus, ac postremò ad Episcopa-
» lis dignitatis gradum promouerentur.

CHRISTIANVS.

Iam apertè præuaricaris: quoties enim quisque vestrorum est, non dico Presbyterorum, sed etiam Episcoporum qui Latinè sciat? qui Græcè didicerit? qui Patres aut legerit vnquam, aut intellexerit? Nec tamen animus est inficiari quosdam ex vestris, sed ferè omnes monachos, vel nostris clamoribus excitatos, vel à Pontifice Romano ad propugnandam suam tyrannidem euocatos, labore diuturno, verùm mala conscientia bonas literas, & quidem, si veritatis amor, & studium affuisset, non omninò infœliciter attigisse. Quid verò te hoc adiuuat? an oblitus es, quæ fuerit ante Lutherũ, toto in orbe Christiano barbaries? aut etiam te latet Sorbonam, apud Francisçum regem Gallorum, cui hoc nomen primo est impositum, egisse, ac quidem vehementer, vt Græca, Hebræaque lingua, è Parisiensis Academiæ finibus exularent? Nos certè, vt apud Gallos decet, Gallicè concionamur: qua etiam dialecto, & preces in Ecclesia concipimus, & in administrandis Sacramentis vtimur: nihilò tamen secius cognitioni linguarum incumbimus, quam longè vtilissimam esse, non opus erat, nos vt doceres. Nec enim apud nos Dei gratia,

tia, bonæ artes, atque literæ conticescunt, in quibus excolendis, nec oleum perdimus, nec operã. Sed ad rem. Ineptus es, mi homo, qui plebis inscientia, sacerdotum scientiam tibi redimendam putes, in quo tamẽ laboras infœliciter. Nam si apud vos omnia non essent venalia: sed homines bonis moribus, doctrina sana, ad erudiendum populum accommodatos, minimè illos quidem vt sacrificarent, verùm vt Euangelium prædicarent eligeretis: denique si ad ministerium adeundum, vnatãtum vigeret integritatis, doctrinæ, pietatis cõmendatio, nequaquã esset periculum ne pastores ignorantia laborarent. Sed quoniam in excogitandis caussis, totus es occupatus, à te fortasse, nisi es omninò ingratus, gratiam reportabo, si te docuero, quæ vera secundùm Deum, & legitimam vocationem caussa sit, cur qui publicè concionantur, doctrina, & dicendi facultate præstent. Quæris quænam illa sit? Populi studium, quo tunc ardet maximè, quum rem illam, quæ coram eo explicatur, intelligit. Quamobrem, si cum prophanis sacra cõparare liceat, Cicero Atticorum eloquentiam præstitisse omnibus pronuntiat, quòd ad populi aures teretes, atq; religiosas se accommodare cogebatur qui cõcionẽ erat habiturus: Ita si populus Christianus, intelligentia præditus esset arcanorum cœlestium, bonos Pastores facilè nancisceretur, quum imperitos & sacrarum literarũ rudes pati non posset. Quæ res tum in nostris

cœtibus quotidiè cõprobatur, tùm aliquatenus in vestra etiam Synagoga locum inuenit. Nam quùm antè fœlicem Lutheri memoriam, in vestris templis crassissimæ tantùm fabulæ personarẽt, oborta paulatim veritate, atque auribus hominum arrectis, vbique ferè illa comœdiarum argumenta, in desuetudinem abierunt: vósque à theathralibus illis narrationibus, ad sophismata comminiscenda, & colorem inducendum falsitati, maximo verborum apparatu transiuistis. Errat igitur argumentatio ἀφ' ἁπλῆ τὸ μὴ ἄπον, ὡς ἄπον.

IESVITA.

» Rursus si sacrificium Missę, & diuina offi-
» cia fierent vulgari sermone, omnes libros,
» præsertim sacræ Theologiæ, sacrosque Ca-
» nones, & instructiones Sacerdotum, cũ aliis
» Ecclesiasticis libris secum traherent quoque
» ad vulgarem sermonem &c. Præterea con-
» cionatores loca Epistolarum, & Euangelio-
» rum citare cogerentur, vt in vulgari sermone
» haberentur, & vt quotidiè canerentur in sa-
» cro &c. Vndè pari ratione, omnia commen-
» taria, sacrarum literarum scribenda quoque
» essent in eam versionem vulgarem, vt illis
» commodè vti possent, ad illius textus intel-
» ligentiam: atque ita tandem omnia Theolo-
» gica, vulgari lingua conscribi necesse esset,
» &c. Hinc etiam existeret, vt vulgaris linguæ
» Doctores frequentiùs euoluerent vt (proh
» dolor) multis in locis Germaniæ, Galliæ, ac
Angliæ

Angliæ iam nunc fieri conspicimus &c. Præ- «
tereà quæuis prouincia sibi nõ posset esse sa- «
tis, nec tam diues est doctis hominibus, vt «
edat, vertat, scribat, componat, excudat tot li- «
bros, quot religio vtitur Christiana, &c. «
Quamobrem minueretur manifestè cuncto- «
rum doctrina, & pietas, & scientiarũ, & fidei, «
ac religionis cognitio: & contrà inducerentur tenebræ, & ignorantia, ac rusticitas, & in- «
gens tandem idiotismus. «

CHRISTIANVS.

Missa tua, quemadmodum suprà exposuimus, est ἀθεόλογος & ἑτερόδοξος, ita vt nulla ritè lingua possit vnquam celebrari. Nec miror tantoperè vos laborare, vt celetur, est enim valdè turpis, addo etiam execranda. Quamobrem, non immeritò quidam è monachorum grege, quùm frequentem Diuione concionem haberet, dixisse dicitur: si Gallicè Missa caneretur, eam fore marcidis caulibus viliorem. Cui certè, quamuis monacho, hac in re libenter assentior. Tibi autem vehementer displicet aurea mediocritas, vt qui ab vno extremo ad alterum, tanta celeritate præteruoles, vt omninò medij oblitus esse videaris. Quid enim? an tibi sacra populari dialecto celebrari non posse videntur, quin cæteræ omnes linguæ intercidant? an populus ad sacram Scripturam nequit aspirare, nisi omniũ Doctorum scripta, quot sunt, quot fuerunt, & quotquot aliis erũt in annis nocturna ver-

set manu versétque diurna? vt cui modò per te omnia penè ignorare licebat, nunc ille omnia scire cogatur. Argumentum igitur fallit, ἀπὸ τὸ ἐπόμενον. Sic autem totã explicamus controuersiam. Nemo inficiari potest, quin luculentum discrimen inter Pastorem, & populum intercedat. Etenim quum Pastoris munus sit docere populum: populi autem audire Pastorem: meritò Pastor debet contendere, vt vera doctrina, quæ omnis sacrarum literarum intelligentia, continetur, populo antecellat. Nec illi vnquam deerunt adminicula, si muneri suo diligenter incumbat. Nã quum addictus esse, tum pascendo gregi, tum sacra volumina perlegẽdo debeat: certè meditatione, precibus, lectione, communicatione denique cum fratribus, faciliorem & vberiorem diuinorum arcanorum intelligentiam consequetur. Nec interea populus spirituali cibo destituendus erit. Nam & Patribus cum Scriptura conferẽdis proficere possunt illi, quibus hoc Deus est largitus: & ad Scripturæ cognitionem breuiores illi commentarios adiungere, quibus per otium, aut per tarditatem ingenij nõ licet vlteriùs progredi. Adhæc, si quid oboritur difficultatis, vel sacræ cõciones, vel familiaris cum Pastore dissoluit communicatio. Tu verò pessimè sentis de Christianorum, si rectè instituãtur, diligentia & studio. Legimus Romanos quũ honoribus, & dignitate florerẽt: in Græciam nauigare solitos esse: vt philosophiæ atque eloquentiæ præcepta puris è fontibus hauirent: & Christiani Doctores, quibus Ecclesię committendæ sunt, tam obtuso, atque hebeti erunt ingenio: vt Græcam, Hebræamque linguam addiscere non possint: quò arcana cœlestia, cœlestibus expressa verbis audiant?

IESVITA.

Præberetur occasio vt fierent plurimæ, & adulterinæ versiones, & variæ, & incertæ, & à diuersis piis & impiis, doctis pariter & indoctis, non solùm in vna, sed in singulis & diuersis prouinciis, vt nunc in Germania videmus: quæ pessimis & corruptissimis scatet versionibus &c. Iam diuersa regna, non solùm idiomate non conueniunt, vt Gallia, Italia, Germania cum cæteris: sed etiam eiusdemmet regni singulæ ferè prouinciæ, aliquando sic differunt, vt vel parùm, vel ne verbum quidem intelligant aliarum. Imò verò eiusdem prouinciæ ciuitates, ac verò etiam pagi, dialectis, ità inter se differunt quandoque, vt ciues difficilè rusticos intelligere valeant, nec rustici ipsos ciues. Quare si sacrum & diuina officia vulgari essent sermone celebranda, vertantur oportet non tantùm in linguis diuersorum regnorum, sed diuersarũ prouinciarum, sed ciuitatum quæ idiomate differunt, sed & pagorum, & rusticorum lingua, quod quidem esset plusquã Babylonica cõfusio, &c. Lingua prętereà solet mutari nõ parùm singulis trecẽtis annis, vt in Hispania

« hodie apparet, & plerisque aliis regionibus « &c. Vnde oporteret tunc aliter vertere, & « mutare, quum lingua corrumpitur, & muta- « tur: & ità frequenter inuerti & permisceri o- « mnia. Imò solent linguæ singulis 20. annis, « aliqua ex parte immutari, vt quinque, sex, vel « octo vocabula, aut phrases, in quauis lingua « innouentur, quod quidem experientia osten- « dit. Quare fieret vt iterum atque iterum, hæc « essent pro obsoletis vocabulis substituen- « da &c.

CHRISTIANVS.

Quemadmodum malè non est agendum vt bona eueniant, ita etiam à bonis atque necessariis operibus non est abstinendum ne mala eueniãt, qui vult perire, pereat: qui ignorare, ignoret: qui sordescere, sordescat: nos interea & saluti nostræ, atque eruditioni, & sanctitati operam dabimus. Error est, τὸ μὴ ἄκαιρον, ὡς καιρόν. Etenim non prębetur occasio, sed arripitur. Dolemus certè, cum piis omnibus, tantam in profanis quibusdam esse audaciã, vt Dei verbum habeant ludibrio: & scelerate potiùs peruertant, quàm ad ædificationem conuertant. Sed ideone à tam sancto, tam vtili, támque necessario abstinendum opere fuit, ne hypocritæ quales sunt haberentur? *Quisquis est ex veritate, audit vocem meam*, vt ait Christus apud Iohan. cap. 18. vers. 37. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum. Scriptum est in Prophetis, erunt omnes*

mnes docti à Deo, quisquis ergo audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Ibid. 6. cap. v. 44. Item. *Si quis voluerit Dei voluntatem exequi, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar.* ib. cap. 7. vers. 17. Ex quibus liquet, falsis interpretationibus illis, minimè decipi eos, qui verè Deum timent. Sed vt rectè prędixit Paulus 1. Cor. cap. 11. vers. 19. *Oportet hæreses inter nos existere, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* At inquies, illorum etiam quos approbatis, versiones inter se, in omnibus minimè conueniunt. Vide quàm apertè & candidè respondeam. Dum in mundo versabimur, semper aliquid nos fugiet, nec per Dei gratiam adeò sumus arrogantes, vt quæ à nostris hominibus conuersa sunt, eo haberi loco velimus, quo ipsum ἀυτόγραφον, à Deo per Prophetas, & Apostolos, ad Ecclesiæ perpetuam ædificationem conscriptum, & publicatum. Nihilominus nobis assequutos videmur, hactenus probari debere nostram in opere tam pio, tamque vt dixi necessario industriam: vt nemo sit, qui verè nobis obijcere possit, vllius nos erroris fundamenta in conuertendo iecisse: aut à fidei capitibus vel tantillũ aberrasse: nec recusamus si quid offensum titubatúmue sit, in melius mutare. Cæterùm inuidiosè de infinitis idiomatũ generibus differis, vt si tibi credamus, vna eadémq; in regione, sexcentæ Bibliorũ versiones instituendæ sint. Iámne oblitus es, quæ de diffusione linguarum paulò antè disputasti, quas

nunc pro arbitrio, in angustum ita contrahis, vt ferè nusquam appareant. Sed quemadmodum tuam illam diffusionem, tam longè latéque patentem, non probabam: propterea quòd & falsa esset, & ad rem non faceret: ità etiam nequeo non repudiare, linguæ vnius, præsertim, vt hoc verbo vtar, Metropolitanæ cognitionem tam arctis, támque angustis finibus comprehensam. Verumenimuerò, vt rebus experientia comprobatis agamus: dic quæso Ledesima, quàm latè patere tibi videtur Galliarum regnum, longè florentissimũ? Hoc tamen in tanto regno, vna versione Bibliorum vtimur, quam omnes intelligũt. Sed & finitimi nostri Allobroges, & qui Septentrionem versus habitant Neruij, ne singulis gentibus recensendis diutiùs immorer, nostra versione facilè vti possunt. Nam vt idiomata inter se diuersa sint, vtque aliquando nulla, aut perquàm tenui coniungantur affinitate: nihilominùs accidere videmus, quamuis vna regio dialecton alterius non intelligat, vt tamen omnes, nisi longo terrarum interuallo separentur, linguam vt ita dicã principem intelligere possint. Quod certè magis obtineret, si sacrarum literarum vinculo adstringeretur fortiùs. Quid verò attinet de linguarum mutatione, pluribus disserere? Quasi aut si frequenter populus sacra volumina in manibus haberet parua linguæ mutatione tardari posset: aut si magna incidisset mutatio, nefas esset, adhibita virorum pietate, & doctri-

doctrina præstantium industria, versionem antiquam ad vsum populi reuocare. Error est, falsa ἀπαγωγὴ εἰς ἀδύνατον.

IESVITA.

Tandem, si sic mutarentur, vnà cum linguæ mutatione, indè sequeretur vt obrepe- « ret obliuio fidei antiquę, ac eius memoria pe- « nitus deleretur: quùm semper innouatã no- « uis verbis illam retinerent, & nescirent qua- « lis fides antiquitùs fuerit. Vndè hinc quo- « que contingeret, vt omnes traditiones Apo- « stolicæ perirent, nec probari certo vllo mo- « do possent. &c. Postremò melior est, & præ- « ferenda vnitas. Sed quorum lingua confusa « est tot eorum sectis, desiderant vt omnium « linguæ in cultu diuino introducantur: vt ex- « primant ad viuum confusionem illam linguarum Babylonicam, qua ipsorum mens interius laborat.

CHRISTIANVS.

Idem error qui suprà, nempè falsa ἀπαγωγὴ εἰς ἀδύνατον. Nam certè, vt centies, millies sacra Biblia conuertantur, manebit tamen incorruptum ἀνεπίγραφον quod semper testimonium exceptione omni maius redditurum est veritati. Deinde sophisticam esse consequentiam illam probauimus: Si versiones in vulgares linguas fierent, Hebræam, Græcam, Latinam denique linguam esse perituram. Nec traditiones moramur, & supposititios Canones, quibus vos etiam ipsi autoritatem abrogatis. Cæterùm vnitatem fidei, atque in-

telligentiæ præferimus linguæ vnitatí: quæ optanda quidem esset, nisi ex eorum esset numero, quæ fieri nõ possunt. Sed quid tibi venit in mentem, mi homo, qui tam admirabilem, támque votis omnibus expetẽdam harmoniã, quę proculdubiò efficeretur, si omnes linguæ, atque populi Deum colerẽt, cum Babylonica confusione conferre audeas? Longè verò aliter Scriptura loquitur. *Viuo ego dicit Dominus: quod mihi flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur mihi.* Rom. cap. 14. v. 11. Item, *Omnisque lingua confiteatur Dominum esse Iesum Christum ad gloriam Patris.* Phil. cap. 2. vers. 11. Maior certè inter vos est confusio, nimirum quorum sępe lingua loquitur, mens autem non intelligit: vt vos meritò cũ phreneticis & somniantibus comparare possemus, aut si comparatio ista displicet cum arreptitiis & Sybillis. Tu autem admodùm festiuus es, qui fidem antiquam simul & deleri posse putas, & innouatam retineri, vt obiter te de tuis aut Rhetoricis, aut si magis arridet Philosophicis floſculis admoneam.

IESVITA.

» Primo parua, vel nulla vtilitas proueniret
» populo, non enim intelligeret ea, etiã si vulgari sermone sint conscripta &c. Prætereà
» experimento comperimus, ab iis ferè ciuibus
» legi tantùm sacras literas, vulgari sermone
» versas, qui aliquo errore deprauati sunt, &c.
» Hanc nimiam intelligendi, & plusquã oportet

tet sciendi, populi auidam curiositatem, eundem propè nostra ætate fructum attulisse videmus: quem attulit primis nostris parentibus, ille ligni scientiæ boni & mali infœlix esus &c. Iam fac vt & legant, & intelligãt, profectò facilè vellent videri ipsis Sacerdotibus doctiores: imò illos planè contemnerent, vt apud hæreticos videmus, &c. Hæc Scripturarum profanatio veriùs quàm translatio, nobis si Deo placet, effecit sutores, sartores &c. subita metamorphosi Apostolos, Doctores, Prophetas &c. Ex his paucos videmus legere ad deuotionem, vel ad morum correctionem, vel ad fidei Catholicæ cognitionẽ: sed ad contentionem, ad inanem iactãtiam, ad sacerdotum contemptum &c.

CHRISTIANVS.

Dicis tu quidem multa, sed nemo tibi credit. Populus, inquis, non intelligeret ea etiam si vulgariter essent conscripta. Error est. Τὰ θεῖα πάντως λεγόμενον. Nam vt populus perfectè non intelligeret, tamen ad ædificationem & salutem quæ in sacris voluminibus legeret, intelligere posset. Quamobrem & ipsæ literæ diuinæ, non vt vos asseritis, extrema ignorantia difficultatem articulorũ fidei nostræ à populo repellunt & amoliuntur: sed ad Sacrosanctũm Dei verbum audiendum homines diligenter excitant, vt apud Hebræos cap. 5. vers. 11. & 12. *De quo nobis multa sunt dicenda, eáque difficilia explicatu: quando-*

quidem segnes facti estis auribus. Vos enim quos oportuit pro temporis ratione doctores esse, rursum opus est doceri quæ sint elementa initij eloquiorum Dei: factique estis ij, quibus lacte sit opus, & non solido cibo. Sed tuus est mos, cui medium displicet, extrema consectari. At soli errore deprauati versionem Scripturæ in manibus habent, qua ne tãtillum quidem Catholici proficiunt, hæretici verò in erroribus confirmãtur. Vos certè in caussa estis cur vestri Catholici Romani, hoc est vniuersales particulares, Scripturas non legant: quibus euoluendis nõ est mirum si veri Christiani, quos flagitiosè pro hæreticis traducis, in certa & solida fide fundentur, & adolescant. Prouidè autem tuis Sacerdotibus caues, nimis tamen serò. Iam enim crassa illorum ignorantia, & impietas vulgò ita innotuit: vt eam occulere omnium Sophismatum quotquot vnquã extitere vmbraculis nequeas. Quæ verò tua est impudentia, qui blasphemam comparationem inter Sacrarum literarum intelligentiam, & prohibitam ab ipso Deo arboris scientiæ boni & mali comestionem, instituere non verearis? An Scriptura Deus hominibus interdixit? Minimè inquies, at Scriptura homines abutuntur. Malè igitur rem comparas, cuius esse potest vsus legitimus: addo etiam cuius tam est fruitio necessaria, vt si Christiani esse volum⁹, ea nobis carere sit nefas: cũ ea quę & semper, & omnibus noxia est. Si tamen bella ista comparatio tibi adeò placet, vt ea carere non

non possis, concedam vt valeat, sed cõtrario sensu. Quemadmodum enim scientia, quam Deus vetuit, Satan verò in mundum introduxit: veræ scientiæ, atque cognitioni tenebras offudit longè crassissimas, vndè maxima rerum omnium sequuta est confusio: ità etiã posteaquàm singulari Dei misericordia, pura diuinæ voluntatis cognitio, atque intelligẽtia mundo reddita est: scientiæ Satanicæ, atque adeò Synagogæ Romanæ vulnus longè grauissimum infligitur, qua paulatim debellata, pristinus Ecclesiæ splendor, clarè micãtibus radiis mentes hominum collustrabit. Forsitan expectas, vt de sutoribus, & cæteris huiusmodi hominibus tibi respõdeam: quos εἰρωνεύων subita metamorphosi Apostolos esse factos prædicas. Quod sanè nobis parum prudenter obijcis. Nec enim hodie vel Apostolos in Ecclesia, vel Apostolorum successores agnoscimus, quid ita? quia munus Apostolicum extra ordinem fuit à Deo excitatum ad fundandam Ecclesiam, quo perfecto labore, Pastoribus ordinariis Deus Ecclesiam gubernandam, & docendam attribuit. At tibi non placent opifices. Et si meritò, vt prouocatus, sacerdotes tuos ἀναλφαβήτους vexarem: tamen illos tibi vel monendos, vel obiurgandos relinquam & ad rem breuiter respõdebo. Nos in Pastoribus eligendis, & necessitati Ecclesiarum, & puritati doctrinæ seriò cõfidimus. Si qui sunt inuenti (quod primis temporibus renascentis, in orbe Christiano Euangelij

vsuenit) qui tùm linguarum, tum philosophiæ rudes, publicando Euangelio dederunt operam: comprobauit experientia verè illos à Deo esse missos, vt in confundenda mundi sapientia, rebus infimis, atque vilibus sapientissimè vteretur. Certè studia bonarum literarum minimè contemnimus, absit tamen vt de illis tàm elatè, tamque magnificè sentiamus, neminem vt ad pascēdum gregem Domini legitimè vocandum arbitremur, qui earum sit imperitus. Quę si lex obtineret, nę infinitæ apud vos Synagogæ Sacerdotibus carerent. Ad extremum fateor, multò plures de contentionibus esse solicitos, quàm de fide, charitate, pietate, bonis moribus: sed num illud vitio Scripturarum accidit? Nequaquam profectò. Nam vt illi, quibus oculos Deus non dedit, sacra lectione offenduntur: ita illi quibus dedit ædificantur. Veritas autem pati non potest, vt si luce mali abutantur, boni versentur in tenebris.

IESVITA.

„ Neque verò expedit passim, sine licentia,
„ sinéque personarum delectu, & discrimine:
„ aut habere, aut legere Scripturam ob dictas
„ causſas &c. possunt sacra Biblia cum ordina-
„ rij licentia legere, vt non sit amplius quid
„ petant.

CHRISTIANVS.

Dogma ἐπιρρηγὲς atque ἀδιάλογον, & vehementer

menter cum Pharisæorum traditione, cuius meminit Lucas cap. II. vers. 52. consentiens. An si nolit ordinarius ille, populo erit nefas mysteria salutis propiùs & veriùs cognoscere? quò res tandem redijt. Sed non est quod miremur, vos Pontificis vestri execrandam tyrannidem, adeò validè munire velle, vt nulla ex parte labefactari possit. Solæ vobis Scripturæ videntur esse metuendæ: quarum, quæ sit autoritas vestro magno malo sæpè estis experti. Sed vos contrà illis compedes comparastis, tam affabrè factas, vt nihil suprà. Paucis antè annis maxima erat hæresis de versione cogitare. At nostris clamoribus, & populi desiderio coacti, sententiam aliquantulum inflexistis: ne nimium crassa eluceret, in communicandis cælestibus arcanis πεγσωπολημία: quæ tamen æquabilitas, ne vobis nocere posset, vestrum iudicium esse interponēdum statuistis, vt illis tantùm sacrarum literarum lectionem cōcedatis, qui tam bene didicerunt εἰδωλομανεῖν, vt periculum esse nō possit, ne ad veritatem accedant. Sed ne pluribus agam, testimonium eius rei, ex verbo Dei petitum à te expecto, vt qui γένος ὑποκείμενον, in omnibus apodicticis tractationibus, & maximè in Theologicis expendere soleam.

IESVITA.

Si non sit in Ecclesia cōmunis aliqua lingua, sed vulgaribus tantùm propriis singulæ vtantur prouinciæ, sequeretur id, quod summum in Ecclesia malorum caput esset, vt ge-

neralia concilia nunquam in Ecclesia sperari possent, nunquam celebrari.

CHRISTIANVS.

Qui adducũt ad incommodum eius, quod fieri non potest, si modò ratione, & via disputant, in primis animaduertere solẽt, ne falsum afferre videãtur incommodũ, id est, quod ex illius oratione cum quo disserunt, necessariò non sequatur. At tu videlicet de hac re nõ cogitas. Quid enim? an si sacra Gallicè fierẽt, apud Gallos lingua Latina interiret? quonã medio extrema illa duo tam diuersæ naturæ inter se connectis? Florerẽt certè bonę artes, atque literæ, si pietatem ac religionem sibi comitem adiungerent, & tunc si vnquã aliâs, hominum maxima commendatione celebrarentur. Neque Christianis vnquam deesset vinculum, quo inter se de rebus ad salutem æternam spectantibus, conuenirent quod ne profanis quidem defuit, quùm inter se agere vellent de conseruandis legibus & imperiis, quæ ad temporalem in terris commorationem pertinent.

IESVITA.

„ Prętereà est quædam antiquitatis grauitas,
„ & reuerentia: quùm ita sacra conseruantur, &
„ recitãtur, sicut tradita sunt à Deo, & à primis
„ scripta sacris scriptoribus, Prophetis, & Apostolis, &c.

CHRISTIANVS.

Hæc meritò dicuntur de ἀυτοχάφῳ, sed ad Latinam versionem referri nõ possunt. Quis enim

enim Apostolus, quis Propheta illã, aut scripsit, aut scribendam curauit, cuius tot ferè exemplaria extare, quot editiones, quis tandem inficiari audeat? Sed vt ἀυτοχάφῳ sua conseruetur autoritas, non est tamẽ necesse, vt corã populo, qui Hebraicè, & Græcè non didicit, legatur. Deindè vt verbo absoluã, tu caussam quæris eius rei, quæ non est. Nam si quid efficere cogitas, prius ex regula καθόλυ Subiectum exæqua cum Attributo, & illa demum ratione, in caussis eruendis, non adeò facilè à veritatis limine aberrabis.

IESVITA.

Primùm non decet, vt diuina, & Sacrosancta fidei mysteria in ore omnium hominum promiscuè versentur: quibusdam etiam verborum inuolucris pleraque sunt obtegenda, ne ab imperitissimo quoque passim intellecta, facile quoque contemnantur, &c. „ „ „

CHRISTIANVS.

Vide quàm benè tibi constes: paulò antè asserebas, si vulgari lingua proponerentur arcana cœlestia, plebem illa intellecturam non esse: nunc verò demonstrare conaris, ea verborum inuolucris esse obtegenda, ne ab imperitissimo quoque intellecta despiciantur. Axiomati falso verũ Axioma sic opponimus: Sacra q̃ fieri potest simplicissimè atq; apertissimè tradẽda sunt, vt à fidelib⁹ percepta, & cognita vehemẽtiorẽ in cordibus eorũ accẽdãt, tùm erga Deũ, tũ erga proximũ charitatẽ, pręfracti autẽ & cõtumaces, Dei atque Ecclesiæ

iudicio condemnati, è medio Sanctorum faceſcant, ne illos ſuis maculis contaminent. Quæ omnia teſtimoniis ſuprà collectis euidentiſſimè probãtur: ideóque pars altera cõtradictionis falſa eſt, ἀθεόλογος, ἑτερογενὴς, ἀπαίδευτος.

IESVITA.

„ Ob id aſſerunt Moyſem non eſſe paſſum, „ vt omnia quæ erant in tẽplo, omnibus eſſent „ peruia: quod ſciret res vſu tritas, expoſitas el„ ſe contemptui: quod verò ſepoſitum eſt, & „ rarum, huic coniunctam eſſe ſummam admi„ rationem & reuerentiam.

CHRISTIANVS.

Non valere Conſequens, à ceremoniis ad legem Dei, vel ſola Moſis ordinatio demonſtrat. Nec. n. quicquã eorum, quæ Deus præceperat, populũ celauit: quinetiam ipſe Deus imperauit, vt mandata ſua populus, ædiũ poſtibus, & veſtimentorum fimbriis affigeret. An vt eſſent cõtemptui, quemadmodum illa eſſe ſolent, quæ in oculis omnium verſantur? Minimè profectò. Sed argumentum retorqueamus, antequam vlterius progrediamur.

Si Moſes, qui quædam, vt aſſerit Ledeſima, populum celauit, legem Dei, & eorum etiam quæ celabat rationem, populo explicauit: atque in poſterum ea vt explicarentur præcepit: certè multò magis Apoſtoli, quos quicquam celaſſe nõ legimus, de publicando quibuſuis Euãgelio præceptum reliquerunt.

Præterea, veram cauſſam non affers, cur ab oculis populi Moſes quædã ſacrificia remouit, & in Sanctis Sanctorũ ex Dei mandato fieri voluit. An vt laterent? quînam iſtud latere poteſt, cuius omnis ratio, & quidẽ ſigillatim deſcripta, in populi manibus quotidiè verſatur. Nec enim te, vt opinor, prẽterit Leuit. cap. 16. extare quidquid Pontifex intra velum agebat. Quamobrem ſi Moſis exemplo veſtra myſteria celare populũ vultis: primùm veſter ille Canon publicandus eſt: deinde veſtræ Miſſæ, quas τελετῶν τελετὰς vocare ſoletis, arcano in loco celebrandæ. At contrà omninò facitis. Nam verbũ Dei, quod Moſes promulgauit occultatis: & ſacrorum ritus arcanos, quos populũ ille celauit, vt vos quidem aſſeritis, in oculis omnium, ſine vlla exceptione conſtituitis, vt Moſis exemplum ne tãtillum quidem vobis prodeſſe poſſit. Sed ad cauſſam veniendum eſt: quam ſi vos cũ Moſe communem habetis, exemplum tãti Prophetæ, iure optimo ſequamini. At ſi peculiaris quędam conſideratio, ſub veteri Fœdere, occultandi illius ſacrificij non obſcura fuit, quæ ad tempora publicati Euangelij pertinere non poteſt: peruagatiſſima certè hoc in loco vigebit regula, quæ nos docet, ſublata cauſſa tolli etiam effectum. Vide autem quomodo illam cauſſam explicet Apoſtolus ad Hęb. c. 9. v. 7. & 8. &c. *In ſecundum verò Tabernaculum ingreditur ſemel quotannis ſolus Pontifex: non ſine ſanguine, quem offert pro ſe ipſo, & pro populi erratis: Hoc declarãte Spiritu Sancto, non-*

dum patefactam fuisse viam ad sacrarium, priore Tabernaculo adhuc consistente: Quod erat exemplar pro tempore illo præsenti, quo dona Sacrificiáque offeruntur &c. Adueniens autem Christus, Pontifex futurorum bonorum, &c. ingressus est semel in Sacrarium æternam redemptionem nactus &c. Non enim in manu factum Sacrarium ingressus est Christus, quod sit exemplar vero Sacrario respondens, sed in ipsum cœlum, vt appareat nunc in conspectu pro nobis. At iam quùm expressam figuram atque formam habeamus, nempè Christum, illa omnis ἐχνογραφία, quæ sub veteri fœdere in vsu erat, secedat necesse est. Denique mãdato Dei Moses arcana illa constituit, quo vestra quùm careant, legitima esse non possunt.

IESVITA.

» Et meritò in silentio consecratio trãsigitur, & bona Canonis pars: quia silentium hoc
» indicat, quùm Christus, vt refertur à D. Matt.
» 26. in horto, à discipulis auulsus, secretò ora-
» uit, noctúque captus est, & solus relictus.
»

CHRISTIANVS.

Nescis, profectò nescis, Ledesima, quàm difficile sit τὸ ἀπερίφραστον, τοῦτο ἀπὸ τῆς συμβεβηκότος, οἰκείαν ὀνομασίαν: ideóque pessimè colligis, orauit Christus secretò: ergò Canonis bona pars secretò dicenda est. Primùm, quid est Missæ cum oratione Christi commune: nimirum execrãdæ blasphemiæ cum sanctissimis precibus? Deindè, non omnia quæ Christus fecit necessariò vel simpliciter imitari, vel in perpetuum exemplum trahere debemus. Postremò ipse Christus, quomodo Cœnæ mysterium, in Ecclesia celebrandum esset, ordinauit.

IESVITA.

Nam & mysteria ideò clausis ianuis cele- "
bramus, & eos qui nõdum initiati sunt, adesse "
prohibemus: non quia infirmitatem myste- "
riorum aliquam deprehendimus, sed quia ad "
participationem eorum, illi adhuc, quos ar- "
cemus, infirmi sunt. "

CHRISTIANVS.

Error est: πρὸς τὸ ἐπόμενον. quia non sequitur, si ad participandam Domini Cœnam, Cathecumeni, atque infideles non admittuntur, occultanda esse fidelibus sacra mysteria, & præcipuè interdicendam Bibliorum lectionem, quæ ne ipsis quidem Cathecumenis, dũ Ecclesia floruit, denegabatur. Imò secũ pugnat Ledesima: Nam si Cathecumenos, & infideles, quùm Cœna Domini celebraretur, excludere mos erat: & qui Sacramenti erant participes non excludebantur: certè si quoniam illi secedebant, efficitur eis communicanda non esse mysteria: similiter quoniam reliqui non secedebant, efficietur eis esse communicanda, & idcircò ratio Iesuitæ procedere nõ poterit.

IESVITA.

» Iudęi Cãtica Cãticorũ,& prima capita Ge-
» neſeos,& principium,& finẽ Ezechielis tanti
» faciebant, vt ea legenda nulli concederent fa
» cultatem,niſi trigeſimum priùs expleſſet an-
» num,quòd in illis quædam difficilia contine
» rentur,&c.

CHRISTIANVS.

Ergo tibi placet Iudaiſmus. Non quęrimus Ledeſima quid Iudæi fecerint,qui ſæpe idololatræ,ferè ſemper obruti ſuperſtitionibus,& quidem longè maximis extitere. Tamen à te petere libet:Si probanda eſt illa cõſuetudo,cur à vobis non retinetur? Sin verò improbanda eſt,cur illam nobis obiicis? At hic eſt fortaſſe Andabatiſmus Papiſticus.

IESVITA.

» Sed etiam in præcipuis quibuſdã myſte-
» riis,ac ſacrificiis veteris Legis, Deus aliquid
» ſecreti eſſe voluit.Agnus intra ipſas domos,
» & in noctis ſilentio manducabatur.Exod.12.
» Itẽ,Moſes ſolus aſcendit in montẽSinai,cùm
» legẽ Dei daturus eſſet,& populus prohibere-
» tur accedere Exo.20.Ac poſteà Exo. 24. cum
» Aaron tantũ,Nadab,& ſeptuaginta tantũ ſe-
» nioribus aſcẽdit ad Deum:quũ populo id ſe-
» riò eſſet interdictũ.Imò& ſolus deindeMoy-
» ſes ad verticẽ montis caliginẽ ingreſſus aſcen
» dit,vbi etiam ſolus inſtruitur de Tabernacu-
» li,& Arcæ Foederis conſtructione. Exod.25.
& ſequentibus.Tabulas ibidẽ lapideas,præterea legis,ſolus bis accepit Exod.31.&34.& Manna, & virga Aaron, & Tabulæ Teſtamenti,in Arca Fœderis concluſa aſſeruabantur,&c. Panes Propoſitionis ſoli ſacerdotes comedebant,&c.

CHRISTIANVS.

Si Media Inductionis omnia cõcederem, nihilominus valdè infirma eſſet complexio. Nam qui vel primoribus labris Theologiam attigere, cognitum habent & perſpectum, quanta lux Euangelij eſſe debeat:cùm ſuapte natura,tum multò magis cùm Legis Moſaicæ vmbris comparati. Etenim quàm imbecillum eſt argumentum iſtiuſmodi, Deus ſub veteri Teſtamento quædam occuluit: ergo etiam ſub nouo quædã populum celat,Deinde,Media nequaquam ſunt ἀμοιρεῖ. Nam tum ad ceremonias pertinẽt, tum ad Prophetiam ἀμέσως ab ipſo Deo manantem. Nos autem de lectione ordinaria verbi Dei, & communicatione cæleſtis doctrinæ, quæ in Eccleſia proponitur differimus. Denique,ad efficiendam complexionem, qua tibi opus eſt, non ſunt accommodata. Ratio eſt, quia demonſtrare conaris,verbum Dei occultandum eſſe,adhibitis mediis,quæ omni populo Iſraelitico erãt longè notiſsima. Sed enim agnus manducabatur noctu.Quid tum? an propterea in tenebris eo veſcebantur Iſraelitæ? anres quæ manditur ab hominibus, arcana eorum qui manducant reſpectu,verè vnquã dici poteſt?Nec te pudet, quũ nocturnæ illius

comestionis causſa tam grauis,támque luculenta, in ſacris literis ab ipſo Deo tractatur, aliam futilem,vanam, ineptam comminiſci? Ad Moſem verò quod attinet,non ea de cauſſa ſolus ad Deum aſcendit, quam tu parum appositè commemoras:nempè, vt magis arcana cæleſtia laterent:ſed vt internuntius eſſet inter Deum, & homines, quemadmodũ exponit Apoſtolus Gal.cap.3.v.19.Sed obruamus Sophiſtam ἀδυνάτοις.

Si ſolius Moſis ad Deum aſcendentis narratio, ad lectionem Scripturarum, & myſteriorum fidei noſtræ intelligentiam referenda eſt: Ergò vnus tantùm Scripturam legere, atque intelligere debet. ἀδύνατον, vel ipſis aſſentientibus Pontificiis.Item.

Si Aaron, Nadab, & Abiud, & ſeptuaginta ſeniorum ad Deum aſcenſus, eos denotat, qui ſacra Biblia legere, atque intelligere poſſunt: Ergò tres tantum Eccleſiæ Paſtores, & ſeptuaginta Senatores, legendi, atque intelligendi verbi diuini ius habebunt: abſurdum vel ipſis aſſentientibus Papiſtis.Retorqueamus argumentum.

Si agnus Paſcalis, ad lectionem Scripturarum denotandam, & cæleſtium arcanorum cognitionem, accommodari poteſt: certè quemadmodum ſine vlla exceptione omnes Iſraelitæ agno veſcebantur non in templo,ſed domi: Ita omnes Chriſtiani non in templo,ſed domi, verbum Dei legere, atque intelligere debent. Item.

Si ceremoniarum quæ occulebantur, ratio erat toti populo perſpecta: Ergò nihil occuli cæleſtium myſteriorum debet inter Chriſtianos, cuius rationem ignorent.

IESVITA.

Ad Gentium ſcripta trãſeamus, quæ etiam docent, natura duce & magiſtra hoc omnes populos & nationes obſeruaſſe, vt diuina arcana occultarent.Romani Sybillarum carmina magna religione colebant:vt duobus magiſtratibus ea legendi poteſtas daretur &c. Clemens Alexandrinus refert Aegyptios,nõ quibuſlibet myſteria commiſiſſe,&c. Refert etiam Pythagoram,Platonem, Ariſtotelem, & pleroſque alios Philoſophos,& antiquos myſteriorum ſcriptores, & Poetas vetuſtiſſimos,multa ſecretioris doctrinæ monumẽta occultaſſe.

CHRISTIANVS.

Si apertè,tuam ex autoritate Scripturarum ſententiam,ſuprà confirmaſſes:ne nunc quidem Ethnicorum ſcripta factáue repudiarẽ: vt quæ aliquando illuſtres diuinæ ſapientiæ, atque veritatis ſcintillas præ ſe ferãt. In quibus verò à Scriptura veritatis excellẽtiſſimo, atque opulentiſſimo theſauro diſſentiunt, quis, niſi omninò profligatæ audaciæ, illis aſſentiri velit? Error eſt igitur παρὰ τὴν ἐτέραν οὐσιωδίαν. Ac meritò Ethnici ſuas ſuperſtitiones ab oculis hominum remouerunt, quibus patefactis dubio procul imminebat interitus. Quamobrem & inuentos in

Universidad de Deusto
Biblioteca

arca lapidea, Numæ Pompilij omnium penè Romanorum superstitiosissimi, de rebus sacris commentarios, publicè ne innotescerent cremauêre: & suis Pōtificibus sacra vt occultarent, imperarunt. Philosophis autem persuasit ambitio, pessima communicandæ veritatis magistra, vt si quid in contemplanda rerum natura, didicissent: secretò & multis verborum inuolucris explicarent, quò maiorem sibi, apud populares suos conciliarēt dignitatem. Qua de caussa etiam Aristoteles, ad Alexandrum scribit τὰς ἀκροαματικὰς τῶν λόγων, ξυνετὰς εἶναι μόνοις τοῖς αὐτὸν ἀκούσασι. At non ita Deus, vel olim cum populo Israelitico egit: vel nobiscum agit hodiè. Nam vt aperte quondam legem publicauit, conscribendam curauit, præcepit etiam Israelitis eam vt ediscerent: & posteà suis mandatum dedit prophetis, vt medio in templo, quæ ipsis reuelarat, docerent: & deinde consignata literis vbique promulgarent ad memoriam sempiternam: ità Euangelij quoque temporibus ipse Christus, Apostolis doctrinā salutis omni creaturæ publicandam credidit. Matth. cap. 28. vers. 19. 29. Marc. cap. 16. vers. 15. quod se magnifice præstitisse ipsi testantur Apostoli. Act. Apost. cap. 20. vers. 27. 2. Petr. cap. 1. vers. 12. nec vllum, in toto fœdere nouo extat verbū, quo de mysteriis cœlestibus occulendis admoneamur. Rationes multæ afferri possunt. Deus ad salutem Euangelium proponit, Rom. cap. 1. vers. 16. apud Deum nulla est

est προσωποληψία ibid. ca. 2. ver. 11. Doctrina Euāgelij reuelatur à Spiritu sancto, nec ab hominum sapientia pendet. 1. Cor. cap. 2. vers. 12. Spiritus autem Sanctus, quos vult edocet, nec vlli aut populo, aut linguæ addictus est. Ioh. cap. 3. ver. 8. Qui est à Deo, Dei veritatem audit, & illius Spiritu præditus est Ioh. 14. v. 26. Quemadmodum quęcunque lex dicit, iis qui sub lege sunt dicit. Rom. ca. 3. v. 19. ita etiam, quæcunque in Euangelio proponuntur, iis qui sub Euangelio sunt proponuntur: At omnes Christiani sunt sub Euangelio: eáque de caussa totius Euangelicæ doctrinæ, participes meritò esse debent. Non idonei sumus ad cogitandum quicquā, velut ex nobisipsis: sed quod idonei sumus, id ex Deo est. 2. Cor. cap. 3. vers. 5. Vt Euangelij doctrina odor est mortis hominibus, quorum Deus æterno cōsilio, misereri non decreuit: contrà, illis odor est vitæ, quibus cælestem gloriam præparauit, ante iacta mūdi fundamenta. 2. Cor. cap. 2. ver. 15. & 16. Marc. cap. 4. vers. 11. Ioh. cap. 12. vers. 39. Actor. Apost. cap. 16. vers. 14. Rom. cap. 11. vers. 7. & 8. Retorqueamus argumentum.

Si quædam in Ecclesia Christiana sunt arcana, quæ clam populo habenda sint: aut illa in verbo scripta extant, aut traditionibus ἀγράφοις conseruantur: Si in verbo scripta sunt, certè arcana esse non possunt, quæ olim Hebræis, Græcis, Latinis passim committebantur: & nunc etiam vel mini-

mis Grammaticulis, qui modo Latinè sciunt, pateant: adhæc ipsi accusantur Apostoli, atque adeò Christus, qui linguis tam communibus arcana sua credidit. Sin autem ad verbum scriptum arcana illa non pertinent, profectò esse causſæ nequeũt, cur Dei verbũ eripiatur populo, & Sacerdotibus addicatur, tanquam in seruitutem.

IESVITA.

" Atque hæc causſa inter alias, Ecclesię & A-
" postolis fuisſe videtur, vt secreta & occulta
" quædam esſe voluerint. Cõsentaneum enim
" erat, mysteria quædam, præsertim sacra, clam
" populo rudi habere. Nõ iudicaui, inquit Pau-
" lus 1. Cor. 2. me scire aliquid inter vos, nisi Ie-
" sum Christum: & hunc crucifixum: Sapien-
" tiam autem loquimur inter perfectos. Et 2.
" ad Tim. 1. & 2. Formam, inquit, habe sanorũ
" verborum, quæ à me audisti, bonum deposi-
" tum custodi, & quæ à me audisti per multos
" testes, hæc commenda fidelibus hominibus:
" qui idonei erunt & alios docere. Itaque Pau-
" lus secretiora quædam esſe voluit, & perfe-
" ctioribus ac sapiẽtoribus reseruari, &c. Dein-
" de paulò inferius cautionem, ne sermones
" in vulgus exeant, docet hoc modo. Et ego,
" fratres, non potui loqui vobis, tanquam Spi-
" ritualibus: sed tanquam carnalibus, tanquam
" infantibus in Christo, lac vobis potum dedi,
" non cibum, &c. lac quidem intelliget Cate-
" chesis, veluti primum nutrimentum animæ:
cibus

cibus autem susſcipiens cõtemplatio, quę sunt "
ipsæ carnes, & sanguis verbi, hoc est compre "
hensio diuinæ potentiæ & essentiæ. "

CHRISTIANVS.

Vidè quam tecum agam liberaliter. Quãuis ex quorundam mysteriorum occultatione, verbum Dei à populo remouendum esſe, non colligatur: tamẽ si demõstraueris quoddam arcanum, in tota Scriptura noui Testamenti extare: à cuius familiari cognitione Deus, vel infimum è media plebe prohibuerit, per me tibi & vincere, & si velis etiam triumphare licebit. Verumenimuerò tantum abest, vt tibi Paulus, quem patronum adoptas, suffragetur: vt acerrimè potiùs contra te sententiam dicat. Erras igitur περὶ τὸ χῆμα τῆς λέξεως: quo errore deceptus, maximè illustrem Pauli locum deprauare conaris. At si totam contextus seriem, atque ordinem propiùs intueamur, facilè Paulum à tua interpretatione falsa vindicatum, pristinæ puritati suæ restituemus. Sic autem se res habet. Apostolus cap. 1. prioris ad Corinthios erat conquestus, de maxima hominum cæcitate: qua dum illi detinentur, stultam existimant Dei Sapientiam: & sapientem suam ipsorum stultitiam. Quibus opponit eos, qui à Deo, ad veritatis cognitionem erant vocati: vtpote, qui tùm de Sapientia Dei, tùm de mundi stultitia optimè iudicabãt. Deinde obiter declarat, quo

apud Corinthios concionandi genere vsus esset: nimirum simplici, non fucato, non Rhetoricis coloribus (si verbum Oratoris, de Oratoria suppellectile loquenti, vsurpare conceditur) calamistrato: sed ità probando, vt quamuis ab humanæ sapientiæ illecebris abhorreret: sapientiam nihilominùs diuinâ perfectis redoleret. Ad extremum causſam aperit, cur homo ψυχικὸς, ad Dei sapientiam, aspirare non possit: demonstrátque, arcana cælestia Spiritu Dei reuelante, hominibus innotescere, qui certè in solis tantùm electis operatur efficaciter. Hanc germanam Pauli esse interpretationem liquidò, vt ego quidem arbitror, illis apparebit, qui ad scripta Pauli legenda pacatum animum, & nulla contradicendi voluntate suffusum, afferēt. Nūc verò, quàm bene cum Apostolo expositioni tuæ conueniat, disquiramus. Hîc hominum duos fingis ordines: videlicet eorum, inter quos, nihil scire Paulus decreuerat præter Iesum, eúmque crucifixum: & perfectorum, inter quos sapientiam loquebatur. At bella distinctio tua, est ab Apostoli scopo vehementer aliena, nec cum antecedentibus, & consequētibus vllo modo cohęret. Fateor tamen Paulum, si altius rem repetamus: hîc de duobus hominum generibus agere: quæ diuersa ratione grauiter, & seuerè castigat. Nam Iudæi, & Græci ab Euangelij prædicatione totis animis abhorrentes: non tam simplici & puro gene-

genere loquendi, quo Apostolus vti solebat, offendebantur: quam ipsa Euangelij materia, idcirco testatur Paulus, se prędicare Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam. 1. Cor. cap. 1. ver. 23. At Corinthiis, vt qui Euangelio nomen dederant: doctrina quidē Pauli probabatur, concionandi autem, quæ Apostolo erat familiaris, simplicitati, non valdè acquiescebant. Vtrique hominum generi Paulus ita respondet, vt se sapientiam eis, qui eius sunt capaces annuntiare comprobet. Ac primùm Iudæis, atque Græcis, quorum alteri legem à Mose promulgatam, ceremonias, templum donis refertum: alteri cognitionem naturæ, moralemque philosophiam ostentabāt: Christum opponit crucifixum Dei potētiam, atque sapientiam. Corinthiis autem qui orationis ornamenta quærebant obijcit: se nulli rei operā dedisse, nec rem vllam sciētiæ nomine dignā existimauisse præter Iesum, eúmque crucifixum: qui à perfectis, & sani, atque incorrupti iudicij hominibus, vera & absoluta sapiētia censetur. Itaque quùm vtrisque falsam sapientiam quærentibus, vera opponatur sapientia, perspicuum est Apostolum, minimè de illa cognitione verba fecisse, quam homines celare vellet: vt qui eam vocatis patefactā esse, 1. Cor. cap. 1. v. 24. & iis, qui Deum diligunt paratam, ibid. c. 2. v. 9. doceat: sed conqueritur de Iudæis potiùs, & Græcis, atque

Corinthiis : quòd ab illa vera, & sola sapientia recederent: eiúsque in loco falsam & commentitiam collocarent. Sed afferamus aliquot incommoda eorum, quæ fieri non possunt.

Aut sapientia, quam fingit Iacobus Apostolum inter perfectos docuisse, fuit extra Christum, quatenùs nobis reuelatus est, aut in Christo continebatur: Si extra Christum: Ergo Christus, quod sine blasphemia dictum sit, *quatenus nobis est reuelatus, non est Dei potentia & sapientia. Si in Christo continebatur: Ergò etiam omnibus annuntiabatur, quibus ipse Christus*, nihil enim est aliud Christum prædicare, quàm Christum nobis esse factum sapientiam, iustitiam, Sanctificationem, & redemptionem docere, 1. Cor. cap. 1. v. 30. Col. cap. 2. vers. 2. & 3. Item,

Si sapientia, quam ex interpretatione Iacobi, cum perfectis tantùm communicauit Apostolus, ipso scribente Apostolo, ijs præparata est, qui Deum timent: Ergò qui nondum perfectionis gradum attigerunt, nec vnquam in hoc seculo attingent, Deũ non timent. & vi Consequentis, non habendi sunt pro Christianis: quod ipsi non modò falsum, sed etiam flagitium esse dicerent. Item,

Si ratione arcanorum, quæ occultãda sunt, Dei verbum linguis vulgaribus non est publicandum: certè prior ad Corinthios, in qua si expositio Ledesimæ obtinet, nulla sunt mysteria, quæ occuli debeant, linguis vulgaribus committenda est.

quod

quod sanè reliqui Pontificij non concederent.

Ad Pauli locũ accedo, quem ex posteriore ad Timotheum Epistola, in tuas partes obtorto collo pertrahere contendis. Formam habe sanorum verborum, inquit Apostolus, quæ à me audiui isti, &c. Næ tu facilius aquam è pumice, quàm tuum errorem ex Pauli verbis haurias. Timotheum Paulus admonet, vt à doctrina, quam acceperat, ne tãtillum quidem deflectat: sed illius ὑποτύπωσιν tùm sermone, tum vita exprimat: quid hoc verò pertinet, ad confirmandum de occultanda veritate ψευδοχάραγμα Iesuiticum? At quæ sequuntur obijcis. Præclarum depositum serua per Spiritum sanctum, qui inhabitat in nobis. Quid vocabulo depositi Apostolus intelligat, te vt video fugit: & pessimè verbum etiã custodiendi, aut seruandi exponis. Error est. ΟΥΔΕ τὸ χῆμα τῆς λέξεως. Dona Dei nobis collata, depositi nomine significantur: quæ tùm Deus in nobis, tùm nos ipsi per Spiritum sanctum seruare dicimur: quùm per Dei gratiam piè, ac Christianè vitam instituimus: & de gloria æterna suo tempore nobis reuelanda, promissis Dei longè firmissimis innixi, spem fidelib⁹ dignã cõcipimus. Quę interpretatio ex locorũ inter se comparatione, clariùs atq, illustri⁹ vera esse probabitur. 1. Tim. c. 6. v. 20. *O Timothee, depositũ serua, & auersare profanos de rebus inanibus clamores, & oppositiones falsæ*

nominatæ scientiæ. Nimirum viam Timotheo commonstrat, quam in seruanda veritatis doctrina sequatur. Illum enim tunc rectà incessurum definit, quum ab inanibus sophismatis, & syllogismis ἀγνόιας temperabit. & 2. Timoth. cap. 1. vers. 12. *Noui cui crediderim & mihi persuasum est, eum posse depositum meum, in illum diem seruare.* quorum verborum sententia per se lucet. Itaque longè tu falleris, si existimas, Paulum verbo seruandi, aut custodiendi præcepisse Timotheo, vt mysteria populũ celaret. Nam sexcẽtę ferri possunt ὑπάρξεις earum rerum quę omnes, quum μεταφορικῶς depositi, & seruandi vocabulis exprimi possint, tamen secretò habendæ non sunt. Qua de caussa Paulus, se non depositarium modò, verùm etiam οἰκόνομον μυστηρίων θεοῦ appellat.

Ex 2. cap. 1. ad Corinthios distinctionem depromis, qua spirituales ab infantibus in Christo discernũtur: quæ profectò minimè nos latebat: sed ideóne de quibusdam mysteriis occulendis præcepit Paulus, quemadmodum falsò asseris? Nequaquam. Etenim quãuis habenda sit Pastori ratio, vt ad eorũ quos erudit captum sese demittat: nihilominùs si rem propiùs spectemus, totum illud lactis atque escæ discrimen ad docendi methodum potius, quam ad ipsam doctrinæ substantiam reuocandum est: quod vel ex sola Epistolarum Pauli comparatione, tam est manifestũ, quàm quod est manifestissimum, sed obruamus

mus Ledesimam ἀδυνάτῳ.

Si lactis appellatione doctrina de Iesu Christo significatur, quemadmodum tradit Ledesima: & appellatione τῆ βρώματος, quædam perfectior, & magis absoluta designatur sapiẽtia: Ergò est quædam doctrina perfectior quam illa, quæ Iesum Christum explicat. ἀδύνατον, ἀθεόλογον, βλάσφημον.

IESVITA.

Saluator ipse noster, huius rei documenta nobis multa dedit, & factis comprobauit. Lectis enim vt D. Lucas 4. cap. refert quibusdam versiculis coram plebe, deinde librum plicuit, & clausit, ac ministro dedit. Quo facto nos voluit admonitos, pauca quædam esse populo euulganda, de diuinis rebus, multa tamen occultanda, &c. Idem Saluator pleraque populo in parabolis loquebatur, quæ populus non intelligebat: quæque ipse posteà priuatim discipulis solis interpretabatur, &c. Lucæ 8. vobis datum est nosse mysterium regni cœlorum, cæteris autem in parabolis, &c. Christi resurrectio non omnibus tum innotuit, neque ab omnibus visus Iudęis, sed testibus tantùm vt ait D. Petrus Act. 10. præordinatis à Deo, & Christi similiter natiuitas non omnibus fuit nota, sed regibus tribus, & pastoribus. Transfiguratio similiter coram tribus tantùm Apostolis. Et Eucharistiæ Sacramentum, maximum fidei no-

» ſtræ myſterium coram duodecim tā ùm A-
» poſtolis inſtituit,& celebrauit,&c. Tandem
» hoc ipſum Saluator noſter nos docuit Matt.
» 7.quùm inquit, Nolite ſanctum dare cani-
» bus,& margaritas nolite proijcere ante por-
» cos.Nam profectò in vniuerſo paſſim popu-
» lo,canes eſſe aliquot,id eſt, infideles, & hæ-
» reticos qui ſuis moribus Eccleſiam lacerent:
» & eſſe porcos,ſcilicet fideles quidem,ſed ma-
» lis moribus præditos , & ſeruientes ventri,
» qui ſuis pedibus , id eſt peccatis & blaſphe-
» miis,margaritas,quæ fidei ſunt myſteria cō-
» culcent neceſſe eſt.

CHRISTIANVS.

Hoc eſt nimirum Scripturam interpretari. At nos didicimus ὡς εἶναι διαλεκτέον ταῖς μεταφοραῖς, & Symbolicam Theologiam non eſſe argumentatiuam. Deinde oblituſne es, quæ ſuprà de veteri Hebræorum lingua diſſeruiſti:nempè ita eam deflexiſſe ad Syriacū idioma , vt à Iudæis vulgò intelligi non poſſet: ideóque Bibliorum lectionem, atque interpretationem ad Rabinos fuiſſe relegatam? Nunc verò, quæ paulò antè contexueras retexis , & tantùm tibi Hebraicè Iudæi percipere videntur,quātum audiunt. Si autē Symbolicè argumentari vellem , quidni apertionem Eſaiæ,coram populo factam eodem iure,atque etiam meliore fundamento, ad publicam Prophetiarum explicationem traducerem:quo tu libri complicationem ad myſteria

ſteria quædam occulenda contorques. Verùm obijcies Chriſtum pauca legiſſe. Quaſi nos velimus, in publico Eccleſiæ cœtu, omnia fidei noſtræ arcana ſimul aut recenſeri, aut exponi. An te latet,ſi paruum frequenter addatur paruo,qualis tādem aceruus exiſtet? Sed vt iſta valere iubeam ſomnia , ſuo Chriſtus exemplo , Iudæorum in legendis & interpretandis publicè voluminibus ſacris cōſuetudinem , à Moſe ipſo, ad ſua vſque tempora propagatam,confirmauit:qua profectò, de celanda veritate Dei, Pontificiæ traditiones iugulantur.

At multa Chriſtus populo eſt loquutus ἀλληγορικῶς, quæ poſteà ſuis diſcipulis ſecretò explicauit.Peccat argumentum ἀπὸ τὴν ὁμωνυμίαν, quæ in voce,*popu'i*, deliteſcit. Peccat etiam ἀπὸ τοῦ πρὸς τί, ἁπλῶς λεγόμενον. Qui Elenchi manifeſtius apparebunt , ſi rem paulò altiùs repetamus. Totius cardo diſputationis vertitur,in explicatione duarū vocum: nempè quid nominibus & diſcipulorum , & populi Lucas, & cæteri Euangeliſtæ intelligāt: quum in participandis cœleſtibus myſteriis, populū diſcipulis opponunt. Ac ſatis ſupérque notū eſt illis,qui vel à limine Lucam ſalutarunt:eos qui nūc vocantur Chriſtiani,tēporibus Apoſtolorum diſcipulos fuiſſe nuncupatos,vt in Actis Apoſt.paſſim videre eſt, ac præſertim cap.11.v.27. *Factúmque eſt*,inquit Lucas,*vt annū totū cōuenirent in Eccleſia : docerétque turbam multā,& diſcipuli nominarentur*

primùm Antiochiæ Christiani. Quamobrem discipuli & populus, his in locis, quę laudat Iesuita opponuntur, vt ij quorum alteri doctrinam Euangelicam sunt amplexi: alteri non modò de illa non cogitant, sed etiam ignominiosè auersantur. Idcirco mirum videri non debet, si cum discipulis arcana cœlorum Christus communicet: populum autem indomitum, & contumacem excludat. Sed nihil ad rem magis facit, quàm ratio ex cap. 6. Esaię petita: cur ipse Christus populum alloquatur παραβολικῶς: quæ quidem apud Matthęum extat cap. 13. vers. 14. *Itaque completur in ipsis Prophetia Esaiæ, quæ dicit, auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis & non cernetis. Crassum factum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculis suis conniuerunt: nequando cernant oculis & auribus audiãt, & corde intelligant, & conuertãtur, & sanem eos.* Quæro à te Ledesima, Ecclesiámne Dei eodem iure censeri existimas, quo illi cõtumaces, addo etiam infideles Israelitæ? Profectò, si rem ita se habere existimas, vehemẽter erras. Sed adducamus ad incommodum.

Si populo Christiano explicanda non sunt arcana cœlestia, quoniam Iudæos Christus per parabolas est alloquutus: & apud Iudæos Christus est parabolis vsus, quòd illi essent rebelles, atque Euangelio credere nollent, vt ex Esaia liquet: Ergò populus Christianus est rebellis atque Euangelio non credit. & vi Consequentis populus Christianus

stianus est populus non Christianus, ἀδύνατον. Retorqueamus argumẽtum in caput Ledesimæ.

Si Christiani omnes sunt discipuli Christi, & Christus discipulis suis mysteria regni cœlorum explicat: certe mysteria regni cœlorum Christianis omnibus explicanda sunt. Item,

Si omnis doctrina Euangelij, appellatione mysteriorum cœli continetur: & mysteria cœli cũ populo Christiano minimè sunt communicanda: certè nulla doctrina Euangelij cum populo Christiano communicanda est, absurdum vel ipsis Pontificiis suffragantibus: atque adeò Ledesima ipso, vt ex iis, quæ suprà diximus, apparet.

Cæterùm quædam inter ea retuli quę, à te commemorata sunt in eam sententiã, vt magis tua pateat vesania: quibus probare niteris, non omnibus mysteria esse credenda. Quàm verò appositè tu hæc proferas, ipse videris. Nemo enim est Christianus, cui non sint ista perspecta, & cognita: nedum vt præiudicium facere possint cœlestium arcanorũ intelligentiæ, quibus etiam refutandis operam ponere superuacaneum iudico, quùm sua sponte corruant.

Sed silentio præterire non possum, tuam in depranãdis Scripturæ locis audaciam, cum impietate coniunctam. Quid enim hoc fingi potest impurius? Matth. locum ex 7. cap. ad publicationem Sacrosancti verbi Dei, quę in Ecclesia vigere debet prohibendam, vio-

lenter contorques: Vbi disertè Christus vetat, ne Sanctum demus canibus, & margaritas proijciamus coram porcis. Ac tibi probandum incumbit, Sanctam Dei Ecclesiam porcorum, & canum appellatione, vnquam fuisse à Spiritu Dei notatam: quæ contrà Sancta, immaculata, pura, casta, speciosa vbique vocatur. At sunt in medio Ecclesiæ porci, & canes. Fateor dedecus illud horrendum, inter Christianos grassari sæpius, quàm illi ferre possint, quibus Dei gloria, & hominum salus cordi est: Veruntamen si palā diuagatur, Ecclesiasticæ censuræ gladio iugulādum est: sin occultè irrepit, expectandum est patienter, dum ipse Deus hypocritas designet, ac Ecclesiæ suæ perpurgādæ, opportunitatem largiatur. Nec interea priuandi sunt vere pij, pabulo cœlesti, & diuino: id est mysteriorum cœlestium fruitione, qua destituti spiritualem auram trahere non possunt. Itaque vt verbo expediam apud Mattheum, Christus, de publicatione illa, quæ in Ecclesia locum habet, non differit: sed suos edocet, vt si quem viderint profligatæ impietatis, & vitæ cōtaminatissimæ, qui quidem de suis peccatis seriò admonitus, minimè ad meliorem frugem redeat: cum illo sacrosancta fidei nostrę arcana non communicent, ne & illa profanentur, & ipsi operam perdant, & in grauissima etiam incidant pericula. Error est ἀπὸ τὸ χεῖρον τῆς λήξεως. Verùm agè, Ledesimam contringamus incommodo.

Si sa-

Si sacra quædam mysteria in concionibus explicanda sunt: quibus intersunt quidam canes atque porci vt comprobat Ledesima: & coram porcis & canibus mysteria nulla publicari debent: Ergo quædam mysteria sunt publicanda in concionibus, & non sunt publicanda in concionibus ἀδύνατον:

IESVITA.

Etiamsi mutatio aliqua linguę, aut versionis vulgaris Missæ fieri deberet: tamen non « nisi per summi Pontificis autoritatem, & re- « liquas Ecclesiæ potestates fieri deberet: ad « quos spectat videre, num id expediat, aut de- « ceat, nécne & quo modo, quáue ratione. At « nostri hæretici potestatem sibi contra ius, « per fas & nefas vsurpant. «

CHRISTIANVS.

Tu probas illud, quod in quæstione positum est, per id quod ęquè incertum est, atque ipsa controuersia. Quis enim nostrū cui Pontificis nō autoritatem, sed immanem & blasphemam tyrannidem non detestatur? quis vestrûm autem illam è sacris literis vnquam constituit, aut etiamnum constituere potest? Nec nos tamen in Ecclesia Dei ἀταξίαν esse volumus. Sed Pastoribus à Deo ipso ad gubernandam, & docendam Ecclesiam institutis, curam attribuimus earum rerum, quæ ad fidelium ædificationem atque eruditionem pertinent. At si vt sæpe accidit, Pastores non Ecclesiam, sed seipsos

pascant, aut verbum Dei adulterent & cauponentur: tunc sibi quisque prouidere debet ac saluti animæ suæ consulere: nisi cum Scribis,& Pharisæis, atque etiam Pontifice maximo,iterum velit in Christum,eiusque veritatem conspirare, & cum suis ducibus cæcis, cæcus ipse in foueam cadere. Peccat igitur argumentatio Ledesimæ ἀπὸ τοῦ μὴ πᾶσι ἁπλῶς λεγόμενον, quamuis enim Pastoribus legitimè vocatis,& legitimè officio suo fungentibus parere oporteat: nihilominus quum sæpenumerò vsuueniat, vt vel nulli sint in Ecclesia conspicui Pastores: vel à vera Euangelij doctrina turpiter aberrent: vel quod est longè grauissimum, vt nostris temporibus experti sumus, ipsi Euangelicam veritatem ferro flammáque persequantur: non ita sumus Pastoribus addicti, vt in eorum verba iurare, falsa præsertim nos oporteat, sed probandi sunt omnes spiritus,& qui à Deo sunt recipiendi, 1. Ioan. cap. 4. vers. 1. & 1. Thes. cap. 5. vers. 21.

IESVITA.

Vnde quamuis aliquis bono animo se id
» petere dicat,& propriæ deuotionis, atque v-
» tilitatis gratia postulare contingat: facilè res-
» ponderi potest illud Saluatoris Matth. 10.
» Nescitis quid petatis: & esse eam fallacē deuo
» tionem, & zelum non secundùm scientiam,
» aut potiùs diuisionis eum esse spiritum,& er-
» roris.

CHRI-

CHRISTIANVS.

Tu in omnibus ferè, hoc tibi iuris arrogas, vt quid tibi videatur, tanquam si absque vlla controuersia, recipi à quibusuis deberet, cōfidenter αὐτοπάρεικτον in media luce colloces. Nos autem tam creduli non sumus, quàm fortasse opinaris. Qua de caussa tibi suadeo, vt in proponendis Axiomatibus tibi paulò minùs indulgeas: in probandis autem & confirmādis multò diligentiùs elabores. Quodnam enim quæso illud est Axioma. Zelo fallaci populus afflatur, qui Scripturarū lectionem exoptat. Nos verò contrà & diximus,& firmissimis rationibus & testimoniis euicimus, eos veritatis zelo ardere, qui veritatem puris è fontibus, hoc est à sanctis literis haurire desiderant. Nec video qua tandem ratione, tibi cum aliis conuenire possit, quum à te ipso tàm apertè dissentias. Etenim paulò antè, vi veritatis aliquantulum coactus dixeras plebeios, si à suo, quemadmodum loqueris, ordinario veniam impetrassent: posse Scripturam vulgari etiam lingua conuersam legere: nunc autem te παλινῳδεῖν non pudet, ac falsæ deuotionis, illud ipsum quod suprà cōprobaueras, insimulare. Sed nihil est mirum, si quæ à veritate Dei recedit doctrina, ita se suis erroribus implicet, ac secum ipsa confligetur, vt nullo stare modo possit. De Matthæi loco, qui est omninò ἀπροσδιόνυσος, disputare non libet: cuius etiam falsam & ineptam applicationem verbo demonstrare, satis su-

pérque illa, quæ pessimè inde colligis refutare est.

IESVITA.

Prætereà concedendum non est. Cur ita? quia radix huius petitionis est hæresis, ea enim de caussa illi ad petendum mouentur, quia videlicet interiori hæresi laborant, qua putant id necessarium esse, vel ita debere fieri, vel potiùs sic expedire, & malè fieri, & non licere contrarium.

CHRISTIANVS.

Nunc prophetiam illam, quæ luculentissimè in 2. Pauli ad Thessal. epistola cap. 2. exprimitur, de Antichristo venturo, Pontifici Romano, tàm benè conuenire, aliud agens demonstras, vt nihil suprà. Etenim *filius* est *ille perditus qui sese opponit, & effert, aduersus quidquid dicitur Deus aut numẽ: adeò vt in templo Dei, tanquam Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum*: Quis enim hoc ius habet, vt articulos fidei hominibus, pro arbitrio condat, nisi vnus, & solus Deus. At vesier Pontifex cui parum est, potentissimis orbis terrarum Regibus, & Monarchis vasiè, atque malitiosè iugum imposuisse: Dei quoque imperium inuadit, & perinde atque si esset Deus, leges animis fabricatur, atque etiam à Dei sanctissimis legibus, accepta pecunia, quos illi placuit, soluit & liberat: vt iam nemini dubium esse possit, quo Spiritu sceleratus ille ducatur.

tur. Fallit ergo Ledesimæ argumentum ἀπὸ τὸ μέσον ἑτερογενές: Item, ἀπὸ τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτούμενον. Tam enim est incertus Pontifex, quàm decreta Pontificalia, & illa vicissim tam nobis parum nota sunt, quàm quæstio de qua disputamus.

IESVITA.

Amplius, non est hoc concedendum. Cur ita? quia hæc petunt ex malitia, & odio, vt Ecclesiam vexent: vt ita vel ignorantiæ, vel erroris, vel culpæ eam possint arguere.

CHRISTIANVS.

Hæc est illa Helena, quæ tantas in orbe Christiano tragœdias excitat. Vos ἁναμάρτητοι non esse, sed videri vultis, vt nefas sit, vel tantillum de vestra doctrina, & pietate dubitare. Sed recordamini quæso, quæ vestra fuerit ante Lutherum ignorãtia: quùm ne prima quidem elementa Theologiæ teneretis, sed eõtentionibus ineptissimis oleum perderetis, & operam. Quantis autem in erroribus etiãnum, post tantam lucem, quæ singulari Dei misericordia nobis affulsit, versemini, nemo non videt, nisi omninò cæcus est. Ad mores autem quod attinet, vel conciliabulum Tridentinum vobis fero iudicem: quod quamnis meretricem Romanam, suo omni fuco inducere conetur, vt scilicet minus deformis & prodigiosa nobis appareat: illi tamen Occidentis clades atque vastitatem refert acce-

ptam. Nec singula recensere in animo est, lõga enim, vel potius infinita oratione opus esset: verum semel pronunciare, Synagogam Romanam crassissima, & indignissima Theologiæ ignorantia: flagitiosissimis & turpissimis erroribus: vita deprauatissima, & contaminatissima infamem esse. Quę omnia, quùm tibi experiri placuerit, tàm apertè vera esse confirmabo: vt ne tu quidem, nisi frontem omnino perfricueris, & Iesuita etiam impudentior euadas, inficiari possis.

IESVITA.

» Iam verò si hæretici vnionem cum Eccle-
» sia desiderarent, non se ipsos hac de caussa
» separarent, & ob rem ita leuem, vt ipsi volũt,
» non ab illa sese seiungerent.

CHRISTIANVS.

Hîc tot vitia ferè sunt, quot verba. Nec enim Romana Synagoga Ecclesiæ titulo exornanda est: nec nos hæreticorum stigmate notandi sumus: nec à vera Dei Ecclesia secessionem facere molimur: nec blasphema vox illa, & Iesuita planè digna, nobis vnquam venit in mentem, vt sacrarum literarum cognitionem, atque intelligentiam, pro re leui duceremus. Error est itaque, principij multiplex petitio: qua inter disputandum, plus satis familiariter vti soles.

IESVI-

IESVITA.

Ecclesia, Concilia, & Sancti non consuerũt permissionibus mederi hæresibus, sed contrariis constitutionibus. Non, inquam, vt quod ipsi hæretici vellent, ac peterent, id eis permitterent: sed potius contrariam, ac omninò ex diametro pugnantem sententiam constituerent, &c.

CHRISTIANVS.

Vteris in re non dubia, testibus, non necessariis. Longum enim Catalogum texis Iudæorum, Manichæorum, Nestorianorũ, Hebionitarum, Antitrinitariorum, Anabaptistarum, Arrianorum, & reliquorum eiusmodi hæreticorum: quibus antiqua Ecclesia nõ cedendo, & obtemperando: sed obuiam eundo & repugnando acriter se opposuit. At longè aliter, atque oportuit, propositionem & verã, & non controuersam tuo more verbosissimè confirmas: assumptionem verò, in qua totius contentionis cardo vertitur sine probatione vlla relinquis. Certè nemo nostrûm negat, Ecclesiam hæreticis concedere non oportere: alioquin, si hoc illa dedecus admitteret, in hęreticorum se castra conijceret, atque nomen Ecclesiæ tueri non posset: verùm pernegamus nos quicquam cum hæreticis, vos cum vera Dei Ecclesia, præter titulum, & verba suis exuta viribus habere commune.

IESVITA.

» Obijciunt hæretici 1.ad Cor.14. D.Paulus
» reprehendens eos, qui linguis loquebantur
» in Ecclesia, quùm non intelligerentur, inter
» alia sic dicit. Si ergo nesciero virtutem vocis,
» ero ei cui loquar barbarus, & qui loquitur
» mihi barbarus,& paucis interiectis. Nam si
» orem lingua,inquit,Spiritus meus orat,mens
» autem mea sine fructu est.Quid ergo est? O-
» rabo Spiritu,orabo & mente : psallam Spiri-
» tu,spallam & mente.Cæterùm si benedixeris
» Spiritu,quis supplet locũ idiotæ? quomodo
» dicet Amen super tuã benedictionem? quo-
» niam quid dicas nescit,nam tu quidem bene
» gratias agis,sed alter non ædificatur,&c. In-
» super vigent ad Romanos 10.vbi ait D. Pau-
» lus.Fides ex auditu,auditus per verbũ Chri-
» sti.At si non intelligunt verbum,perinde est
» ac si non audiant,&c. Respondeamus iã nos
» ordine ad singula: & primo dicimus Aposto
» lum 1. Cor. 14.non de oratione solenni Ec-
» clesiæ agere,aut diuinis officiis,aut Missæ sa-
» crificio,sed de dono linguarum,quod multi
» Corinthij habebant vt textus ipse perspicuè
» ostendit,&c.Aliud autem est de Ecclesię sa-
» crificio,& oratione solenni iudicium,in qui-
» bus multa debent propter mysterium occul-
» ta esse,&c.Quod ante de dono linguarum,&
» eius abusu in Ecclesia loquatur D. Paulus eo
» loco paucis ostendamus &c.Igitur paulò an-
» tè videlicet cap.12.de diuisionibus donorum
» Spiritus sancti D.Paulus egerat,&c.Et postea
demum

demum cap. 14. agit de illorum donorum v- "
su, reprehendens doni linguarum abusum, "
quo confusè tumultuabãtur in Ecclesia,simul "
plures & sine interprete loquentes,ac deinde "
ordinem,tam in eius vsu,quàm in prophetiæ "
dono,ac cæteris donis cõstituit, vt omnia ad "
ædificationem fiant, & in omnibus decentia "
& ordo seruetur,&c. "

CHRISTIANVS.

Malè vos perdit pulcherrim' ex 1.ad Cor. cap. 14. locus, itaque multa tu quidem, vt & alij Pontificij comminisceris,quò illũ detorqueas,sed valdè infœliciter. Ac primùm ais, non de oratione solenni Ecclesiæ,sed de dono linguarum,quo multi abutebãtur Corinthij, Apostolum agere. Ego verò nec te quid dicas intelligere puto,nec rem ita se habere, vt arbitraris, facile omnes agnoscent,qui ad scripta Pauli legenda sobrium, & attentum afferent animum. Quæ autem ista est ratio, Paulus non agit de precibus Ecclesiasticis,& solennibus,quia de dono linguarum disserit. Quasi verò linguis à populo non intellectis, Ecclesiasticæ preces concipi tunc non potuerint,aut etiam conceptę sint;contrà quam expressè hoc in loco præcipit Apostolus. Error est, ἀπὸ τὸ ὑπάρχον. Verùm agè rem totam intueamur propiùs. Solebãt Corinthij dono linguarum, quo ad Ecclesiæ nascẽtis ædificationẽ,atque vtilitatem exornati erant à Deo, ambitiosè ac turpiter abutiiita vt instrumen

to illo excellentissimo Ecclesiam plus destruerent, quàm ædificarent. Quum enim colloquerentur cum popularibus suis, & in cœtu etiã solenni de arcanis cœlestibus differerent: peregrina idiomata infructuosè vsurpabant, vt se duntaxat ostentarent: ideóque fiebat, vt qui ad audiendum Dei verbum, & ad mysteriorum fidei Christianæ participationem conuenissent: tam imperiti sacrarum rerum dimitterentur, quàm erant quum ad istiusmodi homines accederent. Meritò igitur Paulus, pro Apostolico munere suo, tantum Ecclesiæ Corinthiacæ dedecus redarguit, & oblata occasione, de linguis corã populo vsurpandis, totam controuersiam ita dirimit, vt sit prodigiosum inuentos esse homines, qui in tanta luce verborum Pauli, tenebras sibi videre videantur. Sed operæpretium est argumenta expendere Apostoli, vt facilè intelligamus quò tandem referenda sint. Primum est huiusmodi. Qui loquitur lingua, hominibus non loquitur, sed Deo: nullus enim audit, Spiritus autem loquitur mysteria. Verumenimuerò vt ad artificium syllogisticum reuocemus ratiocinationem Pauli, supplenda est maior propositio, & ita colligendum.

Quicũque rectè atque ordine loquũtur in Ecclesia, hominibus loquũtur: Nullus qui lingua loquitur: hominib⁹ loquitur. Nullus qui lingua loquitur recte atque ordine loquitur in Ecclesia. quam Apostoli argumentationem, hunc in modum esse

esse struendam, ex iis, quę posteà sequentur facilè constabit. Quamobrem peto à Iesuita nostro vtrum illi qui apud Pontificios, sacra, vt vocant, in Gallia, vel Anglia Latinè peragunt, loquantur in Ecclesia, nécne. Si loqui velit, certè non rectè atque ordine loquentur. Si neget loqui, ergò frustrà disputamus ea de re, quæ ad Ecclesiã non pertinet. Secundi, & tertij argumenti ratio, & structura perquam facilis est, ac mirum in modum cum primo consentiens, vt non sit opus eadem rè, iterum atque iterum reponere. Quartum est sumptum à comparatione rerum quæ anima carent, & nihilominus tam distinctos edunt sonos, vt quid illæ sibi velint homines assequantur. Et quemadmodum nulla est earum vtilitas, nisi cognoscamus id, quod verbi gratia, tibia canitur, aut cithara: similiter loquentis strepitus est superuacaneus eis, qui vocem, quam ille pronuntiat, non intelligũt. Cætera ne sim longior præteribo, si duntaxat vnum paulò accuratiùs explicauero: cuius erit hæc structura.

Quæcunque in Ecclesia Dei proponuntur, ab omnibus Christianis approbari debent. Nihil eorum, quæ lingua proponuntur in Ecclesia Dei, ab omnibus Christianis approbatur: Ergò nihil eorum quæ lingua proponuntur, in Ecclesia Dei proponi debet. Atsi Iesuitæ credimus, hæc tantũ intelligẽda sunt, de colloquutionibus, & prophetiarũ enarrationibus, quæ in Ecclesia fiebant. Quòd certè nõ ita se habere tam clarum est, vt refutatione non sit opus, Sed quoniam in-

cidimus in homines perfrictæ frontis, & desperatæ audaciæ, ruinosum illis hoc κρησφύγετον subuertendum est, vt inde tandem expulsi, quò se recipiãt, inuenire nõ possint. Ac primùm quæ à Paulo generaliter dicuntur, exceptionibus Ledesima constringit, quas ex verbo Dei probare non potest. Quæ disputandi ratio, si à Theologis semel admittatur, nihil esse comperietur tam ratum in Theologia & firmum, quod non facillimè hac bella differendi methodo, subruatur. Excipient enim, qui alteram contradictionis partem tuendã susceperint, Prophetam, vel Apostolũ hac, vel illa de re non esse loquutum, & ita scelleratissimè atque impudentissimè sacrarum literarum eludetur autoritas. Deinde non animaduertit Iacobus, argumenta Pauli veritatem constringere fortius, quam ipse arbitretur. nempe, *Qui loquitur lingua, non loquitur hominibus.* Item, *Qui loquitur lingua seipsum ædificat, qui vero prophetat Ecclesiam ædificat.* Item *Nisi sciero vim vocis, ero ei, qui loquitur, barbarus, & qui loquitur apud me barbarus erit.* Item, *Si precer lingua, spiritus meus precatur, sed intelligentia mea est infructuosa.* Item, *Is qui implet locum idiotæ quomodo dicturus est, Amen, ad tuã gratiarum actionem? nescit enim quid dicas.* Item *Linguæ sunt signum, non iis qui credunt, sed infidelibus.* Item, *Si non sit interpres, taceat in Ecclesia, qui loquitur lingua.* Quæ omnia quoniam per se clara sunt, longiore non indigent expositione. Sed offeramus aliquot incommo-

da

da eorum, quæ fieri non possunt.

Si qui apud Pontificios lingua incognita in Ecclesia loquuntur, ad ædificationem Ecclesiæ loquũtur, quemadmodũ suprà demõstrare conatus est Iacobus: *& qui lingua incognita in Ecclesia loquuntur, ad ædificationem Ecclesiæ non loquũtur*, quemadmodum asserit Paulus: *certè qui loquuntur ad ædificationem Ecclesiæ, non loquuntur ad ædificationem: Ecclesiæ*, hoc est ipsum non esse ipsum ἀδύνατον. Item,

Si dona prophetiæ, atque linguarum ita inter se discreta sunt, vt qui vnum habeat carere altero possit, vt docet Apostolus 1. Cor. cap. 12. vers. 4. 10. 28. 29. & 30. & cap. 14. v. 27. & 28. *& prophetare nemo potest, nisi qui donum linguarum habeat,* vt passim tradit Ledesima: *Ergo quæ dona sunt inter se ita discreta, vt alterum sine altero esse possit, non sunt inter se ita discreta, vt esse possit alterum sine altero*, quod est huiusmodi vt fieri nequeat. Item,

Si prophetandum, precandum, psallendum, & agendas esse gratias intellecta tantùm lingua docet Apostolus, vt is, qui implet locum idiotæ, Amen dicere possit: & lingua incognita sacra celebrari oportere contendit Ledesima: Ergo sacra quæ ad hunc modum celebrantur, neque ad prophetiam, neque ad preces, nec ad spiritualia Cãtica, & gratiarum actionem pertinent, & vi consequentis locum habere in Ecclesia Christiana non debẽ, neque etiam possunt. Retor queamus argumentum in caput Iesuitæ.

Si doctrina Pauli vera est, atque à Spiritu Dei

profecta: & Paulus præcipit, vt qui lingua loquitur, taceat in Ecclesia, nisi adsit interpres: certè doctrina Pontificiorum falsa est, atque à Spiritu Satanæ profecta: vt pote quæ iubeat, vt qui lingua loquitur, non taceat in Ecclesia, quamuis nullus adsit interpres. Atque de his quidem hactenus.

IESVITA.

Præterea, ex eodem loco conuincitur, D. Paulum velle, etiam tunc temporis loqui linguis in Ecclesia si sit interpres. Imò non solùm in publico, & communi cultu Ecclesiæ, ab ipsa constituto, & diuinis officiis, sed etiã, quod plus est, in priuatis cuiusque diuinis laudibus: quas propria quisque deuotione fundit, si esset interpres permittebat in Ecclesia linguis loqui &c. At verò in Ecclesia est interpres: sunt enim Episcopi, Archiepiscopi, Primates, item Presbyteri, concionatores, & ipsemet Parochus: qui debent populo ea interpretari, diebus saltem Dominicis &c. Quod si præcipit Apostolus, sicut isti fingũt, vt in Ecclesia, ad populum lingua tãtum vulgari vtendum sit, frustra erit in Ecclesia interpres. Quid inquam opus est interpretatione, si in Ecclesia lingua vulgari, & nulli ignota vtendum sit? &c. Hi ergò sunt, qui ordinem Ecclesiæ corrumpunt, & loqui lingua in Ecclesia contra Sanctum Paulum prohibent, & interpretandi linguam Dei charisma de Ecclesia tollunt.

CHRI-

CHRISTIANVS.

Tu imperitè admodùm Ledesima, duo de quibus inter nos minime constat, problemata & quod magis est mirandum inter se pugnantia, per se inuicem probas, quod disputandi genus fateor mihi nouum videri, & viro ingenuo, atque etiã Theologo vehementer indignum. Nos enim contendimus, sacra concipi debere dialecto illa, quę ab omnibus qui sacris interesse solent, familiariter intelligatur. Respondes multa in sacrorum celebratione passim extare mysteria, quę populũ celanda sint. Obijcimus vocem Apostoli, qua Corinthios, & in persona Corinthiorum fideles quotquot esse possunt admonet: vt ædificationi consulentes, vel cognita lingua, vel saltem per interpretem exposita in sacris cœtibus vtantur. Excipis Ecclesiam Romanam suis non indigere interpretibus, nimirũ Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus &c. qui sedulò explanent ea, quæ peregrina lingua, in peragendis rebus sacris pronuntiata sunt. At ego tuum Andabatismum ita refello. Si mysteriorum occultatio vera est caussa, cur in sacris rebus peregrinæ atque incognitę linguæ adhibeantur: certe interpretatio facessat necesse est, vt à cœlestibus arcanis vehementer aliena: Sin autem interpretatio ex autoritate Apostoli, & Ledesimæ consensu, vigere debet in Ecclesia: profectò mysteriorum occultatio in caussa non erit cur in sacris cœtibus peregrina dialecto vtendum esse credamus.

Eligat vtrum velit Ledesima, puerilium ne sophismatum laqueos retexere: an suis se ipse retibus, quocunque placuerit modo irretitū, in captiuitatem antagonistæ veritatis assertori tradere. Sed mihi videor esse facturus operæpretium, si de linguarum dono quęstionem, paulò altiùs repetitam, quantum huiusce controuersiæ status postulabit, pro ingenij tenuitate luculenter expoſuero. Quùm ergò in vniuersum orbem terrarum mittendi essent à Christo, ad prædicandum Euangeliū Apostoli: nec illi vt tenuissimæ conditionis hominibus accidit, plus vna lingua, eáque domestica vti possent: quò munus à Deo ipso demandatum infinita penè linguarum varietate promulgandi Euangelij obirent: momento Spiritus in Apostolos è cœlo effusus, rudes ātè piscatores, vt innumerabili bus idiomatis vti possent effecit, quemadmodum historia, quæ apud Lucā extat 2. Actor. Apost. cap. apertissimè testatur. Ex quibus liquere cuiuis non contentioso, satis superque posse puto: Deum antiquam Ecclesiam, eo linguarum dono exornasse, vt creaturæ omni fœlicissimum illud reconciliationis hominum cum Deo nuntium, publicaret. Qua de caussa perperā Iacobus, deflexo in contrariam sententiam Dei consilio, linguis vtendum esse docet in Ecclesia, non vt magis ac magis Apostolica consuetudine vsurpata, hominibus eluceſcat Dei veritas: sed vt nostræ fidei obtegantur arcana, & ab oculis hominū, atque mentibus omninò remoueātur. Deinde non

animaduertit Ledesima, se temporarium donum, cum ordinario & perpetuo ineptè confundere. Nam vt quum primùm per totum terrarum orbem fundarentur ab Apostolis, Euangelistis, reliquisque Apostolorum administris Ecclesiæ, omninò erant linguæ necessariæ: ita constitutis Ecclesiis, & Pastoribus ordinariis ad erudiendum populum, & administranda Sacramenta electis, necesse nō fuit, vt infinita linguarum varietas, inter Christianos, publicandi Euangelij caussa, locum haberet. Tunc enim demum facilè poterat in ordinandis Pastoribus prouideri, vt singulæ Pastorem Ecclesiæ nanciscerentur: qui cum suo grege populariter loqui posset, vt opus non esset peregrinam linguam, in cœtu Ecclesiastico vsurpare. Sed nondum satis apertè dissolutus est nodus. Nam quum in Ecclesia Corinthiaca, dubio procul Pastores ordinarii, à Paulo essent constituti, donum tamen linguarum nihilominus vigebat: quo etiam valde insolenter abutebantur Corinthij. Respō demus, quoniam primis Ecclesiæ nascentis temporibus, permulti erant à Deo extra ordinem ad prædicandum Euangelium excitati, & donis longè præstantissimis exornati: adhæc feruente Christianorum zelo, atque immensis vno impetu diuinæ sapientiæ thesauris erumpentibus: longè frequentissimos conuentus ad participandum Euangelij doctrinam haberi tunc solitos: in quibus prœcūte ordinario Pastore, locus etiam dabatur iis,

quos Deus prophetia, donis linguarũ atque interpretationis, cæteríſque huiuſmodi cumulauerat, vt ſiquid vellent, ad ædificationẽ Eccleſiæ loquerentur. Quod etiam in more Iudæorum fuiſſe poſitũ ex Actis Apoſtolicis cap.13.verſ.14.& 15.didicimus. Ita enim hoc in loco legitur. *At ipſi quum perrexiſſent Perga, venerunt Antiochiam, vrbem Piſidiæ, & ingreſſi Synagogam die Sabbathi ſederunt. Poſt lectionẽ autẽ Legis, & Prophetarum miſerunt præfecti Synagogæ ad eos, dicentes, viri fratres, ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis ad populum, dicite.* At temporibus quæ poſteà conſequuta ſunt, donis quæ extra ordinem conferebantur, ad ordinariam, & lectione, atque auditu partam diuini verbi cognitionem reuocatis, & penè infinita Prophetarum multitudine ad paucitatem redacta, linguarum illa vſurpatio in Eccleſia ſuperuacanea cœpit eſſe, ac ita paulatim exoleuit. Nec ſilentio prætereũ dum eſt, quod ad rem facit maximè nimirũ, qui dono linguarum diuinitùs pollebant, nõ tamen omnium populorum lingua vti potuiſſe: quemadmodum ex Paulo euidentiſsimè comprobatur. Nam & dona linguarũ & interpretati onis apertè diſtinguit. 1. Cor. ca. 12. verſ. 30. & cap. 12. verſ. 3. *Quapropter qui loquitur lingua*, inquit, *precetur vt interpretetur.* & verſ. 28. *Quòd ſi non ſit interpres taceat in Eccleſia, qui loquitur lingua ſibiipſi verò loquatur & Deo.* Quamobrem ſæpe fiebat, vt quidẽ Prophetæ in Eccleſia Corinthiaca loqui vellent, qui nec

qui nec lingua Corinthiorũ vti poſſent, nec à Corinthiis intelligerentur, nec interpretem haberent: ita vt nihil aliud agerent, quemadmodum exprobrat Paulus, præterquàm quod aërem verberarent. Satis autem mirari non poſſum Ieſuitæ noſtri ſupinam oſcitantiam. Negabat modò diſputationem Pauli de linguarum vſu, ad ſacrorum celebrationem referri poſſe: nunc verò maxima contentione animi demonſtrare conatur, ſi ſacra vulgari lingua fiant, fruſtrà interpretem eſſe in Eccleſia, id eſt, ſeipſum refellit: vt noſtra opera lector non indigeat, ſi modò quàm bene tota Ledeſimæ oratio ſibi cohæreat velit attentè conſiderare. Ac quidem prior Iacobi ſententia vera eſt, poſterior autẽ falſiſſima. Etenim familiari dialecto ſacra olim celebrabantur, ab eo Paſtore, qui Eccleſiam, in qua fiebant, regebat: Quùm autem Prophetæ ad communicandum de doctrina Euangelij conueniſſent, tunc linguæ, modò ex Apoſtoli autoritate adeſſet interpres, vigebant. Et quoniam paulò plenius hanc quæſtionem tractamus, libet, ex martyris Iuſtini, antiquiſſimi ſcriptoris ſecundo Apologetico inſignem locũ adſcribere, quòd ad hiſtoriam pertineat, quem etiã Beza noſter, in annotationes in Nouum Teſtamentum à ſe Latinè conuerſum appoſuiſſimè retulit. Qui certè locus magnum habere momentum videtur, ad cõuincẽdos eos, qui peregrinam linguã in Eccleſiæ ſacris re-

tinendã putant. Sic ergo Iustinus ait, τῇ τε ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ, πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγρὸς μενόντων, ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ. εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν, καὶ πρόκλησιν, τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες καὶ εὐχὰς πέμπομεν. καὶ παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται, καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ. καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπιφωνεῖ, λέγων ἀμήν. καὶ ἡ διάδοσις, καὶ μετάλημψις, ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται. Denique quis non rideat, quum Episcopos, Archiepiscopos, Primates in Ecclesia Romana interpretum officia fungi à nostro Ledesima audierit? quorum multò maxima pars ne prima quidem linguarum, & Theologiæ nouit elementa: cæteri ferè omnes de suis voluptatibus & deliciis tantum cogitent, vt ad pulpitum accedere cõcionandi gratia, per huiusmodi occupationes Pontificia meretrice dignissimas, illis nunquam liceat. Fallit ergo Iesuitæ nostri argumentatio, ἀπὸ τοῦ ψεύδους ἑρμηνείαν loci Apostolici. Sed ineptissimum Sophisma suo ipsius Sophismate refellamus.

Si ea quæ dicuntur in celebratione sacrorum, clam populo habenda sunt: quemadmodum superioribus argumentis obtinere conatus est Ledesima: & ea ipsa Episcopi, Archiepiscopi, &c. diebus dominicis populo interpretari debent: Ergò quæ clam populo habenda sunt, ea populo exponi

poni debent: absurdum & ἀδύνατον.

IESVITA.

Præterea ex illis verbis, qui supplet locum « idiotæ, colligitur iam tunc in Ecclesia alios « fuisse idiotas, alium verò fuisse, qui suppleret « locum idiotæ, ministrum scilicet Eccle- « siæ, &c. Ergò manifestè conuincitur etiam « tempore D. Pauli, fuisse aliquem in Ecclesia, « qui suppleret locum idiotæ, ac populi, siue « docendo, siue benedicendo, nec omnium « fuisse ex ipso populo indiscriminatim loqui « in Ecclesia, vt nunc falsò volunt hæretici, &c. « Et quidem meritò videri possit, iam tunc ad « hoc etiam institutum esse ministrum: qui « sic responderet in Ecclesia: Nam quum po « pulus nesciret ita expeditè respondere A- « men super aliorũ benedictiones, neque quæ « dicebantur omnia facilè intelligeret, meritò « constitutus iam videri potest, qui suppleret « locum eius, &c.

CHRISTIANVS.

Error est: ἀπὸ τοῦ σχήματος τῆς λέξεως, atque etiam fœdissimam totius Apostolici contextus depravationem. Sic autem apud Paulum legimus ἐπεὶ ἐὰν εὐλογήσῃς τῷ πνεύματι, ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου, πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν ὅτι τὴν σὴν εὐχαριστίαν. i. *Quandoquidem si benedixeris spiritu, is qui implet locum idiotæ, quomodo dicturus est Amen ad tuam gratiarum actionem?* Tibi autem vetus in-

terpretatio imposuit, in qua non satis accommodatè verbum supplendi legitur. Inter nos vt opinor non controuertitur, de germana verbi ἀναπληροῦν significatione. Nã quemadmodum ego libentissimè concedo apud probatos autores idem Græcè ἀναπληροῦν denotare, quod Latinè supplẽdi verbum exprimit: ita nec tu quidem vt existimo inficiaberis, quin maximè propriè ἀναπληροῦν implendi verbo explicetur. Itaque tota controuersia in eo est posita, vt examinemus: quænam expositio tandẽ cum mente Apostoli consentiat, quæ autẽ cum illa congruere non possit, vt sublata demum ἀμφιβολία, quid Paulus sibi velit assequamur. Optima autem inuestigandi Scripturarum harmoniam ratio illa est, qua ita media cum primis & vltimis componimus, & prima & vltima cum mediis coagmentare nitimur: vt indissolubilis omniũ inter se partium nexus, & cõsensio appareat. Quam si sequamur in hac etiam controuersia, dubiũ esse non potest, quin profligatis tandem ignorãtiæ tenebris, loci Paulini veræ interpretationis lumen nobis affulgeat. Perspicuum est igitur Apostolum toto ca. 14. in Corinthiorũ Pastores glorioſos inuehi, quòd linguarum dono abuterentur: ita vt præstantissimo munere ad cognitionem Euangelii concesso, magis ac magis populares suos, in fœda cœlestium arcanorũ ignorantia detinerent. Quod eò ita se habere probatur, quòd vbique Paulus

lus linguarum abusui Ecclesiæ intelligẽtiam, atque ædificationẽ opponat. Quamobrẽ efficitur omnia Pauli argumenta huc tendere, vt doceat ita linguas in Ecclesia esse recipiendas: vt populo nullam partem eorum, quæ in Ecclesia dicuntur eripiant. Tu verò mirificus Paulinæ mentis, atque sentẽtiæ interpres, dũ populi loco nescio quẽ ministrum substituis, totã contextus seriem, atque ordinem, turpiter hallucinando peruertis. Quid enim? an quũ vetat Paulus, linguas in Ecclesia sine interprete vsurpare, ne ædificatio, exhortatio, consolatio pereat: cõmentitio ministro tuo tantùm consulit? an quum appellat eum qui loquitur, barbarũ, eius ratione qui audit, nec intelligit, de populo non cogitat? an denique quum ait, se in Ecclesia malle quinque verba ex intelligentia sua loqui, quàm decem millia verborum lingua: non totius Ecclesiæ, sed vnius tantùm ministri curã suscipit, & quis aut adeò cæcus est, vt hæc ita se habere nõ videat: aut adeò pertinax, vt quum superiora concesserit, ad populum pertinere, de sola approbatione gratiarum actionis, nolit cõfiteri. Sed quid opus est, vt in re tam clara, & perspicua immorer diutiùs, quàm ipse Ledesima, totam Apostoli de linguarum vsurpatione tractationem, ad sacrorum celebrationem, nullo modo spectare, paulò antè negauerit.

IESVITA.

Nec desunt etiã qui probabiliter colligũt quoque ex eodẽ D. Pauli loco, iã tunc apud

Corinthios sacrum, & sacri benedictionem, fieri solitam non lingua vulgari, quamuis neque omninò peregrina, &c. sed quadam alia media, & communi docta scilicet lingua, quã minister intelligat, non populus. Nam quùm idiota sit ignarus, propriam tantum linguam cognouit, is qui supplet eius locum & scit respondere Amen, haud dubiè debet esse paulò peritior, quî videlicet linguam eâ, qua loquitur benedicus, aliquo modo nouerit, quã populus nesciat.

CHRISTIANVS.

Hoc additamentum Iesuiticæ subtilitatis non descripsissem, vt pote indignum cui respondeatur: nisi operæpretium me facturum existimassem, si quo iudicio boni isti doctores Scripturam interpretentur ostenderem. Itaque, vt verbo expediam, errores erroribus accumulant, & peritè admodùm ignota per ignotiora demonstrare conantur. Ex iis quæ modò diximus constat, implere locum idiotæ, idem esse, atque sedere inter idiotas: in omnibus enim cœtibus, qui quidẽ rectè atque ordine administrantur: & maximè in eis, qui coëunt verbi diuini audiẽdi, & participãdorum Sacramẽtorum gratia, eluceſcat oportet æquabilis, & inuiolata, eorum qui personam gerunt publicam, eorumque qui dũtaxat priuati habentur distinctio. Iidem ergò errores qui suprà quibus etiã noui sunt additi, quemadmodũ est solẽne omnibus ferè Iesuitis pro

ficere

ficere in deterius. Nam bella ista Ledesimæ argumentatio fallit ὡς τὸ ἐπὶ τοῦ ἐπὶ τοῦ: quia non sequitur si minister Ecclesiæ populo sit doctior, sacra in Ecclesia celebrari peregrina lingua. Quodnam .n. quæso, medium, tãta facultate pelliciendi præditum, inuenietur: quod isthæc duo extrema, tam inter se dissidentia conciliare vnquam possit. Deinde, nõ te pudet Academicam probabilitatẽ in augustissimum Theologiæ Sacrarium inuehere. Nos certis, stabilitis, æternis ἀμεταπτώτοις agere didicimus: & probabilia, vt quæ in vtramque partem inclinare possint, quùm de rebus quę ad fidem pertinent quæstionem instituimus, valere iubere.

Ad extremum alias obiectiones aliquot, tanquam à nostris hominibus propositas recenset, atque etiam dissoluere conatur Ledesima: in quibus quædam sunt ex Patribus depromptæ, quas cò non libet attingere, quòd meam disputationem, quemadmodum initiò sum pollicitus, autoritate vnius Scripturæ niti velim. Cæteræ autem ferè omnes sunt eiusmodi, vt appareat sibi monstrum, quo deuicto & profligato triumphum ageret Sophisticum, Ledesimam fabricatũ fuisse. Quãobrem ne tam facilem de nobis se victoriam reportaturũ speret, néue de inanibus spectris à se pro arbitrio exagitatis, vt pro excellenti humilitate sua, sæpe assolet, diutius sibi tàm molliter, támque adulatoriè blandiatur; quẽ-

admodum suprà disputatione ἀναστευαστικῇ mẽ dacium profligauimus, ita nunc etiam κατασκευαστικῇ methodo, veritatem asserere conabimur: ne caussari possit Iesuita, se argumenta firmiora quibus respondeat, nõ inuenire. Atque etiam vna eadémque opera lectori satisfaciemus, cuius fortasse patiẽtia diutius quàm oporteat abutimur: dũ propter ineptissimas Ledesimæ nostri argumẽtationes ieiuniùs detota controuersia differimus.

Nostram igitur hac de re sententiam, ita explicamus. *Quæcunque in Ecclesia Dei pronũtiantur, ea lingua pronuntiari debent, quæ possit à populo qui adest intelligi.* Cui Pontificiorum sentẽtia repugnat ἀπφατικῶς. Hęc autẽ est huiusmodi. *Quædã in Ecclesia Dei pronuntiantur, quæ pronuntiari ea lingua non debent, quæ possit à populo qui adest intelligi.* Harum autem ἀπφάσεων ex regulis τρόπῳ παιδείας, vnam tantùm esse veram necesse est, alteram verò falsam. Et quamuis, vt opinor, satis supérque disputatione ἀναστευαστικῇ falsitatẽ redarguimus, qua de medio sublata regnat & triumphat veritas: nihilominùs, ad vberiorem argumenti quod explicandum suscepimus illustrationẽ, hac etiã opera libentissimè defungemur. Itaque hîc primus afferatur ad constabiliendam veritatem Syllogismus.

ARGVMENTVM I.

Si omnes qui nomen Christo dederunt, Spi-

ritus Dei, ad legendam, atque intelligendam Scripturam exhortatur: & tum demum Scriptura legi, atque intelligi ab omnibus sine vlla exceptione fidelibus potest, quum ea lingua proditur, quæ quibuslibet Christianis nota sit, & familiaris: Certè Scriptura prodatur ea lingua necesse est, quæ quibuslibet fidelibus nota sit & familiaris:

Atqui omnes qui nomen Christo dederũt Spiritus Dei, ad legendã atque intelligẽdam Scripturam exhortatur: & Scriptura legi atq; intelligi ab omnibus Christianis non potest, nisi ea lingua prodatur, quæ quibuslibet Christianis cognita sit & perspecta:

Ergò Scriptura prodatur necesse est, lingua quibusuis Euãgelium Christi amplexis nota, & familiari. & δυνάμει τῆς ἀκολουθήσεως, quũ vna eadẽque lingua, quæcunque tandem illa sit, omnibus qui vbique terrarum agunt fidelibus, perspecta esse non possit: eruditæ atque piæ sacrarum literarum versiones instituẽdæ sunt, quò grauissimæ illi quæ ex varietate linguarum oritur incommoditati subueniatur.

Excutio argumentum. Est autem Syllogismus hypotheticus κατὰ ποιότητα: quo Syllogismorum genere, atque adeò hypotheticis omnibus, Theologi æquè vti solent ac δεικτικοῖς argumẽtis: modò hypotheses non sint probabiles, verùm Analyticæ, atque adeò ex purissimis Prophetarum & Apostolorum thesauris depromptæ.

Hypothetici autem connexi veritas per se

lucet. Nam quum verba sint rerum notæ, si quid verbis designetur, nos intelligere oporteat, verba ipsa primùm intelligenda sunt necessariò: vt ea demum ratione ad rerum cognitionem perueniamus. Quod quum experientia quotidiè comprobet, argumentis cõfirmare velle, perquàm esset ridiculum.

Τὸ μεταλαμβανόμενον habet duo membra. Primum est: *Spiritum Dei omnes Christianos adhortari, ad legendam atque intelligendam Scripturam.* At istud ipsum euidentissimè, hisce testimoniis Sacrarum literarum euincitur.

Quum perlecta fuerit apud vos epistola, facite vt etiam in Laodicẽsium Ecclesia recitetur: & eam quæ scripta est Laodiceæ, vt vos quoque legatis. Col. cap. 4. ver. 16.

Adiuro vos per Dominum, vt recitetur hæc epistola omnibus sanctis fratribus. 1. Thes. cap. 5. vers. 27.

Igitur fratres perstate, & retinete traditam doctrinam, quam edocti estis siue per sermonem, siue per epistolam nostram. 2. Thes. cap. 2. ver. 15.

Quapropter omisso qui in Christo rudes inchoat Sermone, ad perfectionem feramur: non iacientes rursum fundamentũ resipiscentiæ, ab operibus mortuis, & fide in Deum, Baptismatum doctrinæ, ac manuum impositionis, & resurrectionis mortuorum & iudicij æterni. Heb. cap. 6. vers. 1. & 21.

Et habemus firmissimum sermonem Propheticum: cui rectè facitis quòd attẽdatis, velut lucernæ splendenti in obscuro loco, vsque dum dies illucescat, & lucifer exoriatur in cordibus vestris. Si illud primùm noueritis, nullam prophetiã Scripturæ esse propriæ explicationis. Non enim libidine hominis allata est olim prophetia, sed acti à Spiritu sancto loquuti sunt Sancti Dei homines. 2. Petr. cap. 1. v. 19. 20. & 21.

Hasce iam alteras vobis literas scribo, dilecti, quibus sinceram vestram mentem, per commonefactionem excito: Vt memores sitis verborũ, quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis, & doctrinæ illius nostræ, qui sumus Apostoli Domini & Seruatoris. ib. cap. 3. v. 1. & 2.

Prope te verbum est in ore tuo & in corde tuo, hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Rom. 10. v. 8. & Deut. cap. 30. ver. 14.

Nam quæ antè scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam, & cõsolationem Scripturarũ spem habeamus. ib. cap. 15. v. 4.

Scrutamini Scripturas. Iohannis cap. 5. v. 39.

Propterea & nos, ex quo die id audiuimus, nõ desinimus pro vobis orare, & petere vt impleamini omni agnitione voluntatis eius, cum omni sapientia & intelligentia spirituali. Col. cap. 1. vers. 9. Postremò satis supérque Apostolicarum Epistolarum, quibus omnia fidei nostrę mysteria continẽtur, inscriptiones atque exordia demonstrant ad quoslibet Christianos Euangelicæ doctrinę cognitionem atque intelligentiam pertinere: vt exempli gratia. Rõ. cap. 1. v. 7. 1. Cor. cap. 1. ver. 2. Eph. cap. 1. vers. 1. Iac. cap. 1. vers. 1. 1. Petr. cap. 1. vers. 1. & 2. & alibi passim.

Assumptionis membrum posterius est huiusmodi. *Ab omnibus, qui vbiq́, sunt, Christianis legi, atque intelligi nequeũt sacræ literæ, nisi ea lingua prodãtur, quæ sit omnibus sine vlla exceptione cognita* quod certe ita clarũ est, vt probatione non indigeat: quam ipsi etiam Pontificij non requirunt à nobis. Vltrò enim fatentur, se linguam populo minimè intellectam, in celebratione Sacrorum, & lectione Scripturarum vsurpare: ne premenda silentio arcana, passim omnibus innotescant. Tenet igitur argumenti nostri Conclusio. At Conclusionis ἀκολούθησις est longè manifestissima. Nempè, *Quum vna lingua, quæcunque tandem illa sit sufficere omnibus Christianis ad Scripturarum cognitionẽ nequeat, eruditas & pias sacrorũ Bibliorũ versiones instituendas esse.* Quis enim nõ facilè videt, quũ in vniuerso terrarũ orbe, sit penè infinita linguarum multitudo, nec quibusuis hominibus cõtingat, vt alio idiomate quàm patrio vel loqui, vel intelligere possint, nedũ vt in vnam quampiam linguam, fideliũ vniuersitas consentiat (quis enim vnquam omnes quicunque sunt vbique fideles, ad vnam eandemque linguam addiscẽdam adegit, aut adigere potuit, aut etiam seculis, quæ ad consummationem vsque mũdi consequentur poterit) certè si ad legendam atque cognoscendam Scripturã, omnes Christianos Dei Spiritus excitat, & vna lingua Christianis omnibus familiaris esse non potest, quis non facilè inquam videt, non modò connexum hypothe-

theticum à nobis propositum, veritatem fortissimè adstringere, sed etiam ipsius Syllogismi consequutionem esse omninò necessariam.

ARGVMENTVM II.

Si eadem est doctrina Euangelij, quam Apostoli dum viuerent, quibuslibet populis familiari, & cognita dialecto prædicarunt, quamque posteà literis mãdarunt: neque vlla dissimilitudinis vera, & Theologica reddi ratio possit, cur Euangelium linguis omnibus voce promulgare liceat, scriptis mãdare non liceat: certè omnibus linguis Euangelij doctrinam conscribere fas erit.

At eadem est doctrina Euãgelij, quam Apostoli dum viuerent, quibuslibet populis familiari & cognita dialecto prędicarũt, & posteà literis mandarũt: neque vlla dissimilitudinis vera, & Theologica reddi ratio potest, cur Euangeliũ linguarum omnium vocibus prædicare liceat, conscribere non liceat:

Ergò Euangelij doctrinam omnibus linguis conscribere fas erit.

Excutio argumentum. Connexi hypothetici veritas lucet sua luce. Siquidem nemo est tam nõ dico bonarum artium imperitus, sed communis etiam sensus expers, qui non sua sponte fateatur de eisdem idem esse pronuntiandum. Iam si rerum ipsarum ἰσότιμον spectes, profectò eadem Apostoli voce prædicarunt, & literarũ monumentis prodiderunt ad me-

moriam sempiternam. Quî fit etiam nulla vt dissimulitudinis ratio vera excogitari possit, cur Euangelij doctrinam publicare omnium linguarum vocibus oporteat, literis non oportet.

Assumptum duobus membris continetur. Prius est, *Apostolos quorumlibet populorum lingua Euangelij doctrinam prædicasse, & posteà literis mandasse.* Hoc membrum duabus etiã partibus constat, quarum prior est. *Apostoli quorumlibet populorum lingua Euangelium prædicarunt.* Posterior est autem huiusce modi: *Apostoli Euangelium literis prodiderunt.* Ex quibus tota efficitur comprehensio: quæ ad hunc modum se habet. *Idem penitus Euangelium Apostoli & omnibus populis familiari & cognita dialecto prædicarunt, & posteà literis mandarunt.* Itaque si comprehensionem confirmauerimus, satis superque reliquę partes duæ confirmabuntur. Quàm illã autem vera sit, atque Analytica demonstrabunt euidentissimi aliquot Scripturarum loci, ne (quemadmodũ obliuiosi solent Iurisconsulti sine lege loqui) nos etiam in Theologia sine Prophetarum, & Apostolorum autoritate potiùs ineptè garrire, quàm legitimè ac verè disputare videamur. Prodeant igitur maiora omni exceptione testimonia.

Quoniam multi aggressi sunt componere narrationem earum rerum, quarum plena fides nobis facta est: Prout tradiderunt nobis qui à principio spectatores ipsi, & ministri fuerunt sermonis. Vi-

Visum èst etiam mihi, omnia alitè repetita penitus consequuto, ordine de ijs ad te scribere, præstantissime Theophile: Vt agnoscas earum rerum veritatem, quas auditione accepisti. Luc. cap. 1. ver. 1. 2. 3. & 4.

Profecti ergo docete omnes Gentes, baptizate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: Docentes eos seruare omnia quæ mandaui vobis. Matth. cap. 28. ver. 19. & 20.

Sic de nobis reputet homo vt de ministris Christi, & dispensatoribus mysteriorum Dei. 1. Cor. cap. 4. ver. 1.

Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. ib. cap. 11. ver. 23.

Tradidi enim vobis in primis quod & acceperam, Christum videlicet mortuum esse pro peccatis nostris secundum Scripturas: Et sepultũ fuisse, & excitatum tertio die secundum Scripturas: & visum fuisse Cephæ, deinde duodecim illis &c. ib. cap. 15. ver. 3. & 4.

Ex quo perlecto potestis intelligere, quæ sit mea intelligentia in mysterio Christi, Quod aliis ætatibus non innotuit filijs hominum &c. Gentes videlicet esse cohæredes & concorpores, &c. Eph. cap. 3. ver. 4. 5. & 6.

Quapropter non negligam, vos de istis semper cõmonefacere, quãtumuis peritos, & confirmatos in præsente veritate. Iustũ enim arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo, excitare vos per cõmonefactionẽ: quũ sciã breui futurũ, vt deponã hoc tabernaculũ meum &c. Sed & studebo subinde, vt

vos possitis post exitum meum, horum mentionem facere. 2. Petr. cap. 1. v. 12. 13. 14. & 15.

Ideò testor vobis hodierno die, me purũ esse à sanguine omnium: Non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne Dei consilium. Act. Apost. cap. 20. ver. 26. & 27.

Tota Scriptura diuinitùs est inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia: Vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfectè instructus. 2. Tim. cap. 3. ver. 16. & 17.

Horum inter se duorum, qui proximè antecedunt, locorum accurata collatio, tam aperte id, quod suscepimus probãdum efficit, nihil vt desiderari euidentiùs possit, aut neruosiùs. Nam si omne consilium Dei Apostolus Ephesiorum Ecclesię declarauit: profectò nihil eorum prætermisit, quæ ad salutem cõsequendam requiruntur necessariò. Item, si vt perfectè instruatur homo Dei, ad omne opus bonum, Scriptura est diuinitùs inspirata, procul dubiò vniuersa illa complectitur, quæ tùm credere debemus, tùm agere, vt tãdem fiamus æternæ vitę compotes. Denique si res ad hũc modum se habet, vt omnia quæ sunt ad salutem necessaria, & viua voce Apostoli docuerint, & in Scriptura extent: concedamus necesse est, vnam eandemque doctrinam Apostolos, dum versarẽtur in terris voce prædicasse, & literis mandasse. At excipient Pontificij, Paulum hîc non agere de doctrina Noui, sed de Veteris Testamenti: & propterea me rectè atque ordine non facere,

cere, qui Apostoli sententiam ad scripta vtriusque Fœderis porrigam. Respondeo, nõ curare Pontificios quid dicant, modò aliquid dicant. Quibus enim argumentis eruditi homines isti adducuntur, sibi vt persuadeant, aut nulla quum posteriorem ad Timotheum Paulus in manibus haberet, scripta extitisse Apostolica, aut suas collegarúmque suorum Epistolas, & cætera quæ tunc legebãtur Noui Testamenti monumenta, de Scripturæ diuinitùs inspiratæ Catalogo Apostolum deleuisse. Nam si paulò accuratiùs temporum rationem ineamus quum posteriorem ad Timotheum Paulus scriberet, Nouum penè Fœdus omnibus erat suis partibus atque numeris absolutum. Scripsit enim alteram ad Timotheum Apostolus Romę, quum diu asseruatus in vinculis, martyrij coronam appropinquantem præsentiret, quemadmodum liquet ex 2. Tim. cap. 1. ver. 8. & cap. 4. ver. 16. & 17. At iam ferè omnes Epistolæ Apostolicæ manibus Christianorum terebantur. Deinde non animaduertunt triobolares isti Sophistæ, Noui atque veteris Testamenti doctrinam ipsa re non differre, sed vtriusque Fœderis hanc esse inter se differentiam, vt ea quæ pro temporis ratione Moses atque Prophetæ obscurius tradiderant: exorto veritatis Sole splẽdidissimo, & arcanis cœlestibus euidentissimè patefactis, Apostoli atque Euangelistæ illustrius proderent.

Posterius Assumpti membrum ita se ha-

bet. *Nullam excogitari posse dissimilitudinis Analyticam rationem, cur vnam eãdemque doctrinam, omnibus linguis voce publicare ius fásque sit, quorumlibet autem populorum literis prodere sit nefas.* Quam dissimilitudinis rationẽ, quum ipsi non afferant Pontificij, nec porrò etiam afferre possint omnibus assumpti partibus confirmatis, ac necessitate Cõnexi hypothetici demonstrata fortissimè veritatem amplectitur argumenti nostri Conclusio.

ARGVMENTVM III.

Si quòd ad cognitionem mysteriorum cœlestium attinet, hodiè Christiani sunt meliore conditione, quàm erant olim Iudæi: & Iudæi lectione familiari sacrarum literarũ publicè ac priuatim vtebantur: certè Christiani lectione familiari sacrarum literarum publicè ac priuatim vti debent: Atqui quòd ad cognitionem mysteriorum cœlestium attinet, hodiè Christiani sunt meliore conditione, quàm olim erant Iudæi: & Iudæi &c.

Ergo Christiani lectione familiari sacrorum Bibliorum publicè ac priuatim vti debent.

Connexum hypotheticum confirmat vis comparationis: quam argumentandi rationem, Theologicis tractationibus esse accõmodatissimam, Christus & Apostoli suo exemplo luculentissimè comprobarunt, vt qui frequenter illa vtantur.

Τὸ μεταλαμβανόμενον ita est perspicuum iis omnibus, qui Theologiam vel primoribus labris attigerunt, vt probatione nulla opus esset, si in homines incidissemus, qui ea, quæ clara sunt & illustria vellent intueri. Hęc igitur testimonia, omni exceptione maiora, in medium proferimus, ὡς τῶν ἡμῶν δόγματος ὄντων, quibus pars prior assumpti εἰς ἀμετακίνητον πίστει.

Amen dico vobis multi Prophetæ, & iusti desiderarunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Matth. cap. 13. vers. 17.

Ex quò perlecto potestis intelligere, quæ sit mea intelligentia in mysterio Christi, quod aliis ætatibus non innotuit filijs hominum, vt nunc retectum est sanctis eius Apostolis, & Prophetis per Spiritum. Eph. cap. 3. vers. 4. & 5.

De qua salute inquisierunt, & quã scrutati sunt Prophetæ, qui venturam in vos gratiam prædixerũt: Scrutantes in quem, aut cuiusmodi temporis articulum, prænuntius ille qui in ipsis erat Spiritus Christi, declararet euẽturas Christo perpessiones, & gloriam illas consequuturam. Quibus patefactum est, eos non sibi, sed nobis ea administrare, quæ nunc annuntiata sunt vobis, per eos qui vobis prædicarunt Euangeliũ, per emissum è cœlo Spiritum sanctum, in quæ desiderant Angeli introspicere. 1. Petr. cap. 1. v. 10. 11. & 12.

Postquàm venit fides non amplius sub pædagogo sumus. Gal. cap. 3. ver. 25.

Amen dico vobis, non est suscitatus inter eos qui gignuntur è mulieribus, quisquam maior Iohanne Baptista, sed qui est minimus in regno cœlorum, maior eo est. Matth. cap. 11. vers. 11.

Lex enim obtinens vmbram futurorum bonorum, non expressam formam rerum &c. Heb. cap. 10. vers. 1.

Multis vicibus, multisque modis olim Deus loquutus est Patribus in Prophetis, vltimis diebus hisce loquutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem omnium &c. Hebr. cap. 1. v. 1. & 2.

Vt consolationem accipiant eorum corda, ipsis charitate compactis, & omni opulentia certò persuasæ intelligentiæ ad cognitionem mysterij Dei, & Patris & Christi: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac cognitionis absconditi. Col. cap. 2. vers. 2. & 3.

Et sine controuersia magnum est pietatis mysterium: Deus conspicuus factus est in carne, iustificatus est in Spiritu, conspectus est ab Angelis, prædicatus est in Gentibus, fides illi habita est in mundo, sursum receptus est in gloriam. 1. Tim. cap. 3. vers. 16.

Posterius autem membrum, videlicet, *Iudæos familiari lectione sacrarum literarum, & publicè, & priuatim esse vsos:* hi loci extra omnem dubitationis aleam constituunt.

Non enim qui audiunt legem, iusti sunt apud Deum, sed qui legem præstant iustificabuntur &c. Ecce tu cognominaris Iudæus, & acquiescis in Lege, & gloriaris in Deo, & nosti eius voluntatem, & exploras quæ discrepant institutus ex Lege. Rom. cap. 2. v. 13. 17. & 18.

Post lectionem autem legis & Prophetarũ miserunt præfecti Synagogæ ad eos. Act. Apost. cap. 13. ver. 15.

Moses enim ab ætatibus antiquis, in singulis ciuitatibus habet qui ipsum prædicent, quũ in Synagogis per singula Sabbatha legatur. ib. cap. 15. vers. 21.

Sed ad hunc vsque diem, quum legitur Moses, velamen eorum cordi impositum est. 2. Cor. cap. 3. vers. 15.

Eruntque verba hæc, quæ ego tibi præcipio hodie, in corde tuo, Et narrabis ea filijs tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, & cum ibis cubitum, & quum surges, Et ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntque & mouebuntur inter oculos tuos. Scribesque ea in limine, & ostijs domus tuæ. Deut. cap. 6. vers. 6. 7. 8. & 9. & cap. 11. vers. 18. Manet igitur firma & ἀμετάπτωτος argumenti nostri complexio.

ARGVMENTVM IIII.

Si Christianæ omnes Ecclesiæ Prophetarum & Apostolorum doctrinam eodem iure participant: & Hebræa, Græca, & Latina Ecclesia familiari sua dialecto, in legẽdis rebus Sacris vtũtur: profectò etiam reliquæ omnes Ecclesiæ, familiari suo idiomate, in legendis rebus sacris vti debent.

Verum est Antecedens:

Verum igitur & Consequens.

Connexum per se patet propter euidentiam ταυτότητος. Prius Antecedentis membrum cõfirmatur his locis.

Non est personarum acceptio apud Deum. Rom. cap. 2. vers. 11.

An Iudæorum Deus est solum? an non & Gẽtium? certè & Gentium. Siquidem vnus Deus est, qui iustificabit circuncisionem ex fide, & præputium per fidem. ib. cap. 3. v. 29. & 30.

Mihi longè minimo omnium sanctorum data est hæc gratia, euangelizandi inter Gentes imperuestigabiles illas opes Christi: Et in lucem proferendi omnibus, quæ sit communio mysterij, quod erat absconditum à seculis in Deo, qui omnia hæc condidit per Iesum Christum. Eph. cap. 3. vers. 8. & 9.

Profecti ergò docete omnes Gentes, &c. Docẽtes eos seruare omnia quæ mandaui vobis. Matt. cap. 28. vers. 19. & 20. Posterius membrum ipsi concedunt Pontificij: quare non est de Conclusionis veritate dubitandum.

ARGVMENTVM V.

Si omnes qui Euangelij doctrinã sunt amplexi solidè ac vtiliter ex doctrina Euangelij, tum redarguendi sunt, tùm in vera pietate confirmandi: & qui ex doctrinæ cuiusdam præceptis solidè ac vtiliter refelluntur & cõfirmantur, habeant necesse est doctrinam illam, cùm eo qui se refellit & confirmat communem: & omnes qui nomen Euangelio dederunt, Euangelij doctrinam cum suis Pastoribus, reliquisque à quibus redargui, & confirmari solent, tunc demum habere communem

nem possunt, quum ea lingua proditur Euãgelium, quam ipsi intelligant: Certè prodendum est tot linguis Euangelium, quot Christiani omnes aut vtuntur, aut saltem intelligunt.

Verum est Antecedens:

Verum igitur & Consequens.

Connexum hypotheticum lucet sua luce: nã quum sit homo ita rationis particeps, vt facillimè aut sua ipsius cæcitate, aut ementitis argumentationibus in errorem abripi possit: adeò vt vel si tantillum suæ imbecillitatis cõscius, humani naturam ingenij examinet, ab omnibus ferè tùm suis, tùm alienis rationibus assensionem cohibeat: nisi certissimę cuiusdam scientiæ præceptis benè intellectis & cognitis innitantur. Quòd si locum habet istiusmodi argumẽtatio, in omnibus reliquarum artium & scientiarum tractationibus: maximè obtinebit, quum de Theologia mẽtio incidit, quæ humanam intelligentiam tãto interuallo superat, vt à se ipsa modò verè atque Analyticè confirmari possit. Nec intereà periculum est, ne si veritas & mẽdacium inter se conferantur, mendacio veritatem inferiorem esse ducamus. Etenim cùm per se clara est atque illustris, & secum optimè consentiens, tùm apud eos, qui nomen Christo dederunt, tam efficaciter ἐνεργεῖ, vt latere non possit. At perspicuum est, nullam inter eos esse communitatem doctrinæ, quorum

alter linguam non intelligit, qua illius doctrinæ, de qua instituta est quæstio præcepta continentur. Tria autem sunt Antecedentis mẽbra quorum primum hi loci demonstrant.

Tota Scriptura est diuinitus inspirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem quæ est in iustitia. 2. Tim. cap. 3. vers. 16.

Magna enim contentione Iudæos, magis ac magis redarguebat publicè, ostendens per Scripturas Iesum esse Christum illum. Act. Apost. cap. 18. vers. 28.

Quum igitur constituissent ei diem, venerunt ad eum in hospitium complures, quibus cum testificatione exponebat regnum Dei, suadens eis, quæ de Iesu Christo sunt, ex Lege Mosis & Prophetis, à manè vsque ad vesperam. ib. cap. 28. ver. 23. Quid de Apostolorum ac Euangelistarum, atque adeò ipsius Christi perpetua consuetudine pluribus commemorabo? quorum alteri quum vt à Deo ipso ad publicandũ Euangelium ἀμέσως tũ excitati, tum edocti, autoritatis ad eorum quæ proponebant cõfirmationem satis habebant: alter autem Deus & homo quum esset, atque ideò verba sua nulli probare, sed omnibus strictè imperare posset, Scripturarum nihilominùs testimoniis eos, quibuscum disputationem instituerant, refellere non sunt grauati. Secundum membrum ita habet. *Qui solidè atque vtiliter ex doctrina cuiusdam præceptis refelluntur, & confirmantur, habeant necesse est, doctrinam cum illo qui ipsos refellit & confirmat cõmunem.* Frustra enim ἀνεπιστήμονα ex Grãmaticæ, ἀγεωμέτρητον ex Geometriæ, ac multò magis ἀθεόλογον ex Theologiæ præceptis ac legibus refellas Quinetiã superiores loci exẽplis Seruatoris atque Apostolorum cumulati, hoc etiam membrũ apertissimè comprobant. Tertium & vltimum restat, quod demonstratione non indiget, quũ satis superque tum sua luce luceat, tum à nobis paulò antè sit extra omnem dubitationem collocatum.

ARGVMENTVM VI.

Si non est vertenda Scriptura, aut non est vertenda quòd verti non possit, aut non debeat: Atqui & verti potest ac debet: vertenda est igitur.

Connexum est firmissimum, propterea quòd diuisioni perfectæ innitatur. In assumptione duo expendenda sunt, nimirum Scripturam verti & posse, & debere. Quin verti possit, nemo vnquam nisi valdè impudens negauerit. Nam & Græcè & Latinè, & Syriacè, & Gallicè, & Germanicè, & ne singula persequar, in linguas penè innumerabiles Scriptura est conuersa. Sed obiicient Pontificij malè conuersam esse. Quasi verò aut Græca, aut Latina interpretatio, quibus nunc vtimur, quáque isti boni viri tantoperè suspiciunt, ita sint emendatæ, nihil vt desiderari possit perfectius. De nostrorum hominum versionibus, quid sentiam, ingenuè fum

professus, quas tamen multò facilius μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. At verti non debet Scriptura. Quid ita? Nónne Græcam versionem, dum ea vtuntur, Apostoli comprobarunt? At Græcè & Latinè verti debuit, Gallicè autem & Germanicè, &c. non debuit. Hoc verò est principium, vt loquuntur Dialectici petere, atque adeò ineptissimè ἀδιαλεκτῶν. optimè igitur cum medio argumẽti nostri, cohęret complexio.

ARGVMENTVM VII.

Si omnes Christiani probare debent eorum, qui se docere pietatem profitentur, Euangelij prædicationem, & tum demum Euangelij prædicatio probari potest, quum ad verbum Dei exigitur: & illi tãtùm verbo Dei ad quoduis dogma probandum, rectè atque ordine vti possunt, quibus verbum Dei est cognitum & familiare: profectò Christianis omnibus verbum Dei esse cognitum debet ac familiare.

Verum est Antecedens:

Verum igitur & Consequens.

Connexum patet, ex eorum relatorum natura, quæ vt τὸ μέτρον πρὸς τὸ μετρητὸν inter se affecta sunt. Primum assumpti membrum hi loci confirmant.

Omnia explorate, quod bonum fuerit retinete: 1. Thes. cap. 5. vers. 21.

Dilecti ne cuiuis Spiritui credite, sed probate Spiritus, an ex Deo sint: nam multi pseudoprophetæ venerunt in mundum. 1. Ioan. Cap. 4. vers. 1.

Cauete

Cauete vobis à pseudoprophetis. Matth. cap. 7. vers. 15.

Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concionem. Phil. cap. 3. ver. 2. Secundum ex eorum locorum veritate pendet.

Si quis vobis euãgelizauerit, præter id quod accepistis, anathema esto, Gal. cap. 1. vers. 9.

Vt discatis supra id quod scriptum est non sapere. 1. Cor. cap. 4. vers. 6.

Ad legem & testimonium. Si non dixerint iuxta hoc verbum nihil habent lucis. Es. cap. 8. vers. 20. Tertium in controuersia non est positum: tenet igitur conclusio.

ARGVMENTVM VIII.

Cuiuscunque rei cognitio, est omnibus Christianis ad salutem necessaria, eam Christiani omnes cognoscant necesse est: Scripturarum cognitio est omnibus Christianis ad salutem necessaria: Scripturas igitur Christiani omnes, cognoscant necesse est.

Syllogismus Epagogicus per se patet. Propositionis quoque veritas non indiget probatione. Assumptio abundè supra est confirmata, cuius etiam hi loci erunt obsides.

Hæc autem scripta sunt, vt credatis Iesum esse Filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Iohan. cap. 20. ver. 31.

Hæc autem omnia typicè eueniebant eis, scripta verò sunt ad nostri admonitionem, in quos fines seculorum occurrerunt. 1. Cor. cap. 10. ver. 11.

Tuque à puero sacras literas nouisti, quæ te possunt sapientem reddere in salute per fidem quæ est in Christo, Iesu. 2. Tim. cap. 3. v. 15.

Dilecti quum omne studium adhibeam, vt scribam ad vos de communi salute, necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos, vt decertetis pro fide, quæ semel tradita est sanctis. Iud. cap. vn. vers. 3. vera igitur est conclusio.

ARGVMENTVM IX.

Quidquid omnes Christianos alloquitur, ab omnibus Christianis debet intelligi: Scriptura omnes Christianos alloquitur: Scriptura igitur ab omnibus Christianis debet intelligi.

Syllogismus patet in prima figura structus. Maior est huiusmodi vt negari non possit: quæ & hoc Pauli testimonio commendatur. *Nisi sciero vim vocis ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur apud me barbarus fuerit.* 1. Cor. cap. 14. ver. 11. & paulò antè idem Apostolus, nimirum vers. 9. *Ita & vos, nisi per linguam, benè significantem sermonem edideritis, quomodo intelligetur quod dicitur, eritis enim in aerem loquentes.* Minor euincitur inductione locorum penè innumerabilium, quibus omnes hominum ordines Scriptura compellat. Nec ipsi Pontificij, quin res ita se habeat inficiari solent. Quare de eius Syllogismi veritate non est dubitandum. Et quoniam tùm quæ proximè antecedit, tùm illa, quam hîc declaramus

mus argumentatio procedere nequit, nisi vertēdam esse in omnium populorum linguas, qui Euangelium amplexi sunt, Scripturā concedamus: si quæ necessariò antecedunt, vera esse confiteamur, fieri non potest, vt eorum quæ consequuntur necessariò, veritatem eleuemus.

ARGVMENTVM X.

Si doctrina Euangelij est cum Christianis omnibus eodē iure communis: certè ipsum quoque Euangelium est cum Christianis omnibus commune.

Connexum hypotheticū per se lucet propter rationem eius rei, quæ cū aliquibus eodem iure communis est. Quînam enim æquabilis communitas illa potest intelligi, quæ ab aliis participatur, ab aliis verò nequaquā, aut ex arbitrio sæpe parum fideli sociorum, inæquali certè participatur? Antecedētis necessitatem ipsa Euangelij materia demonstrat. Nemo enim Christiani nomen sustinere potest, qui non ea de Christo sentiat, de hominis corruptione atque liberatione à peccato, déque reliquis ad salutem pertinētibus, quæ in Scriptura explicantur. At fortasse obijcient Pontificij communem quidem esse cum omnibus Christianis Euangelij doctrinam, sed non eodem iure. Qui verò istud probant? Quum enim doctrinæ communitatem ex literis sacris cōfirmauerimus, suā illi exceptionem ex eadem scientia con-

ſtituant neceſſe eſt. Verum enimuerò vt cum iſtiuſmodi hominibus ſummo iure non experiar, omnem rixandi anſam præcidere decreui, & bellam exceptionem illam, antequã in lucem prodeat elidere. Audiamus igitur Paulum ita omnes fideles, ad participationẽ omnium arcanorum cœleſtium excitantem, vt eadem opera Pontificiorum ſophiſmata, de diſſimili participatione, quam inter Chriſtianos habere locum illi falſò exiſtimant, refellat.

Non ſubterfugi quominus annuntiarem vobis omne Dei conſilium. Act. Apoſt. cap. 20. v. 27.

Gratias ago Deo meo ſemper de vobis, ob gratiã Dei quæ data eſt vobis in Chriſto Ieſu: Quod in omnibus ditati ſitis in ipſo, omni loquendi facultate, omnique cognitione: Prout teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis. Adeò vt nullo quod Deus gratificatur deficiamini &c. 1. Cor. cap. 1. v. 4. 5. 6. & 7.

Propterea & nos, ex quo die id audiuimus nõ deſinimus pro vobis orare, & petere vt impleamini omni agnitione volũtatis eius, cum omni ſapientia & intelligẽtia ſpirituali. Col. cap. 1. v. 9.

Myſterium illud abſcõditum fuit à ſeculis & ætatibus, nunc autem patefactum eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notum facere quæ ſint diuitiæ glorioſi huius myſterij inter Gẽtes, id eſt Chriſti inter vos, qui eſt ſpes illa gloriæ: Et quem nos annuntiamus admonentes quoſuis, & quoſuis erudientes omni ſapientia, vt quoſuis ſiſtamus perfectos in Chriſto Ieſu. ib. cap. 1. v. 26. 27. & 28.

Huc

Huc & afferri alia multa poſſunt argumẽta, & præſertim ea, quæ leguntur apud Paulũ in priore ad Corinthios cap. 14. ſed tẽperare decreui, ne lectoribus tot congerendis argumentationibus faſtidium pariam, quùm res ipſa per ſe ſatis ſuperque ſit cognita, & modò æquum afferant iudicium ipſis etiam Pontificiis probata & demõſtrata. Supereſt igitur, quoniam ad omnes verbum Dei pertinere luculentiſſimis & firmiſſimis rationibus euicimus: vt qui antè in tenebris pluſquã Cimmeriis verſabãtur, ad tantum ſplendorem oculos aperiant, & de recuperata luce ſibi gratulentur, agántque Deo gratias, de vitáque ad præſcriptum diuini verbi exigenda, repudiatis erroribus ex humano capite promanantibus, tandem admoniti ſeriò cogitent.

FINIS.

THEOLOGICAE DISPVTATIONIS DE ECCLESIA IN THESES DISTRIBVTAE, QVAS IN ACADEMIA Mussipontana, anno supra milleſimum & quingenteſimum octuageſimo, publicè defendit Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus D. CAROLVS A LOTARINGIA, Cardinalis Vademontanus: præſide ac moderatore LVCA PINELLO, Monacho nouæ ſocietatis, quam inſigni cum blaſphemia, ſocietatem Ieſu appellant:

TH. Q. T. perſpicua & breuis ANALYSIS ET REFVTATIO.

THESIS I.

IN hac diſputatione, quæ de Eccleſia, vt de nobili vberiq. materia inſtitui tur, multa quidem vltrò citróque afferri poſſent. Ad hanc enim reliquæ quæſtiones, quæ in dies ab hæreticis ad conuellendam veritatem excitantur, tanquam ad totius fidei Catholicæ caput referuntur. Nobis tamen conſilium eſt quatenus diſputationis ratio pa-

tietur illud potissimũ indagare: Quęnã,& penes quos sit Ecclesia Christi.Hęc enim res benè perspecta innumeris aliis controuersiis lucem afferet non mediocrem.

ANALYSIS.

Duo continentur in superiore Thesi, ad vnũ eundęq; scopũ argumenta collimantia,quę vt euidẽtiùs in omniũ oculis versentur,ita retexam.

Theologica disputatio,ad quam reliquæ omnes quæstiones,tanquã ad totius Catholicæ fidei caput referũtur,latissimè patet: Ad Theologicam disputationẽ de Ecclesia, reliquæ omnes quæstiones,tanquã ad totius fidei Catholicæ caput referuntur: Quare Theologica disputatio de Ecclesia latissimè patet.Item.

Si potissimùm illud est indagandũ, quod innumerabiles cõtrouersias illustrat:& illa quæstio,Quænã & penes quos vera sit Ecclesia,innumerabilibus controuersiis lucẽ affert:profectò illa quæstio, Quænã,& penes quos vera sit Ecclesia,potissimùm indaganda est.

REFVTATIO.

Quum de vera fide, veraq; religione mẽtio incidit,solent Pontificij controuersiæ statum, ad quæstionẽ de Ecclesia reuocare: propterea quòd se probabiliùs ementitæ antiquitatis velo,quàm fallacium argumẽtationum inuolucris, Romanæ synagogæ portẽta celaturos arbitrentur.Nec homines acutos fefellit omninò iu-

nò iudiciũ.Testantur enim nostra hæc tempora, luctuosis ac tristibus exemplis refertissima, multò plures alioqui rerum ad salutẽ æternam spectantium,penitùs non ignaros, in disputatione de Ecclesia,vel naufragiũ fecisse:vel saltẽ illa ex controuersia colorẽ quęsiuisse, quo suã apostasiã illinerent:quã ex reliquis ferè omnibus quæ inter nos atq; Põtificios, multũ diúq; fuerunt agitatæ.Quãobrem accuratè dispicien dũ est,quonã illa fundamento nitatur, & quibus argumentis: vt qui tã facilè sibi patiuntur imponi,clarã atq; illustrẽ, & in omniũ oculis positã veritatẽ conspiciant: quæ quũ suapte natura effulget,tùm si cũ falsitate cõparetur nitidior eluceſcit,&pulchrior.Qui autẽ sibi tàm diluto,atq; euanescenti fuco blandiuntur,agnoscant se non modò suam turpitudinẽ occulere non posse:verumetiam eo deformiorẽ efficere quò cũ maiore improbitate coniuncta est. Et quoniam mihi persuadeo Illustrissimũ Principẽ Carolũ à Lotharingia, vt sentiat ita & loqui,Lucam autẽ Pinellũ veteratoriè caussam agere:meã orationẽ ad hunc modum tẽperare decreui, vt nec Illustriss.Principem, quatenùs institutæ disputationis ratio,&veritas patietur offendã:nec malitiosam Lucæ Pinelli veteratoris Iesuitæ calliditatẽ inultam esse sinam. Res autem ita se habet. Quum optimè intelligant Pontificij, quod & nostris sæpè temporibus maximo rerum suarum periculo experti sunt: si sua dogmata cum scripturarum veritate comparari sustineant, falsitatem eueſtigio de-

prehensuram iri: vafrè sibi se cauisse opinantur, si excipiant, frustrà disputationem institui de erroribus Ecclesiæ Romanæ, quæ quum vera sit Ecclesia Christi, errare non possit. Nos istiusmodi exceptionẽ & τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖσθαι, & alienam esse à quæstione proposita dicimus, & ita demonstramus. Vera fides & vera Ecclesia sunt inter se indissolubili nexu copulatæ, in numeroq. τῶν ἐπομένων ἀλλήλοις ἐξ ἀνάγκης reponuntur: ita vt si cũ Pontificiis de vera fide contendimus, necesse est, vt de vera etiã Ecclesia inter nos disceptetur. At libentissimè acutissimi homines, tanquã probatũ nobis obtruderent, q̃ est maximè controuersum. Quàm autẽ Pontificiorũ exceptio, cũ re illa de qua disserimus parũ cõueniat, expendamus. Verbũ Dei atque Ecclesiã, ad hunc modũ se habere inter se, vt τὸ μέτρον & τὸ μετρωτὸν in cõfesso est. Quid enim est Ecclesia? cõgregatio fideliũ. Quinã sunt verò fideles? Qui Dei promissiones in sacro eius verbo cõprehensas, firmiter amplectuntur. Iã vt mensura & mensuratũ simul sint ratione, ac reciprocã inter se habeant τὰξίνμι cõsequutionẽ: nihilominũs quũ mensura sit caussa mensurati, quẽadmodũ & verbũ Dei Ecclesię, mensura & verbũ Dei, mensurato ac Ecclesiæ priora esse naturâ meritò existimamus. Deinde si iudicandi rationẽ, qua verã Ecclesiã à falsa discerni mus, abstuleris: vna eadẽq; opera Ecclesiæ certa & immutabilis nota perierit. Quid ita? Quia norma sublata, tollitur recti atq; obliqui discrimen, & ingens omniũ rerũ introducitur cõfusio.

sio. Sed de his plura suo loco dicemus. Nunc verò priùs argumentum superioris Theseos ita excutio.

Proposito concedi potest, modò rectè atq; cõmodè intelligatur. Assumptio est falsissima. Neq; enim omnes quæstiones ad disputationẽ de Ecclesia referri possunt, aut debent: nec disputatio de Ecclesia, totius fidei Catholicæ caput censenda est. Et quoniã si posterius mẽbrũ tollatur, prius spõte sua cõcidet: videdũ est An rectè disputatio de Ecclesia, fidei Catholicæ caput dici possit. Quũ nomẽ capitis propriè vsurpatur, q̃d significet, nemo nõ intelligit, animãtium videlicet corporis partẽ illã, quæ collo superimposita vertice continetur. At μεταφορικῶς multa significat. Nã & originẽ denotat, & imperiũ, & dignitatẽ, & rei de qua sermo instituitur cacumen & summitatẽ. Satis adhuc nõ percipio, quã tandẽ significationẽ Assertor Thesẽon capitis vocabulũ, disputationi de Ecclesia attribuat: illud tamen constantissimè asseuero nulla ratione conuenire. Nã siue caput principium & originẽ significet, absurdũ est, vt Ecclesiam fidei originẽ, nisi fortè κατάχρησιν esse statuamus: quæ certè spiritui sancto, accepta ferẽda est: siue per caput intelligamus dignitatẽ & imperiũ, nemo vnquã adeò impudens, & rerũ quæ ad Theologiã pertinent tã ignarus æstimator, mea quidẽ sententia inuenietur: qui tractationẽ de Ecclesia, tractationi quæ de Deo, prędestinatione, prouidentia, de incarnatione, passione, atq; resurrectione Christi, iustitiaq;

diuina instituitur, anteponat. Postremò nec quæstionem de Ecclesia prudentiùs aliquis articulorum nostræ fidei verticem appellauerit, qui non in terra & inter homines, sed in cœlo, in ipsiúsq; Dei manu & cõsilio quærendus est. At Capitis appellatione, catholicæ fidei totius Epitomen Vademontana Thesis denotat. Noua certè & inaudita significatio, quæ tamen eò minus ab vsu loquendi aliena videtur, quò res Theologiæ sacrario magis indignas, in mediã Ecclesiæ possessionẽ insigniore malitia inuehere contendit. Sed quo tandẽ modo quæstionẽ de Ecclesia, Catholicæ fidei totius Epitomẽ esse dixeris. Nam quũ disputatio omnis & quęstio suscipiatur, ad rei alicuius naturã explorãdam, sitne illa an non sit: deinde ad rem, de cuius natura constat describendã, & definiendã: posteà ad causas inuestigandas: deniq; ad enumerandos effectus: si quũ de Ecclesia mentio incidit, hanc quærendi methodũ sequamur, & à nobismetipsis impetremus, ne longius euagari ius fasq; sit: profectò disputatio de Ecclesia, suis comprehensa finibus, tàm latè nunquam diffundetur, quàm Vademontana Thęsis asserit. At hoc sibi vult Pinellus: in primis quærendum esse, quænam vera sit Ecclesia, vt posteà in eius placitis acquiescamus, nec vlli rationẽ exquirere liceat, quare ita se illa, vt Ecclesia decet, habeãt. Nos autem respondemus optandũ quidẽ esse, atq; etiam summoperè laborandũ, vt propositis verè illustribus notis, ab ea, quam adulterinã esse vociferamur, Ecclesia germana distin-

distingatur, tam clarè atq; perspicuè, vt cuiuis patere possit: sed intereà vehementer inficiamur, doctrinam quatenus ab Ecclesia proponi tur, summam esse caussam cur nostrũ illi addere calculũ debeamus: sed quòd simus omninò persuasi, nos illa ipsa Ecclesiã docere, quæ per suos Prophetas & Apostolos è cælo Deus ad hominũ salutẽ patefecit, atq; sacrarum literarũ monumentis consignauit ad memoriam sempiternam. Quapropter quũ illi quæ vera germanaq; habetur Ecclesia credam' eò, quòd cũ veritate scripturarũ euidentissimè consentiat: multò magis quum quæritur: quænam censeri pura putaq; debeat Ecclesia, ille in primis est consensus examinandus: quem nec Apostoli, nec ipse Christus vnquam refugit: imò sæpe illi suos aduersarios ad hanc pulcherrimam verę falsæq; doctrinæ diiudicationẽ prouocarunt. Quamobrẽ, quũ apertissimè confirmauerimus quęstionẽ de Ecclesia nec originẽ esse fidei posse: nec dignitate reliquis omnibus fidei nostræ capitibus antecellere: nec verticem & summitatem eorum, quæ credimus appellari debere: nec omnia quæ confitemur ad salutem, suo ambitu posse complecti: restat vt Assumptionem prioris argumenti falsam esse concludamus. Neque etiam vt ambæ propositiones vim suã obtineant, quod sibi proposuit efficiet cõplexio. Quid enim colligit ampliùs quã latissimè patere disputationẽ de Ecclesia? At eò tẽdit Pinellus (hîc n. agnosco Iesuitæ manũ) vt disputatione de Ecclesia ad exitũ pducta

de reliquis omnibus noſtræ fidei capitibus, quærere non liceat, ſed vnius Eccleſiæ iudiciũ ſequi cogamur. Magnã ergò ſibi ipſe facit iniuriã, atq; Synagogæ Romanæ, qui dum fidei articulos omnes argumentatione ſua non cõplectitur, multiplicem excipiendi materiã aduerſario relinquat.

Poſterius argumentũ eſt Syllogiſmus hypotheticus, cuius prior pars meritò approbanda eſt. Ad poſteriorẽ autẽ explicandã, hæc obſeruanda mihi eſſe videntur. Primũ ſatis accõmodatè non dicitur Eccleſiã eſſe penes hos, vel illos: quùm potiùs hi, vel illi ſint penes Eccleſiã. Eccleſia enim eſt congregatio fideliũ omniũ, quæ quotquot eſſe poſſunt fideles continet, à nullo autẽ fideliũ numero ſeorſim conſiderato, continetur. Nec ſine cauſſa iſtã loquẽdi formulã, in hoc præſertim argumento, repudiare mihi videor. Nam (vt diſſimulẽ, cũ Eccleſiæ natura, quæ vbiq. terrarũ diffunditur, iſtiuſmodi orationẽ pugnare, quæ certis atq. deſcriptis perſonarũ locorumq. limitibus aggregationẽ fideliũ determinat) efficeretur neceſſariò particularẽ & Catholicam Eccleſiam idẽ omninò eſſe, & vniuerſalis Eccleſię durationẽ atq. perpetuitatem cũ quibuſdã particularibus Eccleſiis eſſe cõmunicatã: quod & Pontificij negãt, & ipſa rerum experientia luculentiſſimè refellit.

Adhæc, quãuis ſæpè antiquis Patribus admodùm vtile fuerit, atq. etiam procliue, inſtituta de vera Eccleſia diſputatione, ſui tẽporis hæreticis,

ticis, vberiorẽ rixandi materiã præcidere: propterea quòd recens adhuc eſſet Apoſtolicæ memoria fidei, atq. adeò ipſorũ Apoſtolorum in compluribus Eccleſiis altè impreſſa veſtigia: nihilominùs quũ res eò redierit noſtro calamitoſiſſimo ſeculo, vt ante fœlicẽ Lutheri aduerſum execrandã Pontificis Romani ambitionẽ atq. tyrannidẽ, & intolerandæ ſuperſtitionis corruptelas, diſputationẽ: nulla Eccleſiæ vera & genuina facies appareret, vt nec hodie inter Pontificios apparet: operæpretiũ eſſe iudicarẽ, antequã ad quæſtionem de Eccleſia deſcenderemus, ad lydium lapidẽ, hoc eſt ad diuinã ſcripturã, vtriuſque noſtrũ dogmata exigere. Conſequitur enim neceſſariò ad Eccleſiã eos pertinere, quorũ doctrina cũ veritate ſcripturarũ eſt conſentanea: illos verò ab Eccleſia eſſe alienos, qui tuentur doctrinã, quæ cũ Prophetarũ atq. Apoſtolorũ ſcriptis cõſentire nõ poteſt. Verum enimuerò, quoniã nobis per Põtificios non eſt integrũ, rectè atq. ordine, in Theologicis quæſtionibus pertractandis incedere: ne κρησφύγετον nos circunſpicere obiiciãt, agẽ potiùs peruerſam ipſorũ methodũ ſequamur, quàm vel minimam obtrectandi occaſionem cuiquam hominum præbeamus.

THESIS II.

Ac per Eccleſiã quidem (ne nominis ambiguitate fallamur) non intelligimus locum aliquẽ Deo dicatũ, quo modo intelligere par eſt in libro Iudith, quũ ait ſcriptura: Per totã noctem intra Eccleſiam orauerunt: Neque priua-

„ tum aliquem Christianorum cœtum, quẽ par-
„ ticularẽ Ecclesiã vocant, quomodo accipere
„ oportet, quum D. Petrus ait: salutat vos Eccle-
„ sia, quæ est in Babylone collecta. Neque eos tã
„ tùm qui Ecclesiæ præsunt, vt intellexit Chri-
„ stus quũ dixit, Quod si non audierit eos, dic Ec
„ clesiæ: id est, vt exponit Chrysostomus, præsu-
„ libus & prælatis. Nec deniq; solos Christianos
„ qui ab Episcopis & Parochis gubernantur, vt
„ intellexit Apostolus quũ dixit: Attendite vo-
„ bis, & vniuerso gregi, in quo vos spiritus san-
„ ctus posuit Episcopos, regere Ecclesiã Dei. Sed
„ omnes Christi fideles, qui Christi fidẽ & legẽ
„ cõplectuntur & tenent, & quorũ Christus ca-
„ put est. Hanc nos vniuersalẽ Ecclesiã vocamus,
„ de qua est illud in sacris literis à Dauide prodi
„ tum: apud te laus mea in Ecclesia magna: Illud
„ etiam à Christo promissum: super hanc petram
„ ædificabo Ecclesiam meam.

ANALYSIS.

Ecclesiæ nomen homonymum ita distinguimus, vt reliquis huiusce vocabuli expositionibus valere iussis, hac quidem in quæstione, per Ecclesiam vniuersos fideles cõplectamur, qui vbique sunt: de qua Ecclesia ex Psalmo Dauidis, & Mathæo citati suprà loci sunt exponẽdi.

REFVTATIO.

Pauca hîc habeo quæ reprehendam. Liber Iudith non est in canone, ac ideò scripturæ nomine comprehendi non debuit, nisi lata signi-

gnificatione scripturæ nomen accipiamus. Locus autem Psalmi 21. ad eam Ecclesiam non respicit, quam vniuersalem vulgò appellant: sed de maximo cœtu fidelium explicandus est, ad audiendum Dei verbum, eiusque laudes concinendas coeuntium. Ratio est, quia in Psalmo illo Dauid adumbrat Christum, minimè quidem quatenùs victor, & triumphator inferni, atque Satanæ, cœlum adscendit, & laudem suã vbique terrarum diffudit: sed quatenùs pauper humilis, abiectus apparuit in terra, & suo munere functus, inter fideles Deum Patrem laudauit, atque celebrauit: quemadmodum Dauidici Psalmi ordo & series apertissimè commõstrat. Cæterùm ingenuè disputat Illustrissimus Princeps Carolus, qui in ipso suarum Theseon limine, homonymiã vocis Ecclesię distinguat: nihilominùs à lectore vnũ illud in primis efflagito, vt meminerit hac in tota disputatione vocabulum Ecclesiæ, vniuersalitatem significare fidelium, vbicunque terrarum illi sint, & quacunque tandem conditione censeantur. Quæ interpretatio si benè consideretur multò & apertiorem & faciliorem controuersiam efficiet.

THESIS III.

Illud quoq; monemus: Nos hic de Ecclesia « loqui, vt ad statũ Noui Testamenti pertinet: « qua ratione dicitur à Christo plantata, Apo- « stolorumque sudore ac sanguine rigata, & « aucta. Nam si status eius, in quo fuit sub lege «

Naturæ ſpectetur, certum eſt eam multò antè cœpiſſe, quàm Chriſtus natus ſit. Quin vt rectè Origenes & Auguſtinus aſſerunt, fuit Eccleſia à conſtitutione mundi. Et quoniam Abel omnium primus Deo gratum ſacrificium obtulit, fuitq. primus innocens, primus virgo, primus deniq. martyr, idcircò ab eo ciuitatem Dei ſua accepiſſe primordia Auguſtinus affirmat.

ANALYSIS.

Hîc de Eccleſia loquimur, vt ad ſtatum Noui Teſtamenti pertinet: Nam Eccleſia, qualis fuit ſub lege Naturæ, cœpit eſſe à conſtitutione mundi. Quin & Abel prima ciuitatis Dei fundamenta iecit.

REFVTATIO.

Eccleſia veteris & Noui Teſtamenti re nõ differunt, ſed ratione participandi ſacra myſteria. Siquidem vnus idemq. fuit ſemper Deus, vna fides, vnus mediator inter Deum & homines, Ieſus Chriſtus. Falluntur ergò, qui quũ veterem & Nouã Eccleſiam inter ſe comparãt, non in participandi ratione ſubſiſtunt, quẽadmodum penitus oportuit: ſed adeò veterẽ deprimunt, & Nouã exornant, vt nihil penè inter ſe habuiſſe commune videantur. Qui error eſt in Thelogia longè craſſiſſimus, ex quo etiam multa conſequuntur abſurdiſſima, de quibus erit fauente Deo, in refutatione Theſeos 29. accomodatiſſimus dicendi locus. Intereà non ab re fuerit verba iſta expendere. *Nam ſi ſtatus eius, in quo fuit ſub lege Naturæ ſpectetur.* Quî enim

nim Eccleſia fuit vnquam, aut eſſe potuit ſub lege naturæ: niſi fortè cõditionẽ illam beatiſſimam intelligamus, in qua erãt antequàm in Deum pecaſſent Adamus atq. Eua. Nec intereà diſſimulo Patres quoſdam probatioris notæ, hac loquendi formula eſſe vſos: ſed quũ ſemel profeſſus ſim, quum in Ledeſimam ſcriberem, me ſolis ſcripturarum armis tectum velle pugnare, & mei etiam conſilij grauiſſimas rationes attulerim: facerem parum conſtanter ſi autoritate duntaxat hominis alicuius à ſententia deiectus, rem ipſam non examinarẽ accuratiùs. Atq. vt ingenuè quid ſentiam ſemel pronuntiem: qui diſtinctionem Legis naturæ, & legis gratiæ nobis obtrudunt, eos quid nominibus Legis, & Naturæ, & Gratię ſignificetur ignorare arbitror: nec diligentiùs attendere, quænã ſit Eccleſiæ ratio. Ac nolim lectorẽ opinari me contradicendi ſtudio, iſta rimari ſcrupuloſiùs. Tam enim abſum à nouis quæſtionibus excitandis, vt libentiſſimè ſi per veritatem mihi eſſet integrũ, eas omnes quæ noſtra præſertim memoria, ſunt à turbulentiſſimis hominibus procreatæ atq. auctæ, conſopirem. Sed poſſit omninò diſputationis ratio, vt verba iſta excutiamus, quæ ad illuſtrãdã & aperiendã quæſtionem maximoperè conducunt. Eſt autẽ lex, vt paucis agã, recta & ſancta vitæ inſtituendæ ratio, quã ſi homo ſequatur, tùm in terris benè beatéq. victurus eſt: tùm in cælo fœlicitatẽ æternã adepturus. Natura verò, eſt vis & facultas, quæ tãtũ à creatione manat & funditur.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Gratia autẽ eſt donũ Dei,à mera eius liberalitate in ſuos electos effuſum, quo Ieſu Chriſto inſiti,æternæ fiunt ſalutis participes. Eccleſia verò eſt cætus hominum firmiſſimè Deo per Chriſtũ adhærentiũ. Ex quibus intelligi poſſe puto,tùm Eccleſiã vtriuſq; Teſtamẽti,tùm illã quæ legis Moſaicæ promulgationẽ antegreſſa eſt,ſub eadẽ gratia fuiſſe:ſi modò ſubſtantiã gratiæ,non autẽ participandi menſurã,& rationẽ conſideremus. Et contra Eccleſiã ſub lege Naturæ ponere, & de mundo Eccleſiã tollere, vnũ idẽq; planè eſt.Quare?quia vis illa,quæ ad conſtituendã Eccleſiã eſt omninò neceſſaria,ſupernaturalis eſt,ab ipſoq;Deo in electos effunditur,tãtũ abeſt vt à corruptiſſimis naturæ fontibus,queis nũc fruimur,hauriri poſſit.Deniq; ſecũ ipſa Theſis pugnat & conflictatur. Nã originẽ Eccleſiæ nunc ad conſtitutionẽ mundi refert,nunc ad Abelẽ.Quod ad me attinet, non dubito Adamũ ad Eccleſiã pertinuiſſe,quæ quidẽ poſt lapſum ab excellentiſſima promiſſione illa ortũ habuit. *Inimicitias ponã inter te & mulierẽ,& ſemen tuũ & ſemen illius: hoc ſemen conteret caput tuũ,& tu inſidiaberis calcaneo eius.* Gen. cap.3.verſ.15. Nimis igitur confidenter ad Abelẽ Theſis Eccleſiæ primordia retulit, quũ illã originẽ habuiſſe antiquiorẽ,ſacræ doceant literæ.Quin & ipſe Adamus ſe à Deo nequaquã eſſe alienũ teſtatur: qui de filio ſibi recens nato,ita Deo agit gratias. *Poſſedi hominẽ per Deũ.* Gen.cap.4.verſ.1.

THESIS. IIII.

Eſſe in terris Eccleſiã certũ eſt. Chriſtus e-

nim qui fallere nec vult,nec poteſt,ſupra petrã « ſe eã firmã,ac ſtabilẽ ædificaturũ promiſit. Et « verò id æquũ eſt.Nã minimè ſuæ legi nobiſq. « rectè proſpexiſſet, ſi aſcenſurus in cælũ Eccle- « ſiã non reliquiſſet,quæ ſuã legẽ,verũq. cultum « retineret,ac tueretur:quæ naſcẽtes de fide, vel « moribus queſtiones (quũ ex ſcriptura ſolui nõ « poſſent) vt fidelis interpres ac magiſtra decide « ret.Non enim,vt verè Epiphanius ait, poſſunt « omnia à diuina ſcriptura accipi:ſed quẽadmodũ rectè Auguſtin'monet,ſi in re dubia &anci « piti falli nolumus, Eccleſia nobis cõſulẽda eſt. «

ANALYSIS.

Chriſtus promiſit ſe ſupra petrã ſtabilẽ & in concuſſam,ædificaturũ Eccleſiã: Eſt igitur Eccleſia.Itẽ,ſi non eſſet in terris Eccleſia,quę legẽ Dei, verũq. cultũ retineret ac tueretur &c. Chriſtus non benè ſuæ legi, nobiſq; prouidiſſet:At Chriſtũ ſuę legi,nobiſq. benè proſpexiſſe neceſſe eſt:Igitur eſſe in terris Eccleſiam eſt neceſſe.Itẽ,ſi non eſſet in terris Eccleſia,nemo decideret controuerſias, quę ex ſcriptura ſolui nequeunt:At neceſſe eſt vt illę cõtrouerſię decidantur: neceſſariò igitur eſt in terris Eccleſia.

REFVTATIO.

Miror (quũ in Scriptura paſſim extent luculentę, graues, Analyticę, atque immutabiles cauſſę, cur eſſe in terris Eccleſiam, quę Deo purè ſeruiat, cuíque ęterna poſt hanc vitã beatitudo promiſſa eſt,neceſſe ſit)tã infœliciter noſtrũ Ieſuitã,in Vademontanis Theſibus,hoc argumentũ tractaſſe. Itaq; quũ incidi primũ in hãc Theſim,iſtiuſmodi cogitatio per

culsit animũ. Quid fiet tã misero & inepto Sophista: qua tãdẽ ratione Hierarchiã Pontificiã, ex innumerabilibus & mendaciis, & blasphemiis conflatã propugnabit & tuebitur, qui ne apertissimã quidẽ, & in omniũ oculis positã veritatẽ asserere, nisi admodũ titubanter atq. imperitè potest? Ac ne videamur hominem sine caussa stnporis accusare, cõsideremus quã bellas perpetuæ, atq. interruptæ cõmorationis Ecclesiæ in hoc mundo, rationes nobis proponat Si Ecclesia, inquit, non esset in terris, Deus non benè suæ legi prospexisset, legis vocabulũ, in hoc quidẽ argumento non satis accõmodatũ videtur, atq. etiã de dignitate ratiocinationis Iesuiticę plurimũ detrahit. Nã si propriè nomẽ legis accipiatur, quid significet notũ est: & à nobis paulò antè explicatũ: legis autẽ quum duo sint respectus, quorũ vnus, illos qui iustè atque inculpatè vitã instituũt, æterna fœlicitate muneratur: alter hominũ iniustitiã atq. impietatẽ æterno exitio punit: certè si nulla esset in terris Ecclesia, nec pro nobis Dei filius legẽ adimpleuisset, legisq. prẽmiũ reportasset: inutilis tamen lex non esset, vt quæ magis ac magis sceleratissimũ, & cõtaminatissimũ gen' hominũ, corã iustissimo & seueriſſimo Dei tribunali accusaret. At opinor te appellatione legis Euangeliũ intelligere: qui vetus error suam originem eorum disputationibus acceptam refert, qui quũ de humanis viribus paulò elatiùs sentirẽt, gratiã Dei cum nostris operibus, falsò & periculosè cõfuderũt. Itaq. tu existimas si Ecclesia

clesia intercedat, Deum euangelio suo benè ab initio non prospexisse, atque etiamnum hodie prospicere. At ego contrà sentio, Deũ minimè quidem per Ecclesiã Euangelio, sed per Euãgelium Ecclesiæ prouidere. Quamobrem? Quia Euangeliũ est instrumentũ mere παθητικὸν, quo tamen Deus ἐνεργητικῶς vtitur ad electorum salutem. Itaque mi homo perinde facis, atque si quis architectum ædificando arbitraretur malleo, normæ, securi, perpendiculo, asciæ consulere. At fortasse tua sententia commodiùs ita exprimi potest. Si nulla est in terris Ecclesia, Deum frustra Euangelium dedisse. Ergo si non assequimur ea, quæ tibi velis, tua insignis culpa est, qui tam obscurè tam cõfusè loquare. Sed hîc pedem quæso figamus. Quæstio à te proposita, non modò demonstrare conatur olim fuisse, ac nunc etiam esse, & porrò futuram Ecclesiam: sed multò magis, quod est verissimum, perpetuò in terris commoraturam, donec in fines seculorum incidat, & sempiternâ gloriâ excipiatur. Neque enim probare potes, hac quidem argumentãdi ratione, nunc Ecclesiam esse, nisi eius perpetuitatem, ex sacrarum literarum veritate, antequam vlteriùs procedat disputatio, confirmaueris. Ad istiusmodi verò perpetuitatem efficiendam, ratio quam attulisti omninò inepta est. Nam non sequitur Euangelium frustrà hominibus à Deo exhibitum esse, si adiũctam sibi non habeat continuam & perẽnem, nec vnquam interrumpendam, vt hoc verbo

vtar, fructificationem. Atque vt temporum perpetuitate, cum locorum immensitate cõferenda euadat res illustrior: certè frustrà Deus cum hominibus icere fœdus noluit, propterea quòd modò in vna Noachi, modò in Abrahami, modò illud in alius Patriarchæ familia diu multúmque delituit: nec sine causa legem promulgauit, quæ reliquarum omnium gentium excluſa finibus, per tot secula breuissimis Iudæorum terminis fuit comprehensa. Quamobrem? quia vel pauci homines, qui Deo quidem purè seruiunt, ac vitam æternam consequuntur, satis superque ad incomparabilem Dei effusam in suos benignitatem, atque clementiam prædicandam, & totius orbis terrarum iniustitiam atque impietatem conuincendam suffecerint. Verum enimuerò ea ratione Deus non benè nobis prospexerit. Peto à te Luca, vt non graueris explicare, quos tandem pronomine *nobis* designes: electósne an reprobos. Nam si de electis sermonem instituimus, Ecclesiæ interruptio si vlla esse posset, ad eos non pertineret: ita enim Deus pro sua excellenti sapientia rebus, quæcunque tãdem illæ sint, moderatur, vt in primis electorum suorum saluti consulat: sin autem de reprobis, etiam atque etiam considera, tibíne ius fásque sit, in reproborum gratiam expostulare cum Deo. Etenim si rem vniuersam examinemus paulò diligentius, antiqua nobis occurrent Mosis atque Prophetarũ monumenta, quæ velimus nolimus firmissimis argumenti

mentis euincent, Deum nulli vel populo, vel homini, vel vt paucis complectar omnia, creaturæ obnoxium esse: verùm gratis effusam benignitatem suam cum iis hominibus communicare, quos ab æterno elegit. Et vt apertè dicam quod sentio, tua bella ratio cum insigni blasphemia coniuncta est. Quare? Quia si efficeretur Deum hominibus malè prospicere, nisi perpetuitatem Ecclesiæ inter homines tueretur: cùm in hoc quidem argumento, eadem sit totius & partis ratio, sequeretur necessariò Deum satis benè non prouidere illis gentibus, apud quas, vel nondum est publicatum Euangelium, vel saltem publicati olim Euangelij memoria iamdiu penitus est abolita, ne in istiusmodi absurdis penè innumerabilibus colligendis, bonas horas malè collocem.

Nunc ad eam rationem venio, quàm festiuè admodum Pinellus excogitauit, & qua etiã demonstrare conatur, Ecclesiam in terris esse debere, nimirum quæ nascentes de fide ex moribus quæstiones (quæ ex Scriptura solui non possent) vt fidelis interpres, & magistra decideret. Tot hîc penè sunt errores, quot verba. Et ne cauillari possit, me perperam agere, qui violenter contorqueam ea quæ de officio, & munere scripsit Ecclesiæ, ad explicationem caussarum τῦ εἶναι ipsius Ecclesiæ, quò hæc postrema verba non pertinent: agè inuestigemus accuratè, iuréne an iniuria, vel Iesuitam supinæ ac

intolerandæ oscitantiæ accersiuerim, vel Iesuíta meam accusationem à se repellat & amoliatur. Atque in primis diligenter examinanda est Mediorum (quæ Pinellus aceruatim congessit, fortè memor illius versiculi, *vt si non prosint singula, multa iuuent*) inter se connexio, & cum ipsa conclusione collatio. Tunc enim luculentissimè patebit hominis acumen, & ingenium. Sic autem colligit. Æquum est sit Ecclesia. Cur ita? quia Deus aliter minimè suæ legi, nobísque rectè consuluisset. At quînam hoc intelligis, propterea quòd nulla esset hominum societas, quæ legem Dei, cultúmque retineret ac tueretur, quæ nascentes de fide quæstiones decideret. Itaque ratio Lucæ nostri est bipertita: cui respondet vtrinque ratio rationis. Verus enim cultus ad Dei legem refertur, ad nostri autem curam & solicitudinem, pura fidei cognitio, per ministerium Ecclesiæ conseruata, & propagata. Hîc est multiplex principij petitio. Nam si est Ecclesia, est quoque hominum societas, quæ purè Deo seruit: & si est hominum societas quæ purè Deo seruit, etiam est Ecclesia. Item, si est hominum cœtus, qui pertinentes ad fidē controuersias, ex Dei verbo disceptat, sit ecclesia quoque necesse est: & vice versa, si est Ecclesia, est hominum cœtus, qui pertinentes ad fidem quæstiones, ex Dei verbo diiudicat. Itaque perinde facis ac si colligeres hunc in modum, Est Ecclesia, quia est Ecclesia. Neque enim sine caussa monent Philosophi, eorum, quæ se mutuò cõsequun-

sequuntur necessariò, ad quæstionis propositæ confirmationem, alterum minimè esse postulandum. Sed vereor ne illud mihi vertas vitio, quod in reciprocatione posterioris consequutionis, ad faciliorem & veriorem ἀκολουθήσεως demonstrationem, in tuis verbis & detraxi, & suppleui: in quo tamen nulla est tibi à me facta iniuria. Siquidem erat omninò eadem futura reciprocationis consequutio, si falsum & ἀνάπόδεκτον αἴτημα, quod nobis reclamantibus, & inuitis arripuisti, vltrò tibi concessissemus. De qua re tota quum ad Thesim 14. peruenerimus, pro modulo disputare conabimur: quò etiam plerique errores huiusce Theseos ablegandi videntur.

Sed fortasse de me, apud te grauissimè conquereris, quasi non sim ferendus, qui ad euertendum propugnaculi à te ingeniosè constructi, fabricatum ex leui materia culmen & fastigium, totis artubus enitar: inconcussam verò fundamẽti molem tacitus prætercam. Tuæ isti querelæ, si quod est verissimum, respondeam, inter nos de ipsius rei, quam demonstrare conaris, veritate non controuerti: sed me tuam differendi peruersam methodũ, & rationem accusare, vna eadémque opera & tibi calumniandi ansam præcidero, & me culpa liberauero. Nihilominus ne nescias, quum locus ille Matthæi à te productus, ad Electorum Ecclesiam pertineat, visibilem tuam Ecclesiam, de qua hîc te agere profiteris, quemadmodum infrà videbitur, netantillũ quidem

dem ſubluat, vt quum ad rem ventum erit, apertiſsimè σὺν θεῷ explicabimus.

THESIS V.

„ Deinde vbi Eccleſia, inquit Irenæus, ibi Spi
„ ritus Dei, & vbi Spiritus Dei, ibi Eccleſia & o-
„ mnis gratia. Quò ſit, vt ſi nulla ſit in terris Ec-
„ cleſia, nec Spiritus etiam ſanctus ſit. Quare,
„ cùm Spiritus Dei ſit in terris, quem nempè
„ Chriſtus promiſit, ac miſit, fatendum eſt, eſſe
„ quoque in terris eius ſcholam, in qua docet
„ nos omnem veritatem. Quæ Spiritus ſancti
„ ſchola, Eccleſia eſt.

THESIS VI.

„ Rurſum ſi nulla eſſet in terris Eccleſia, quæ
„ quid de Deo credendum eſſet, ſtatueret: fieret
„ profectò vt nulla quoque eſſet apud homines,
„ de rebus diuinis firma ſtabiliſque veritas, ſed
„ vnuſquiſque de illis, ſuo arbitratu quod vellet,
„ animo conciperet. Sola enim eſt Eccleſia, quę
„ veritatem verè docet, ſicvt extra eam tenebris,
„ obſcuráque mẽdaciorum caligine obſeſſa ſint
„ omnia. Benè ergò Origenes veritatem cum
„ fulgure, ab Oriente vſque ad Occidentẽ egre-
„ diente confert, eámque vni Eccleſiæ tribuit.
„ Qualis, inquit, eſt veritas Eccleſiæ Dei, ab ea e-
„ nim ſola ſonus in omnem terram exiuit, & ve-
„ lociter currit ſola verè veritas Dei.

THE-

THESIS VII.

Pluribus autem id confirmare minimè ne- “
ceſſarium eſt, quod videlicet ipſi vltrò conce- “
dunt hæretici: qui cum fateantur Chriſtum “
Eccleſiæ caput, Regem, & Ducem eſſe, neceſſe “
eſt fateantur quoque eſſe Eccleſiam, quæ ca- “
pitis corpus ſit, Regis regnum, & Ducis exer- “
citus. Niſi fortè in hæc incommoda velint in- “
cidere, vt ſit caput ſine corpore, Rex ſine re- “
gno, Dux ſine milite & copiis. Et niſi quod à “
veritate alieniſſimum eſt, negent in cœlis eſſe “
Eccleſiam. Nõ enim ibi triumphat quiſquam, “
niſi qui in militante Eccleſia legitimè, vt Pau- “
lus ait, certauerit.

ANALYSIS.

Si vbi eſt Spiritus ſanctus, ibi eſt Eccleſia: & Spiritus ſanctus eſt in terris: certè in terris Eccleſia erit. Item, Chriſtus promiſit atque adeò Spiritum miſit in terras: igitur eſt Spiritus in terris. Item, ſi neceſſe eſt firmam & ſtabilem, de rebus diuinis eſſe inter homines veritatem: & ſola Eccleſia veritatem verè docet: profectò eſſe inter homines Eccleſiam neceſſe eſt. Item, Diſputatio an ſit Eccleſia in terris ſupernacanea eſt, quia etiam apud Hæreticos eſt in confeſſo. Fatentur enim Chriſtum eſſe Regem, & Ducem, & caput Eccleſiæ: Ergò ipſam quoque Eccleſiam concedant neceſſe eſt.

REFVTATIO.

Primùm Ieſuita vtitur in re non dubia te-

stibus non necessariis. Nemo enim nostrûm, per Dei gratiam, fuit adeò impudens, vt contra Ecclesiam vellet calamum stringere. Deinde, quid tandem conficit argumentando Pinellus. Probat Ecclesiam esse in terris. Quasi nos de cœlesti tantùm Ecclesia loquamur, ne Christi sponsam in terris commorãtem agnoscamus. Cæterùm & eadem sæpe nobis reponit, quod minimè omnium (in Thesibus præsertim, vbi accuratè obseruãda est methodus atque series) factum oportuit, & demonstrat obscurum per obscurius. Hæc autem sunt Iesuiticæ Bathologiæ luculentissima exempla. Nascentes de fide & moribus quæstiones, vt fidelis interpres, ac magistra Ecclesia decidere solet. Item, si falli nolumus in re dubia & ancipiti Ecclesię consulendum est. Item, si nulla esset in terris Ecclesia, nulla quoque esset de rebus diuinis apud homines firma stabilisque veritas, & cætera huiusmodi. Obscurum autem demonstrat per obscurius. Neque enim Analyticè colligitur Ecclesiæ perpetuitas, quæ vt argumentatio Iesuitæ procedat, est omninò necessaria, ex nuda promissione, atque adeò missione sancti Spiritus: sed ex verbis Christi, quibus Apostolis, & in Apostolorum persona toti Ecclesiæ pollicetur, se adfuturum ad consummationem vsque mundi. Matth. cap. 28. vers. 20. & ex formula fœderis, quod cum sua Ecclesia Deus in æternũ pactus est. Es. c. 59. ver. 21. Nec Pinellũ ego velim arripere calũnian di mate-

materiam, ex eo quod modò dixi probare illum obscurum per illud quod est aut æquè obscurum, aut etiam obscurius, quasi apud me aut Ecclesiæ firmitas & perpetua duratio sit obscura, aut in Ecclesia sancti præsentia spiritus. Nam quod ad me attinet, illa tam esse iudico aperta, clara, illustria, quàm quæ maximè. Sed loquor ex hypothesi. Quidquid enim demonstrandum suscipitur, donec sit demonstratum, esse obscurum iudicamus: & idcirçò quæ adhibentur ad demonstrationem conficiendam, notiora esse conclusione necesse est. At ex locis quæ citat ex Ioanne Pinellus, non magis eluceſſit perpetua spiritus commoratio in Ecclesia, quàm Ecclesiæ ipsius æternitas. At necesse est firmam & stabilem, de rebus diuinis esse inter homines veritatem: & sola Ecclesia veritatem verè docet. Idem error est qui suprà: nempè circularis probatio eorum, quæ sunt æquè incognita. Qui enim de mundo Ecclesiam tollunt, veritatem quoque mysteriorum cœlestium ex hominum mentibus eliminant: & vicissim qui ponunt certitudinem arcanorum ad salutem æternam pertinentium, Ecclesiam quoque constituunt: & qui Ecclesiam fatentur, diuinorum etiam arcanorum firmitatem concedant necesse est, vt reciproca & omninò necessaria sit consequutio. Tandem supercilio Iesuitico planè dignum adducit argumentum. Quæstio, an Ecclesia sit perpetuò inter homines, superuacanea est, quia illam ipsi etiam comedunt hæretici. Ergò tibi sunt hæ-

retici,qui veram, te ipso teste, atque adeò iudice, de perpetua Ecclesiæ duratione doctrinam profitentur. Sed amabo te Pinelle, tantúmne abundas otio, vt Thesibus quatuor superioribus proximis, aërem duntaxat verberaueris:aut tibi vt molliùs blandiar, dum meditaris pugnam aduersus hæreticos,tuam vmbram tandiu lacessiueris. Nos verò tibi vltrò concedimus,perpetuam esse, atque inconcussam Ecclesiæ firmitatem: vtpote,quæ electorum caussa instituta sit, qui ex omnibus seculis,atque orbis terrarum partibus congregantur à Deo, & magnifica promissione illa sustentantur,qua ipse Deus apertissimè testatus est,perire eos non posse. Hoc etiam capitis, Regísque nomẽ,& Ducis pertinet,quæ tãtùm abest vt inficiemur, nihil vt ardẽtioribus votis exoptemus, quàm iucũdissima, dulcissimáque consolatione placidè ac perpetuò frui, quæ in cordibus nostris sensu illo diuinæ benignitatis effunditur. Sed in re perspicua, & illustri ac minimè controuersa, non est cur diutiùs Sophistam Pinellum imitati,tempus teramus.

THESIS VIII.

» Ex quibus manifestè conuellitur Anaba-
» ptistarum error à Pelagianis & Donatistis ac-
» ceptus. Hi namque verbis Ecclesiam admit-
» tunt,re negant. Aiunt enim ad Ecclesiam eos
» duntaxat pertinere,qui ita sunt puri & incor-
» rupti,vt omni prorsus labe careant. Quod si
» verum est,vel soli pueri sacro abluti Baptisma

ite,

te,ante rationis vsum erunt in Ecclesia,quum « identidem scriptura nos moneat, neminem « dum in hac vita versatur, ita esse mundum ac « sanctum, quin leui aliqua macula aspersus sit. « Id quod etiam sua cuique conscientia luculen « tè testatur, vel certè nulla erit in terris Eccle- « sia, nullus Christianorum cœtus, atque adeò « monstrum erit Christus, vtpote caput absque « corpore,& Dux absque milite. «

THESIS IX.

Illud verò Apostoli, quod ab illis proferri « solet, de Ecclesia non habente maculam, ne- « que rugam,Hieronymus & Augustinus intel- « ligunt, non de Ecclesia militante in hoc secu- « lo,sed de triumphante in futuro. Augustini « verba hæc sunt:vbicunque autem in his libris « commemoraui Ecclesiam,non habentem ma- « culam, aut rugam, non sic accipiendum est, « quasi iam sit,quę præparatur vt sit,quando ap- « parebit etiam glorioſa. Neque verò Apostolus « ait, talem modò esse Ecclesiam, sed futuram « significat. Ait enim Christum tradidisse se- « ipsum pro ea, vt exhiberet sibi glorioſam Ec- « clesiam, non habentem maculam aut rugam. « Ruga igitur carebit,quum glorioſa apparebit. «

ANALYSIS.

Donatistæ & Anabaptistę,verbis Ecclesiam confitentur,re negant:eam enim puritatem & sanctitatem à fidelibus requirunt, vt vel nusquam,vel in solis infantibus Baptismo ablutis

ante vsum rationis reperiatur. Siquidem nemo est adultorum adeò perfectus, quin leui aliqua macula aspergatur. Nec locus Pauli de Ecclesia sine macula & ruga, eos vel tantillum subleuat: quum sit exponendus de Ecclesia triumphante in cœlis, non militante in terris.

REFVTATIO

Et si Anabaptistarum & Donatistarum patronus esse nolim, vt qui eos, cum suis erroribus execrandi s toto pectore detester: nihilominus dicam id quod sentio, nempè non curare Iesuitam quid effutiat, modò aliquid effutiat: & tanto ardere contradicendi studio, vt quid res postulet, apud se considerare non sustineat. Equidem fateor ex doctrina monstrorum istorum sequi Ecclesiam inter homines nullam esse: tamen quum directè non negent Ecclesiam, sed qualitates illi affingant, quibus dum in terris versatur capax esse non potest: si ordinem Theseon sibi obseruandum Pinellus proposuisset, totam disputationem illã contra Donatistas, & Anabaptistas, qui nostra etiam memoria Donatistarum errorem, maximo cum Ecclesiarum offendi culo, renouarunt, in eum locum reiecisset, vbi de puritate & sanctitate cõmorantis inter homines Ecclesiæ, quæstio instituitur. Deinde, quum sibi ipse cancellos circundederit, extra quos vagari non liceat, demiror cur tam repentè sui oblitus, quocunque animus impellit spatietur. Præterea hic duo sunt quæ requiram. De Baptismo enim Pinellus omninò Iudaicè sentit, & in quibusdam hominibus peccatum ita extenuat, vt ferè nusquam appareat. Verumenimuerò & scriptura sophistam, & quotidiana experientia refellit: Nam & infantes mori nuper admodùm lauacro Baptismatis ablutos, & grauissimis morbis atque langoribus, conflictari passim videmus. At nemo est opinor, qui mortem acerbissimósque cruciatus, stipendium esse peccati, vltrò cum scriptura non agnoscat. De aliqua autem leui macula, quę vel sanctissimos aspergit, non mirum est contra scripturæ autoritatem pronuntiare Pinellum. Siquidem in eorum albo nomen suum profitetur, qui sanctorum merita, vt loquuntur, cum purissimo sanguine Christi confundunt, qui aquam lustralem ad peccata profliganda vsurpant: qui de viribus hominis ferè cum Pelagio sentiunt: qui denique tùm suæ corruptionis, tùm perfectionis cœlestium mandatorum, tùm diuinæ iustitiæ immemores, bonam partem salutis hominum in operibus deprauatissimis, & contaminatissimis collocant, quemadmodum si disputationis ratio ferre posset, luculentissimè probarem.

Quod verò ad loci Apostolici explicationem attinet, vbi de Ecclesia Paulus disserit, quæ neque maculam habet, neque rugam: excurrit sophista, & secum ipse digladiatur, nec tamen quamuis se contra Donatistas optimè argumentari putet, in adeò facili controuersia omninò caret vitio. Nam si accuratè totam

Apostolici contextus seriem expendamus, & quæ est accommodatissima interpretandi ratio, cum antecedentibus consequentia comparemus, euincetur, non modò eam conditionem Paulum respicere, ad quam nos Deus attollet, quum suos electos æterna fœlicitate munerabitur: sed ita Ecclesiam considerare, vt statum in quo est hodie constituta, cum beatissimo illo quem assequetur in cœlis, vno tenore coniungat. Sic enim est humilis Ecclesia, vt ad gloriam properet: sic maculis obsoleta, vt ad excellentissimam pulchritudinem feratur: sic denique infirma & obnoxia peccato, vt ad obtinendam incorruptionem, atque iustitiam suis omnibus numeris & partibus absolutam, maxima tùm animi, tùm corporis alacritate concitetur. Postremò ne singula persequar, iam in Ecclesia inchoata est illa perfectio, quam in dies magis ac magis ardentibus votis & precibus exoptat.

THESIS X.

„ Potest autem Ecclesia in hunc modum definiri. Conuocatio Christianorum fidelium, „ vno cultu, vnáque fide inter se vinctorum, omnibus ad salutem necessariis à Spiritu sancto „ instructa. Malumus cum Augustino Ecclesiam „ conuocationem dicere, quàm cõgregationem: „ non solum quòd congregari mutis quoque animantibus, rebúsque sensu carentibus commune sit, conuocari verò non nisi hominibus „ conueniat: sed etiam quòd hoc nomine magis à Synagoga separetur. Quare Paulus sæpiùs Christi fideles vocatos appellat. Ad Romanos enim ait. In quibus estis & vos vocati: & ad Corinthios: Fidelis Deus per quem vocati estis in societatem filij eius. Quo modo loquendi significat eos, qui in Ecclesia sunt, non suis meritis, sed Dei vocatione, ac beneficio in ea esse.

ANALYSIS.

Hæc vera est Ecclesiæ definitio. Ecclesia est conuocatio Christianorum fidelium &c. Conuocationis nomine, potiùs in hoc quidem argumento vtimur, quàm congregationis, quòd illud hominum sit proprium, hoc verò cum animantibus, & rebus quæ sensu carent commune. Ad hæc ita distinguitur euidentiùs Christianorum Ecclesia, à Synagoga Iudæorum.

REFVTATIO

Definitio proposita tùm redundat, tùm deficit, tùm obscura est, ideóque vitiosa. Ac primùm appellatio Christiani & fidelis reciprocatur, ita vt alteram esse superuacaneam necesse sit. Deinde omnia ferè vocabula Definitionis Vademontanæ, sunt homonyma, eáque de caussa priusquàm ad definiendum adhiberentur, erant perspicuè & clarè distinguenda. Conuocatio enim modò ipsos conuocatos, modò actionem conuocatis significat. Item, Christiani vocantur, tùm qui Turcis, reliquisque nationibus à veritate fidei nostræ alienis oppo-

nuntur: tùm qui Euangelium sincerè amplexi, fructus Christiani appellatione dignos proferunt. Eadem est omninò in dictione fidelis homonymia. Nunc enim ad solos pertinet electos: vt Deus est conseruator omnium hominum, maximè verò fidelium. 1. Tim. ca. 4. vers. 10. Nunc iis omnibus conuenit, qui religionem Christianam profitentur: vt maritus infidelis sanctificatus est in vxore, & vxor infidelis sanctificata est in viro: alioqui certè liberi vestri impuri essent, nunc autem sancti sunt. 1. Cor. 7. vers. 14. Ac quemadmodum hîc nomen infidelis sumitur pro Ethnico, ita vt contrarietatis ratio omninò postulat, fidelis accipitur pro eo qui versatur in Ecclesia Dei. Præterea vocabulum cultus est homonymum & obscurum: homonymum, quia & superstitioni & religioni attribuitur: obscurum, quia modò significat ea, quæ à nobis Deus, illi vt ritè seruiamus, requirit: modò ea designat, quæ homines in cultu diuino, pro locorum & temporum circunstantia, variè vsurpare solent, ita vt si eorum habenda esset ratio, non vna duntaxat, sed plures essent Ecclesiæ. Denique additamentum illud, omnibus ad salutem necessariis à Spiritu sancto instructa, est huiusmodi vt omninò ex doctrina Pontificiorum nec intelligi, neque explicari possit. Atqui quum instituantur definitiones, vt res de qua disseritur manifestior euadat, & illustrior, omninò efficitur hanc esse vitiosissimam, quæ multò minus quam definitum clara est atque perspicua.

cua. Quod vt melius intelligatur, considerem us obsecro enucleatius, quæ in definitionis extrema parte Pinellus tanquam triarios milites collocauit. Ergo ad fidem cultúmque diuinum adiungit omnia quæ sunt ad salutem necessaria, quæque à sancto Spiritu Ecclesiæ traduntur. At quum apud Pontificios ea sint longè incertissima, profecto quænam sit vera, quæ autem falsa Ecclesia, nunquam illa demonstrabunt. Atque hîc etiam deprehenditur manifesta Pontificiorum calumnia. Quum enim quærunt à nobis, quas tandem arbitremur certas esse, ac immutabiles notas Ecclesiæ. Respondemus, si de visibili Ecclesia differendum est (quam tamen nimis confidenter Pontificij, cum inuisibili solent confundere) legitimam esse verbi diuini publicationem, cum pura & sincera Sacramentorum administratione coniunctam. Sin autem efflagitant vt de Ecclesia generalius loquamur, & illam ita describamus, vt quæcunque tandem calamitas inciderit, nostra illi conuenire possit oratio: Ecclesiam definiemus sanctorum esse communitatem, qui Deo ex verbo eius per Prophetas & Apostolos diuinitùs reuelato, purè seruiunt, & cœlestibus promissis constanter innixi, æternam beatitudinem expectant. Hîc Sophistę obiiciũt Dei verbum esse obscurum, ac penè ab omnibus hæreticis tanquam pro se faceret, vsurpatum: nec ad germanam Ecclesiam apertè hominibus demonstrandam, illustriorem esse administrationem Sacramento-

rum,à quibus etiã ſuo modo participãdis,hæreticorũ Synagogæ non temperarunt. Quàm hoc verè obiiciant nunc ipſi viderint: neque enim nobis eſt propoſitum,hoc quidem in loco,ſententiam noſtram tueri:ſed comparatione tantùm inſtituta, inter noſtram & pontificiorum aſſertionem,iudicium lectori permittere. Itaque definit Eccleſiam Pinellus,conuocationem fidelium omnibus ad ſalutẽ neceſſariis,à Spiritu ſancto inſtructam. Nemo igitur nõ videt,ſi Eccleſia ex definitione Pinelli quærenda ſit,antè Catalogum eſſe texendum, quo res omnes ad ſalutẽ neceſſariæ contineãtur, ex quibus ſi vna deſit, cui reliquæ omnes conuenerint, ea nihilominùs Eccleſiæ nomen atque dignitatẽ amittat neceſſe eſt. Quocirca, ſi Ieſuitæ noſtro obtemperare volumus, quemadmodum & debemus,patrem enim ſe appellat: petendum erit à Pontificiis quænam res ſint ad ſalutem neceſſariæ. Illi autem niſi ſuæ veteris cantilenæ obliuiſcantur, torto vultu indignabundi reſpondebunt, nihil ad nos hanc quæſtionem pertinere, in Eccleſiæ placitis atque decretis acquieſcendum eſſe, nec vlteriùs progrediendum. Quid iſto igitur fiet Sophiſta, qui ignotũ definiat per ignotius. Ad nos verò illa nullo modo pertinẽt: omniũ enim fideliũ manibus teritur Dei verbũ,nec apud nos ſacra myſteria clã populo habẽtur,ita vt ſi quis,quæ noſtrarũ Eccleſiarũ ſit cum verbo Dei cõſenſio expẽdere velit: quemadmodũ & optamus, & vehementer omnes adhortamur(tunc enim regnat

regnat & triũphat cũ verſatur in luce veritas) per nos quidẽ planũ & tutũ iter,ad auguſtiſsimum totius religionis ſacrarium ſit habiturus.

Prætereà excutiamus quænã ſit tandẽ ſi nõ ratio,at imago rationis & ſimulacrũ, cur conuocatio illi placeat,cõgregatio diſpliceat: quoniã,inquit,cõgregatio cũ brutis animantibus, rebúſq; ſenſu deſtitutis cõmunis eſt,conuocatio verò eſt duntaxat hominibus propria,certè ineptũ fuerit de vocabulis contẽdere, quũ ſint tãtùm rerũ notę, dicã tamẽ obiter te in eo falſum eſſe,quòd non animaduerteris,ſermonem quidem & orationẽ homini propriè conuenire: vocẽ autẽ vnde cõuocatio defluxit,quũ reliquis quoq; animãtibus eſſe cõmunẽ. Ac non poſſum te ſatis mirari,qui,quũ de vocabulorũ proprietate tam ſubtiliter diſputes, nihilominùs in re tam perſpicua decipi te patiare. Quî enim congregationẽ rebus ſenſu carentibus propriè attribueris. At vt opinor,quid Gregis nomine ſignificetur te non præterit, ex quo deriuata eſt congregatio: quæ quidẽ κυρίως de quibuſdã brutis animãtibus dicitur, μεταφορικῶς verò ad res penè infinitas deducitur. Sed Eccleſia Chriſti à ſynagoga Iudæorum ſeparãda eſt. Quin ipſum igitur accuſas Chriſtũ, qui toties Gregis nomine ſuos cõpellat,& Apoſtolũ,quì à vocabulo τῆς ὁπσωναγωγῆς in hoc etiã argumẽto minimè tẽperauit. Sed hac de re plus ſatis.

THESIS XI.

Quòd autẽ ſint Chriſtiani vna fide, vnóque cultu inter ſe ac cũ Chriſto capite colligati,aſ-

„ ſerit idē Apoſtolus. Vnum corpus, inquit, &
„ vnus Spiritus, vnus Dominus, vna fides. Quòd
„ itidē Eccleſiā Spiritus ſanctus iuuet aut dirigat
„ vt fortiter pugnādo in terris, coronā cōſequa-
„ tur in cœlis, Idem teſtatur: Spiritus, inquit, ad-
„ iuuat infirmitatem noſtram.

ANALYSIS.

Vnā eſſe Chriſtianorū omniū fidē inter ſe communem, & Spiritum Dei Eccleſiam dirigere ac gubernare, confirmatur ex Paulo.

REFVTATIO.

At iſta mi homo, nihil opus erat vt demonſtrares: ſatis enim ſua luce lucēt, & apud omnes ſunt in confeſſo. Etſi iamdiu proſpicio quò iſthæc omnia tendāt, ſed me reprimam, donec tuum virus, quod nunc ſub veritatis perſona deliteſcit, in apertum erumpat.

THESIS XII.

„ Quæ ſi vera ſunt, vt eſſe vera ſacræ literæ aſ-
„ ſeuerant, relinquitur profectò Eccleſiam, in re
„ bus ad ſalutem neceſſariis, nullo modo errare
„ poſſe: alioqui non eſſet ſchola, & columna, &
„ firmamētum veritatis: nec Spiritus ſanctus vel
„ eam benè regeret, vel in ea doceret omnem ve
„ ritatem, quemadmodum Chriſtus præ dixit, ac
„ promiſit.

ANALYSIS.

Si Spiritus ſanctus regit Eccleſiam, in eáque docet omnem veritatem: item, ſi Eccleſia eſt ſchola, & columna, & firmamentum veritatis, certè

certè Eccleſia in rebus ad ſalutem neceſſariis errare non poteſt.

REFVTATIO.

Hoc eſt prius membrum hypothetici ſyllogiſmi Pontificij, quo ſuas ſe omnes hæreſes propugnaturos arbitrātur. Sic autē Syllogiſmū ſtruere tandē geſtiunt. Si Eccleſia in rebus ad ſalutē neceſſariis errare non poteſt, & Eccleſia eſt penes Pontificios: certè in rebus, quæ ſunt ad ſalutem neceſſariæ, Pontificij errare non poterunt. Alterā partem hypotheſeos probare conabitur, quū de notis Eccleſiæ diſſeret: nunc verò priorem ita confirmat. Eccleſia regitur à Spiritu ſancto: Item Eccleſia eſt ſchola &c. veritatis, ergò falli ad perniciem non poteſt. Hîc non eſt diſſimulādum Sophiſtam, quū appellationis Eccleſiæ varias ſignificationes recenſeret, illius oblitū eſſe, quæ eſt in primis conſideranda: nempè Eccleſiā denotare aliquando Electorū ſocietatē atq; communionē: cui veriſsimè nomen Eccleſiæ attribuitur, & in cuius gratiā excellentiſsimæ laudes illæ, de quibus ſæpè cōmemorat Pinellus, in Scriptura vbiq; ferè cōmendatur. Etenim quum Eccleſia dicitur eſſe corpus, & ſpōſa Chriſti, colūna & firmamentū veritatis, &c. perſpicuū eſt ſcripturā ratione tantùm habita electorū, de Eccleſia tā elatè támque magnificè loqui. Quamobrem? Quia nunquā vlcera & carcinomata, cum pulcherrimo capite, nec profligatiſſimæ, turpiſsimæq; meretrices, cū ſanctiſsimo & caſtiſsimo ſpōſo, nec hypocritę cū ſtabili æternáq; verita

te coagmẽtari & conglutinari possunt. Atqui nulla est significatio Ecclesię, si modò eam excipias de qua disputo, quæ non & vlcera, & meretrices, & hypocritas possit recipere, atq; etiã maxima cum offensione bonorum omniũ, sæpè recipiat. Nec sine causſa Pinellus, quum homonymiam vellet à vocabulo Ecclesiæ remouere, in variis Ecclesiæ significationibus explicandis, lusit potiùs, quàm rem, vt oportebat seriò edisserit. Præuidebat enim veterator, si electorum Ecclesiam, in reliquarum album retulisset, fore (quum synagoga Romana suo omni fuco, se ad congregationem electorum pertinere, probare non possit) vt in ordinem redacta Pontificiorum natio, autoritatem, quã nunc apud suos ægrè tuetur, amitteret. Nec opus est, vt in istiusmodi explicanda quæstione diutius immoremur: possítne, in rebus ad salutem necessariis Ecclesia labi, errare, falli, decipi. Cõcedamus non posse. Quid enim ad Põtificios argumentũ illud pertinet? aut quid est Pontificiis cum Ecclesia Dei cõmune? Atq; ne singula persequar, quis non euidẽtissimè colligat, si Ecclesia errare nõ possit, Ecclesiã penes Põtificios esse non posse, vt ipsi & loquũtur, & sentiũt: qui suis erroribus infinitis effusã in homines Dei gratiã exinaniuerũt, qui pretiosissimũ Christi sanguinẽ cũ passionibus Martyrũ sceleratè confuderunt, qui Paganismi & Iudaismi turpibus maculis veritatem Euangelicam fœdarunt, qui denique quantum in ipsos fuit, Ecclesiam de mundo sustulerunt. Quid tibi faciam

faciam Iesuita, vt saltem cum ratione insanire videaris. Ecclesia nõ potest in fide labi, errare, decipi, concedo. Penes Pontificios est Ecclesia. Quî hoc fieri potest quum in fide Pontificij & se ipsi grauissimè, & alios decipiant. Negas? prima igitur quæstio instituenda est, de veritate dogmatũ, quod à vobis frustrà iãdiu exposcimus. Deinde, quod & fusiùs posteà expẽdemus, Ecclesię nomine hoc quidẽ in argumẽto, quemadmodũ in secunda Thesi docuisti, Christianorum & fidelium vniuersitatẽ complecteris: quæ vt errare non possit, tamen non efficietur, aut Ecclesiam Romanã fidem illius sequi, aut tantùm agnoscere. Quis enim si vẽritas ostiatim colligenda est, ac non potius ex verbo Dei haurienda, certò vnquam poterit affirmare, omnes qui vbique sunt fideles, in hæc vel illa verba iurasse? Primùm nulla est nota, quæ quidem hominibus pateat, qua verè distinguantur electi à reprobis. Solus enim Deus est scrutator mentium & contemplator. Deinde infiniti esset laboris nominatim appellare singulos, & nihilominus tota rei veritas, in paucorũ hominũ fide & manu verteretur. Postremò quum electi etiam seorsim cõsiderati errare possint, quis tandem iudex cõstituendus esset, præsertim quũ multò plures inueniãtur, qui nõ habeant solidã rerũ sacrarũ intelligentiã, quàm qui habeãt. Et infinita sũt eiusmodi absurda, in quæ incidere coguntur, qui facilẽ & perspicuã veritatis cognitionẽ, ex verbo Dei scripto recusãt accipere: tũ propter

cà quòd si lumẽ illud extinguas, necesse est vt in tenebris, quocũq; te verteris oberres: tùm quòd iustissimè ac seueriſsimè Deus, abominandam hominum ingratitudinem vlciſcatur.

Sed more noſtro excutiamus argumenta Ieſuitæ. Si Eccleſia errare poſſet, nõ eſſet ſchola, & colũna, & firmamẽtũ veritatis. Atqui Eccleſia eſt ſchola, &c. Ergo Eccleſia errare non poteſt. Antequã ad diluendã Sophiſtę ratiocinationẽ aggrediar, quæ ſit mea de fide orthodoxa Eccleſię ſententia, exponã. Quũ Eccleſiam in rebus illis, quę ad ſalutẽ requirũtur neceſſariò, falli non poſſe concedo: dictũ illud ita intelligo, Deũ in mũdo ſemper electos habere, qui ea verè ſentiãt & amplectẽtur, quæ ipſis Deus ad æternã beatitudinẽ conſequendã reuelauit: propterea & fœdus, quod cũ hominibus icere Deus, pro infinita benignitate ſua voluit, æternũ eſt, ac eiuſmodi, vt intercidere non poſsit. Sed quia eſt aliquid intermediũ, inter errorẽ in rebus etiã ad ſalutẽ neceſſariis, & diuini fœderis interruptionẽ: expendamus neceſſe eſt, quatenùs Eccleſia vel particularis vel Catholica in fide poſsit errare, ac nomẽ Eccleſiæ tueri, & à fœdere cœleſti non excidere.

Primùm quãuis omnia, quæ tradũtur in ſacris literis, eiuſmodi ſint, vt penè requirãtur neceſſariò, vt æternæ beatitudinis tandẽ fiamus cõpotes: nihilominùs ſi rẽ ipſam attentiùs excutiamus, diſcernẽda erunt fidei noſtræ fundamenta, quæ ſi tollantur, iã nulla erit noſtra fides, ab iis quæ quãuis ad ſalutẽ ſint neceſſaria, nihilominus ſi euertantur ad tempus, ruinam totius fidei ſecum minimè trahunt. Ne longius abeam, luculentiſſima huius doctrinæ in ſacris literis extant teſtimonia Ἐν σάρκωσις Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnum eſt ac præcipuum ex fundamentis fidei. Quamobrem ſtrictè dicit Ioannes in 4. cap. 1. Epiſt. verſ. 2. & 3. Ex hoc cognoſcite Dei Spiritum, quicunque Spiritus profitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. At quicunque Spiritus non profitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt, ſed hic eſt ille ſpiritus antichriſti, de quo audiſtis eum venturum fuiſſe, & qui iam nunc in mundo eſt. At error Galatarum, quamuis admodum perniciosus, Chriſtum enim cum Moſe tam amicè conciliare inter ſe conabatur, vt alter ſine altero ad ſalutem ſufficere non poſſe videretur, & de quo grauiter Paulus pronuntiat eſſe aliud Euangelium Gal. cap. 1. verſ. 6. & rebellionem aduerſum veritatem 16. cap. 3. verſ. 1. Item ſeparationem à Chriſto & abolitionem gratiæ 16. cap. 5. verſ. 4. tamen Galatarum Eccleſiam, pro Eccleſia Dei agnoſcit, & quæ omninò à fide non exciderat. Poſſunt & alia multa in hanc afferri ſententiam, ſed moderatis hominibus, & qui veritatem ſibi, vt ſcopum diſputationis propoſuerunt, iſta iudico eſſe ſatis.

Iam nemo eſt, vt opinor, qui de vniuerſali Eccleſia tam malè ſentiat, vt non ſaltem iuris tantundem habeat, quam vel minimam ex particularibus Eccleſiis. Cur enim ſi particularis

Ecclesia, in fide aliquatenus vacillat, Ecclesiæ nomen atque dignitatem tuetur, donec aut præfracta obstinatione veritati mendacium antepoſuerit, aut fundamenta fidei euerterit: hoc verò ſi vniuerſali Eccleſiæ accidat, vt Euangelij puritatem obſcuret nubeculis humanarum opinionum, eueſtigio Eccleſia eſſe deſinat? Deus autem admirabiliter Eccleſiæ ſuæ moderatur, eiúſque fulgorem aſſiduè reparat, ne temporum interuallis, humanæ peruerſitatis atque cæcitatis rubigine obſitus, tandem omninò euaneſcat.

Ad Pinelli verò ſyllogiſmum, ita reſpondeo. Eccleſiam dici columnam & firmamentum veritatis non ἁπλῶς, ſed κατά τι. Ac certè veritas infirmiſſimo niteretur fundamento, ſi fragili, vanæ, atque mutabili creaturæ incumberet. Itaque multò meliùs Prophetæ, quàm Pinellus ſolent, quum homines in ſolida veritate confirmant, iſthęc in primis verba vrgere, Deus loquutus eſt. Quamobrem, ſi ſemel veritatis columna quærenda eſt, Deus ipſe, atque adeò Chriſtus, quem conſtituit fundamentum Eccleſiæ, columna erit & ſtabilimentum veritatis. At hominum reſpectu Eccleſia hoc titulo inſignitur, quia nuſquam alibi lucet Dei veritas inter homines, quàm in Eccleſia. Quapropter qui Eccleſiam in aliquibus errare poſſe dicunt, minimè quidem veritatem, quæ æterna eſt atque immutabilis, aut delent aut ſubruunt: ſed ab hominum conſpectu, quó illuſtrior appareat Dei gratia & benignitas, & magis

magis ac magis homines ſuę tùm miſerię, tùm cæcitatis coarguantur aliquatenus perfectiorem Euangelij notitiam remouent atque amoliuntur. Atque hîc peto à ſophiſta Pinello, quum Eccleſia Catholica ex particularibus Eccleſiis omnibus collecta ſit, & in particularibus tantùm doceat & conſtabiliat veritatem, an Eccleſia particularis errare in fide poſſit: fatebitur, & ſi fateri nollet, deformis Græcarum atque Africanarum Eccleſiarum facies hominem apertiſſimè redargueret, an multæ particulares Eccleſiæ poſſint errare concedet. an omnes? hoc verò pernegabit. At cur iſti Eccleſię potius, quàm illi errare in fide contingat, cauſſa nulla probabilis afferri vnquam à Pontificiis potuit. Ne autem obiiciat, vt omnes particulares Eccleſiæ ſeparatim conſideratæ, in rebus ad ſalutem neceſſariis decipiantur, tamen ſi omnes vnà conuocentur, cœtum illum, repudiatis omnibus mendaciis, veritatem fortiſſimè amplexurum: nemo non videt fieri non poſſe dum in terris verſabimur, vt omnium, qui vbique ſunt fidelium, iſtiuſmodi reipſa exiſtat congregatio. Et quod de conciliis nugantur, ne ſigillatim ea perſequar, quæ ſunt à noſtris hominibus accuratè diſputata, certè quum de vniuerſali Eccleſia diſſeramus, quam noſter etiam Pinellus, omnium fidelium numero determinat, euidẽtiſſimè colligitur concilia quantumlibet generalia, Eccleſię Catholicæ nomen atque dignitatem ſuſtinere non poſſe. Atque de his quidem hactenus.

Pergit obiicere Vademontana Thesis: Ecclesiam errare non posse, quòd in ea Spiritus sanctus doceat omnem veritatem, quódque illam & regat & gubernet: iniuria enim fieri sancto Spiritui non obscurè videretur, si aut ea quæ nobis sunt ad salutem necessaria, quum sit Ecclesiæ doctor, dissimularet, aut Ecclesia deciperetur, quam instituendam atque gubernandam suscepisset. Respondemus promissionem illam, de mittendo Spiritu, qui omnem veritatem explicaturus esset, apud Ioannem extare 16. cap. quo in loco Christus disserit, de vberrima excellentissimáque illa, & singulari effusione Spiritus in Apostolos, qui eis reuocaturus esset in memoriam illa omnia, quæ à Christo acceperant: eósque magis ac magis in percepta, & cognita veritate confirmaturus. Itaque apertè distinguenda est Spiritus illa in Apostolos effusio, ab ea vi atque efficacia, quæ reliquos fideles afflat, & ab infidelibus discernit. Ratio est: quia constituti erant à Deo Apostoli, vt Spiritu sancto duce atque illustratore, arcana cœlestia plenè atque perfectè intelligerent, & literis consignarent ad memoriam sempiternam. In cæteris autem fidelibus operatur Spiritus, vt & Scripturæ credant, eáque diligenter & assiduè audienda, meditanda, legenda magis ac magis proficiant. Et vt verbo expediam, ea est inter Apostolos, & reliquos fideles differentia, quæ esse debuit inter eos, qui excitati erant à Deo, vt perfectè pietatem scriberent, eósque qui doctrinam absolutè conscriptam strenuè laborando ediscere iubentur. Itaque Deus omnem veritatem docuit Apostolos immediatè vt loquuntur per effusionem sancti Spiritus: nos verò eandem veritatem docet mediatè per scripturas.

Nec blasphemia caret id, quod addit Iesuita: nempè si Ecclesia fallatur, sequi necessariò, eam malè Spiritum sanctum regere. Nam & singuli electi à Spiritu sancto reguntur, & particulares Ecclesiæ gubernatorem agnoscunt Spiritum sanctum: & tamen tum Electi, tum Ecclesię particulares sæpissimè in articulis nostræ fidei labuntur: nec sui erroris modò Electi nomen atque Ecclesię tueri velint, sanctum Spiritum accusant. At si Sophistæ Pinello credimus, sola vniuersalis Ecclesia, singularibus Electis, & particularibus Ecclesiis audacior & præfractior, si fortè in errorem incidat, non se ipsa stuporis & negligentiæ, quemadmodum decet humilem, & sua peccata seriò execrantem: sed (ô scelus, omnium quæ post hominum memoriam perpetrata sunt, maximè abominandum) malè administrati imperij, sanctum Spiritum insimulabit. Certè tùm Electorum singulos, tùm particulares fidelium cœtus, tùm vniuersam credentium multitudinem gubernat, & tuetur Dei Spiritus: sed, quo se agnoscant esse homines, & ab vno Deo pendeant, vt aliquando fallantur & aberrent à proposito permittit: maximè quum suæ conditionis obliti, se in Deos transformant, & si-

bi, quæ soli Deo est propria, immutabilitatem affingunt.

THESIS XIII.

» Sed Caluinus acutè vt ipse putat, hanc to-
» tam quæstionem sic decidit. Ait enim Catho-
» licos (quos suos aduersarios vocat) ita inter-
» pretari, quod dicunt Ecclesiam non posse er-
» rare: vt ea quum Spiritu Dei gubernetur, tutò
» incedere sine verbo Dei possit: quocunque per
» gat, non possit, nisi quod verum est, sentire aut
» loqui, proinde si quid extra, aut præter Dei
» verbum statuerit, id tanquam certum Dei o-
» raculum habendum sit. Nos verò subiungit
» Caluinus, si demus errare nõ posse Ecclesiam,
» in rebus ad salutem necessariis, hic sensus no-
» ster est, quod abdicata omni sua sapientia, à
» Spiritu sancto doceri se per verbum Dei pati-
» tur, & ab eo minimè separatur. Quod si extrà,
» inquit alibi, vel absque verbo Dei, sine proprio
» sensu longiùs euagaretur, à recta via protinùs
» aberraret.

THESIS XIIII.

» Verum ipse hoc in primis peccat, quod Ca-
» tholicorum sententiam non fideliter candi-
» déque expromat. Nusquam enim Catholici
» profitentur, posse Ecclesiam de iis quæ ad fi-
» dem spectant, extra vel sine verbo Dei, ac pro-
» prio sensu longiùs euagando iudicium ferre:
» alioqui non diuino, vt ipse refert, sed humano
» potius spiritu duceretur.

ANA-

ANALYSIS.

Ea est opinio Caluini, vt dicat Ecclesiam errare non posse, in rebus ad salutem necessariis quandiu à Spiritu sancto se regi per Dei verbum patitur: & in eo accusat Pontificios, quòd extra Dei verbum Ecclesiam benè incedere contendãt. Sed hoc nusquam profitentur Pontificij: nam si hoc accideret, Ecclesia non diuino sed humano spiritu duceretur.

REFVTATIO

Vide quæso Pinelle, túque illustrissime Princeps, quàm benè vobis cum Ecclesia Romana conueniat. Quod ad me attinet non satis possum mirari, quid tandem cogitetis. An epoto flumine Letheo derepentè vestri Papatus estis obliti? An in vestro regno estis hospites atque aduenæ? an vestræ peregrinantur aures, nec in vulgatissimo sermone versantur? At nemó est, vt ego quidem existimo, Pontificiorum qui de illa controuersia non audierit: nempe Papam posse nouos fidei articulos condere, ad Scripturam quæ desunt, adiicere: legem à Deo datam relaxare: & pleraque huiusmodi patrare. Quæ quum ita se habeant apud Pontificios, iam hoc non est supra, sed apertè contra scripturam sapere velle. Quid verò est opus hac de re, vt quid sentiatis proferam, quum quid faciatis cõspiciam? Libet articulos fidei, quos fœdè corrupistis præterire silentio: libet quæ in disputationem cadere possent, dissimulare: aperta, plana, perspicua in medium pro-

ducenda sunt, quæ vos velitis nolitis cogent confiteri: quum Ecclesia nunquam extra Dei verbum excurrat, Pontificios qui extra, supra infra, contra verbum Dei aberrant, sapiunt, vacillant, præliantur ad Ecclesiam non pertinere. Itaque peto etiam atque etiam à lectoribus benè vt meminerint, Iesuitam in eo sentire nobiscum, quòd ea demum vera sit Ecclesia, cuius omnia dogmata, non modo cum verbo Dei consentiant: sed diuino etiam verbo contineantur. Quamobrem facilis & expedita occurrit, ad Romanam Ecclesiam diiudicandam ratio, quamque nos arripere possumus cum bona sophistæ nostri venia: & quæ porrò cum definitione, quam paulò antè examinauimus congruit: si quibusdam excussis Pontificiorum traditionibus, apertè doceamus non modò Dei verbo non contineri, sed euidentissimè quoque Dei verbo repugnare. Sed antequam vlterius progrediamur, videndum est quam benè sibi ipse suffragetur Pinellus. dixerat suprà, nempe in Thesi 4. nascentes de fide vel moribus quæstiones quæ ex scriptura solui non possent, Ecclesiam vt fidelem interpretem ac magistram decidere. Hîc non quæro, quinam sit ita fidelis interpres, qui Dei verbum non modò vt libitum est, interpretatur, sed illi etiam addit de suo: tantum efflagito à Iesuita nostro vt explicare dignetur, qua tandem ratione Ecclesia verbi scripti terminos non egrediatur quę ea quæ ad fidem pertinent, quæque ex scriptura solui non possunt vt fidelis interpres

pres & magistra decidat. Ne autem sophista possit elabi, ex eadem Thesi verba illa repetenda sunt, & superioribus adiungenda. Non possunt omnia à diuina scriptura accipi: Itē, in rebus dubiis Ecclesia nobis cōsulenda est. Quod vltimum per se nequaquam est vitiosum, sed à me producitur, quod Ecclesiæ tanquam supplementum, scripto Dei verbo opponat. Hic quæso pedem figamus. Omnia inquit, Pinellus non possunt accipi à scriptura. Item, Ecclesia decidit quæstiones de fide quæ ex scriptura solui nequeunt, quæ Theoremata pertinent ad Ecclesiam Romanam, quæ sola Ecclesiæ nomine dignatur à Iesuitis. Ergò vagatur extra scripturam Ecclesia Romana, & ipso etiam Pinello confitente, humano non diuino spiritu agitur, id est, vt sophistæ sententiam clariùs exprimam, Ecclesia Romana non est Dei Ecclesia: quod pronuntiatū, quoniā subtilissimè argumentando, extorsit vt fateremur, agè homini concedamus. Restat vt propositis exēplis omnes intelligant, longè latéq; Pontificios extra Propheticum & Apostolicū sermonē spatiari. Nam quis est adeò impudens, qui affirmare audeat, inuocationē sanctorū in scripturis præcipi: adorationē imaginum à Deo imperari: prohibitū esse cælitus sacrorum voluminū lectionē publicā: Papatū diuini esse iuris: septē quæ vocant sacramenta esse à Deo instituta: transubstantiationē in sacris literis prodi: & ne singula recenseam, Prophetas vnquā aut Apostolos, vt oraremus pro mortuis docuisse: & abominandum Purgatorii commentum, in sacras

tabulas retulisse. Hæc quũ ex scriptura demonstrauerint Pontificij, alia etiam proferemus.

THESIS XV.

» Deinde quæ ex sua ipse sentẽtia profert, falsa sunt ac inter se pugnantia. Ait enim Ecclesiã dũ verbo Dei annexa est errare non posse, quũ autẽ ab eo separatur è vestigiò labi. Qua in re ex eb quærendũ est, num sciungere se à verbo Dei sit errare, quod verum esse si fatebitur, vt fatebitur, quum Ecclesia possit se à verbo Dei seiungere, fit vt possit omninò errare, quod licet hic obscuriùs, alio tamen loco clariùs, vt paulò pòst dicemus, fatetur.

THESIS. XVI.

» Iã si ita est, efficitur certè spiritũ S. Ecclesiæ promissum ac datũ posse eã deserere. Nam si Ecclesia, vt Caluinus ait, in iis quæ ad fidẽ morésq; spectant, proprio sensu euagando à veritate aberrare posset, relìqui etiã posset à spiritu S. quippè qui non est spiritus erroris, & tenebrarũ, sed veritatis ac lucis: quo absurdi' nihil quicquã esse potest. Quasi enim solẽ de mundo tollunt, qui spiritũ S. de Ecclesia auferunt, falsa verò esset illa Christi promissio, q; spiritus S. esset æternũ in Ecclesia mansurus, ciq; omnẽ veritatẽ explicatur'. Falsum etiã illud Apostoli fore Ecclesiã esse colũnã, ac firmamentũ veritatis.

THESIS XVII.

» Quibus argumentis necesse est respondeãt Caluiniani: vel posse quidem Ecclesiã separare se à verbo Dei, ac errare, nunquã tamen permissurum Deũ, cã reuera à suo verbo auelli, & in erro-

in errorẽ labi: vel promissiones illas esse factas Ecclesiæ non omninò, sed si se nunquã à Dei verbo segregauerit. Illud si respondeant, tùm apertè suo Caluino aduersantur, qui sæpè asserit Ecclesiã perdiu fuisse in summa veræ fidei, veriq; cultus ignoratione demersam. Tùm liberaliter fatentur sectã Geneuensem mendacẽ esse ac falsam: Nam si Deus, suã Ecclesiã catholicã errare non permisit, errat Geneuensis, quę est illi planè contraria. Hoc verò si asserant, nõ solũ à sacris literis, quæ absolutè & sine conditione loquuntur, alienã doctrinã profitentur: sed etiã sua ipsorũ documenta penitus euertũt qui nẽpè subindè vociferantur, ad sacras literas ne iota quidem addendum.

ANALYSIS.

Contra se pugnat sententia Caluini, docet enim Ecclesiam errare non posse dũ verbo scripto adhæret: idẽ fatetur Ecclesiã posse se à verbo scripto seiungere, ac proinde labi & decipi: ergò Ecclesia quæ ex doctrina Caluini errare nequit, potest errare: quæ manifestissima est cõtradictio. Caluini quoq; doctrinã hæc sequuntur absurda. Ecclesiam posse à spiritu S. deseri. Falsam esse Christi promissionẽ de perpetua spiritus in Ecclesia commoratione, postremò Ecclesiam non esse firmamentum veritatis. Respondeant igitur hæretici factáne sit Ecclesiæ promissio nuda & simplex, an sub conditione, si se à verbo non segregauerit: si promissio factam est simpliciter: Geneuensis secta est hæretica, vtpote quæ Ecclesiæ

contradicat, quæ quidem errare non possit: at si respondeant promissionem esse conditionalem, videlicet si verbo Ecclesia obtemperauerit: conditionem illam addunt de suo, quæ nusquam scripta extat.

REFVTATIO.

Vbi est acumen tuũ? sibíne ille contradicit, qui absolutè verũ esse negat ꝙ sub conditione fatetur? Quæstio est, an Ecclesia possit errare, posse dicit Caluinus, idẽ affirmat si verbo adhęreat nõ posse decipi: quæ est hic contradictio? quæ antonimia? quæ sentẽtiarũ inter se pugna & conflictatio? certè nulla. Qui fit vt satis accusare non possim tuã Pinelle audaciã, qui bonarum artiũ planè imperitus, in arenã Theologicã & Philosophicã descendere non verearis. Nemo enim præter te, vt opinor, non intelligit, quę sit earũ propositionũ natura, quibus addita est conditio: quãq; sint πρῶτα παιδείας ignari, qui argumentationes categoricas cũ hypotheticis confundunt. Sed fortè in eo falsus es, ꝙ existimaueris conditionẽ à Caluino expositã, ex ipsius Caluini sententia esse huiusmodi, vt quũ semel adfuisset, posteà nunquam abesse posset. Quod certè locũ haberet, si ad hunc modũ sententiã suã expressisset Caluinus: Ecclesia non potest errare, quia verbo Dei cõstanter ac perpetuò adhæret: deinde sui oblitus scripsisset errare potest Ecclesia, propterea ꝙ verbũ Dei potest abiicere ac repudiare. Aut ita potius, errare potest Ecclesia, quia & potest verbũ Dei deserere: non potest Ecclesia errare, quia & nõ potest verbũ Dei deserere. At nõ ita solet Caluinus

uinus aut scribere, aut loqui, sed sibi ipse perpetuò & accuratè cõsentiens, maledicentissimas sophistarũ atq; Iesuitarũ criminationes non reformidat: à quibus tacentẽ, & cõfecto integerrimę vitæ curriculo, placidè in Domino quiescentẽ: sua illũ fides, atq; integritas, & in tractãdis rebus sacris acumen & solertia, satis superque vindicat. Atenim si Ecclesiæ contingit vt erret, contingit etiã vt à Spiritu san. deseratur: quia nõ est spiritus mendacij, sed veritatis. Respõdeo particulares Ecclesias posse in fide delinquere, & à S. spiritu deseri, quẽadmodũ experientia luculentissimè testatur. Catholica verò errare quidẽ potest, & aliquando grauissimè, à spiritu tamen sancto excidere non potest protereà ꝙ De' æterni fœderis constantiã tueri velit. Quãobrẽ non patitur adeò densas vbiq; simul grassari mẽdacij & ignorantiæ tenebras, nulla vt sit vera germanáq; inter homines Ecclesia. Sed in eo turpiter hallucinaris, ꝙ in Ecclesia prẽsentiã spiritus non agnoscas, nisi semper ad vnguẽ cũ rebus illis omnibus, quæ sunt ad salutẽ necessariæ consentiat. Ego verò nunquã Ecclesiæ, præsertim Catholicę, tãtũ detrahã, vt faciliùs excidere à dono sancti credã spiritus, quã electorũ singuli. Dona Dei & vocatio inquit Paul' Rõ. c. 11. v. 29. sunt ἀμεταμέλητα, vt quibus dederit fidei atq; pietatis spiritũ, excellẽtissimũ & pretiosissimũ illud donũ, electi nunquã amittant. Nihilominus quotidie labi electos in fide certiùs est, quã vt probatione indigeat. Siquidẽ Apostoli erant electi, & spiritu S. etiã donati: at quã sæpè & quã grauiter in

articulis nostræ fidei errauerint, ante plenissimã illã S. spiritus effusionẽ, sacra testatur historia. Ex quibus effici volumus, idẽ planè nõ esse in fide labi, ac spiritũ amittere. Deus enim suorũ infirmitatis atq; ignorantiæ miseretur, modò absit peruicacia & improbitas. Nã quid de particularibus Ecclesiis cõmemorẽ, quarũ plereq; in rebus ad salutẽ æternã spectantibus periculosè lapsæ, sua dignitate non exciderũt. Etenim non est hæreticus, & alienus à Deo atque salute, qui errat, nisi error sit eiusmodi, vt fidei fundamenta conuellat: sed qui errorẽ contumaciter atq; obstinatè tuetur, & veritatẽ ex verbo Dei apertè cõprobatã repudiat. Quãobrẽ argumentũ in Iesuitam ita retorqueo. Si dona Dei & vocatio, quibus & singuli electi, & particulares Ecclesiæ fruuntur, eiusmodi sunt, vt eorũ non possit Deũ pœnitere, ita vt quãuis tũ hæ, tũ illi aberrent in fide aliquando, spiritu tamen non excidant: & Catholica Ecclesia dona Dei & vocationẽ vberiùs participat, quã aut singuli electi, aut Ecclesiæ particulares: profectò si Ecclesia catholica in fide aberret aliquãdo, spiritu propterea non excidet. Ratio est quia mediũ quoddã interiicitur, inter aberrationẽ in fide, atq; amissionẽ spiritus. Quãobrẽ facilis est ac cuilibet obuia, eius dilemmatis solutio: q̃ nimirũ ad nos constringendos excogitauit Pinellus. Si promissio, inquit, præsentiæ spiritus in Ecclesia est simplex, consequitur Ecclesiam non errasse, ac proinde Caluinianos (sic enim eos appellat, qui nõ Caluino eruditissimo quidẽ, & maximè pio homini, sed tamen homini, verũ Christo nomen dederunt) in crassissimis

erroribus versari: vtpote qui ab Ecclesia dissentiant: sin autẽ sub conditione promissionẽ esse factã excipiant, sacris literis quæ absolutè loquuntur, repugnant: & sibi etiã ipsi contradicunt, qui subinde vociferantur, ad sacras literas nihil addendũ esse. Respondeo dilẽma Iesuitæ longè vitiosissimũ esse, vt q̃ mediũ recipiat, q̃ quidẽ nò admittunt perfectę diuisionis leges. Nã vt pars prior dilẽmatis vera esset, nemo nõ videt facilè excipi posse, nõ benè colligi, amissionẽ spiritus, ex quodã lapsu, qui reparari solet in electis à Deo: ita vt error sępenumerò ad vberiorẽ fidei cõfirmationẽ admirabiliter cõducat. Sed in eo vehementissimè hallucinatur, q̃ asseuerare non dubitet promissionẽ præsentię spiritus in Ecclesia simpliciter esse factã. Certè suã Ecclesiã Deus elegit purè ac simpliciter, electã quoq; purè ac simpliciter, quoniã erga illã sua misericordia vt ab æterno decreuit, conseruat & tuetur: nihilominus quæcunq; tũ specialiter in suos tũ generaliter, se collatutũ beneficia promittit: sub ea conditione pollicetur si legi suæ paruerint. Hæc enim est cõditio fœderis cũ Abrahamo icti, & in Abrahami persona cũ tota Ecclesia. Ambula coram me, & esto perfectus: ponãq; fœdus meũ inter me & te, & multiplicabo te vehemẽter. Gen. c. 17. v. 1. & 2. & cap. 27. ver. 4 & 5. quæ conditio in scriptura vbique repetitur: quocirca si vniuersa fœderis benedictio sub hac conditione concepta est, si voci meæ parueritis, multò magis quæ propter illud fœdus, nobis à Deo singula beneficia seperatim considerata tribuuntur:

in quibus ſancti communicatio ſpiritus, meritò præſtantiſſima cenſenda eſt ad iſtiuſmodi conditionẽ referri debent. Itaq; ſanctæ literæ ſolent perpetuò ſpiritum & ſcripturã coniungere. Eſ. ca. 59. v. 21. Rom. c. 10. v. 17. Gal. c. 3. v. 2. Eph. c. 6. v. 17. j. Teſſ. c. 5. v. 19. & 20. Ex quibus neceſſariò efficitur optimè cõmunicationẽ ſpiritus cum verbo indiſſolubili nexu copulari à Caluino: peſſimè autẽ diſtrahi verbũ Dei atq; ſpiritũ à Ieſuita Pinello: Nec Caluinũ Dei verbo addere, ſed Pinellũ detrahere. Poſtremò vehementer inficiamur Eccleſiã Geneuenſem, contrariã eſſe Dei Eccleſiæ. Atq; hoc in loco Pinellus τὸ ἐν ἀρχῇ αἰτεῖται. Nã & Geneuenſem Eccleſiã de numero Eccleſiarũ, quę ſunt orthodoxæ, ſine vlla probatione tollit: & in numerũ earũ, quæ rectè ſentiunt, ſynagogã Romanã reponit: aut potius contra ipſius rei naturã, atq; veritatẽ, ſub nomine ſynagogæ Romanæ vniuerſalem Eccleſiam complectitur.

THESIS XVIII.

Altera pars ſententiæ Caluini eſt, reuera Ec
» cleſiã antè ſua tẽpora, tã in iis, quæ ſpectant ad
» fidẽ Euangelij, quã in iis, quæ ad cultũ vſumq;
» ſacramentorũ pertinent, erraſſe. Idq. accidiſſe,
» q̃ homines relicto puro Dei verbo, humanas
» traditiones cõplexi ſint. Vnde ſe profitetur in
» Eccleſia Chriſti à tot erroribus vindicãda dies
» noctesq. laborare. Egregiũ ſanè hominis benè
» de fide meriti in Eccleſiã ſtudiũ. Quid enim eſt
» aliud dicere Eccleſiã erraſſe, quã aſſerere Chri
» ſti ſponſam mendacẽ fuiſſe ac adulterã? Quàm
» profiteri ſponſæ ſuæ Chriſtũ defuiſſe, cui ipſe ſe per

ſe pereuntem ſpiritus ſancti gratiã daturum pollicitus eſt?

THESIS XIX.

Quare non videt Caluinus, hãc iniuriã quæ fit Eccleſiæ, fieri Eccleſiæ capiti, qui Chriſtus eſt. Chriſto enim maledicunt, inquit Auguſtinus, qui dicunt quia periit Eccleſia de toto orbe terrarum, & remanſit in ſola Africa. Iure verò poſſemus Chriſto obiicere: Hæccine illa eſt præclara tua promiſſio & prophetia, quũ dixiſti, & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eã? Hæccine illa veritas eſt, quã fore in Eccleſia ſpiritu ſancto docente prædixiſti? ſed aiunt aduerſarij Epiſcoporũ negligẽtia illud accidiſſe. Quaſi verò non præviderit Chriſtus paſtorũ ſegnitiẽ, & nihilominus paracletũ Eccleſiæ omnem veritatem ſubminiſtraturum promiſit.

THESIS XX.

Accedit adhæc q̃ ſi Eccleſia errauit, errauit & Chriſtus, qui caput eſt Eccleſiæ. Labante enim corpore, neceſſe eſt labatur & caput. Errauit itẽ ſpiritus S. qui eam regit. Sic enim lapſus pedis, regentibus oculis tribuitur, & nauis error oſcitanti gubernatori adſcribitur.

ANALYSIS.

Caluinus non modò affirmat Eccleſiã errare poſſe, verũ etiã erraſſe, tũ in fide, tũ in ſacramentis, vnde ſequitur ſponſam Chriſti fuiſſe adulterã, & Chriſtũ ſuæ ſponſæ defuiſſe. Deinde iniuria quæ fit Eccleſiæ, fit etiã Chriſto, cuius promiſſiones, ſi Eccleſia erret, falſæ deprehendentur. Poſtremò, quum ea ſit ratio inter Chriſtũ atq; Eccleſiam, quæ eſt inter caput &

corpus, quẽ admodũ labante corpore caput labitur, ita Ecclesia errante Christus errat, quod est huiusmodi vt fieri non possit.

REFVTATIO.

Quum nominis Ecclesię multiplex afferatur significatio, malè argumentãtur qui quidquid de Ecclesia dicitur ad vniuersalẽ obtorto collo pertrahunt. Neq; enim Caluini sententia fuit huiusmodi, vt affirmaret in tam crassos errores vniuersalẽ Ecclesiã incidisse, qui omninò Ecclesiæ rationẽ delerent. Sed video quid Iesuitæ nostro imposuerit. Sibi iandiu persuasit Ecclesiã Romanã & catholicã idẽ esse, ita vt si quis nostrũ erroris, atq; adeò impietatis Romanam synagogã accersat, cuestigiò tãquã si vniuersalẽ Ecclesiã condẽnasset traducatur, à bonis istis Romanæ dignitatis assertoribus. Sed quoniã quũ de visibili & inuisibili Ecclesia disseremus, hoc argumentũ erit paulò vberius explicandũ, in præsentia suffecerit ostendisse, quàm stultè omnia peruertant, qui homonyma distinguere aut nolunt, aut non possunt. Præterea non est dissimulandũ, Ecclesiã quoq; vniuersalẽ posse quibusdã maculis inscientiæ atq; erroris detur pari: quæ quidẽ ad ipsius fidei euersionẽ nõ pertineant: sed tamẽ sint eiusmodi, vt si Deus pro infinita benignitate sua subinde Ecclesiã non repararet, in hæresim facilè incideret. Ac ne quis me, tanquã contradicentia scriberẽ vexare possit: de re tota hoc meum est iudiciũ. Affirmaui suprà, ꝙ est longe certissimũ, verã Ecclesiam

siã & verã fidẽ reciprocari: nunc autẽ asseuero Ecclesiã vniuersalem in aliquibus errare posse. Ex pronunciatis duobus istis omninò effici videtur, aut Ecclesiam vniuersalem contra fœderis æternitatem intercidere: aut veram fidem atq; errorẽ in vnã eandẽq; vniuersalem Ecclesiam cadere posse: quæ duo quis existimauerit esse absurdissima. Res autem non ita se habet. Quin perpetuò futura sit Ecclesiæ in terris cõmoratio, nemo est, vt opinor, qui dubitet. Ecclesiã verò sine fide, & quidem ad salutem efficaci constituere, omninò est ἀδύνατον. Restat igitur vt expendamus, an vera fides atque error in vno eodémque subiecto simul esse possint: quod quamuis esse videatur absurdũ, & nihilo minus certissimum. Hîc de fide agimus, prout ad cognitionẽm arcanorum cælestiũ refertur: veram autẽ fidẽ appellamus, non quæ perfecta sit, sed quę ad salutẽ sit efficax: qua super omnes prædíti sunt, quos spiritu sancto Deus donauit, & quibꝰ æternã beatitudinẽ pręparauit, ante iacta mundi fundamẽta. Quãobrẽ hoc in primis cõstituẽdũ est fidẽ atq; sancti cõmunicationẽ spiritus, postquam aliquis est vocatus efficaciter, nunquam posse intercidere. At exempla eorum facilè producentur, qui cum essent vocati efficaciter à Deo, nihilominùs in rebus, quæ ad fidem pertinebãt, grauissimè lapsi sunt: Atque ipsi prodeant in primis Apostoli, de quorum efficaci vocatione, vt opinor, nemo ambigit: attamen si paulò diligentiùs consideremus, quàm sæpè, quamque grauiter sint hallucinati, ante vberrimam illam effusionem

ſpiritus,extra omnẽ dubitationẽ,res de qua diſ ſerimus,conſtituetur. Nam & de morte & reſurrectione Chriſti dubitabant, & de regno Meſſiæ Iudaicè ferè ſentiebant, & in pleriſque huiuſmodi grauiſſimè hallucinabantur: quum tamen vera fide atq; ad ſalutẽ efficaci fuerit verè præditi. Ex iſta diſputatione colligitur falſa eſſe illa omnia quæ addit Ieſuita: nẽpè Chriſti ſponſam eſſe adulterã, Itẽ Chriſtũ ſuæ ſponſæ defuiſſe, Itẽ, ſi erret Eccleſia, promiſſiones Chriſti eſſe irritas. Sed admodũ feſtiuè Pinellus ex phyſica corporis ratione de Chriſto & Eccleſia diſſerit. Chriſtus, inquit, eſt caput, Eccleſia corpus, labante igitur corpore caput etiã labatur neceſſe eſt. Atqui non ignoras, vt arbitror, Pinelle, in rebus ſacris non vrgẽdas eſſe forti' cõparationes atq. ſimilitudines quã rei de qua mentio incidit, natura & ratio patiatur: alioqui cũ iã non erunt ſimilitudines ad rẽ illuſtrandã propoſitæ, ſed ipſa res de qua diſſeritur: tum q̃ eſt longè maioris momenti, cæleſtia & terreſtria inter ſe omninò exequaueris, aut potiùs cæleſtia cũ terreſtribus ineptè cõfuderis, atqui vt niſi penitus es ſenſus expers, tandẽ quã iſta diſſerendi ratio veritati Theologicæ inimica ſit ſentias, conſidera obſecro quæ, illa ſit argumẽtatio, caput inænitur corpori, & quæ eadẽ ſit inter Chriſtũ & Eccleſiã ratio, quã inter caput & corpus, efficitur Eccleſiã eſſe Chriſti fundamentũ. At contrariã ſententiã docent ſacræ literæ, tota igitur hæc ſubtilitas eſt inepta, futilis, & Ieſuita planè digna.

THESIS XXII.

„ Quæ ſanè Caluini doctrina ſi ſuis momentis ac ponderibus libretur, non mendaciũ, ſed portentũ potiùs appellanda eſt. Nã quũ de pontificib' ac Epiſcopis Eccleſiæ loquitur, omnes eos erraſſe, vniuerſãq. Eccleſiã lapſã eſſe ait. Iã verò aſſerit ſingulos Chriſtianos ſpiritũ veritatis habere. Quis iſta ſic ſe habere credet. Singula mẽbra ſpiritu veritatis eſſe inſtructa, totum autem corpus in tetra caligine fuiſſe ſepultum.

THESIS XXIII.

Quis prætereà nouit an bonus ſit, veruſque ac non fucatus ſpiritus iſte, qui Euangelio Matthei credendũ monet? In ſcriptura enim nullũ habetur hac de re teſtimoniũ. Sed contra clamat Ezech. væ prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritũ ſuũ. Ioannes quoq. monet nõ eſſe cuilibet ſpiritui credendũ, ſed probandos eſſe ſpiritus, ſi ex Deo ſint. At probare ſpiritũ, eſt de illo facere iudiciũ. Iã ſi de ſpiritu iudicãdũ eſt, ſitne à Deo necne, quis nõ videt ipſum non eſſe certũ aut ſupremũ iudicẽ, quippe qui ab alio ipſe iudice eſt iudicandus & probãdus? vnde Chryſoſtomus multi, inquit, ſpiritũ ſanctũ iactant, ſed quia propria loquuntur, ſpiritũ S. non habent. Auguſtinus etiã non ad particulare ſpiritũ, ſed ad Eccleſiã recurrendũ eſſe monuit. Ego, inquit, Euangelio non crederẽ, niſi me Catholicæ Eccleſiæ cõmoueret autoritas.

ANALYSIS.

Sibi repugnat ipſe Caluinus, qui ſingulis Eccleſiæ mẽbris ſpiritũ veritatis attribuit, toti autẽ Eccleſiæ detrahit. Deinde quis verũ ſpiritũ à falſo diiudicabit, prætereà condẽnat Ezech. prophetas inſipiẽtes qui ſequuntur ſpiritũ ſuũ.

vbiq; Postremò quũ spiritus ipse probandus sit & iudicandus, certè non est habendus pro certo atque supremo iudice.

REFVTATIO.

Ludit homonymia Pinellus, quæ in vocabulo Ecclesiæ delitescit, modò n. de vera Ecclesia loquitur, modò de synagoga Romana. Itaq; ne sibi & lectoribus imponat Iesuita, hunc in modũ discutienda est homonymia. Caluinus, quẽ admodũ & omnes docti Theologi, solẽt accusare Pontificios infinitarũ penè hæreseωn: quas etiã ex verbo Dei apertissimè conuincũt. At disputatores isti eruditi, perpauca de suis dogmatibus loquuti sub Ecclesiæ velo sua omnia deliramenta occultant. Respõdemus nos istiusmodi Ecclesiã non morari, quæ cõtra Dei veritatẽ prẹfracta audacia insurgit: obiiciunt illi, ergò Ecclesiã accusatis, aut potiùs de mundo apertè tollitis. Quasi verò cõcedamus non modò Põtificẽ Pontificiosq; oẽs vniuersalẽ esse Ecclesiã vt isti volunt, sed etiã meretricẽ illã Romanã innumerabilibus penè non tã hæresibus, quam blasphemiis squatẽtẽ, cũ vera Ecclesia quicquã habere cõmune. Quãobrẽ vt ad Pinelli sophisma accedã, vltrò fateor hæc inter se pugnare: Dei Ecclesia non est spiritu sancto prædita: & singuli fideles sunt Dei spiritu præditi, sed addo istiusmodi antithesim nunquã posse in scriptis Caluini ostendi, modò dextrè ad mentem authoris exiguatur, sed duo ista sibi mutuò nequaquã aduersantur, singuli electi habent spiritum sanctũ pro duce ac magistro: & synagoga Romana est spiritu sancto destituta. Quid ita? quia vt experientia cõprobat simul ambo, vera

esse possunt. Itaq; spontè sua concidit neruosa scilicet Pinelli cõplexio. Neque enim Ecclesia Romana corpus est fideliũ, neq; fideles mẽbra Ecclesiæ Romanæ, quũ ista inter se duo sint ἀντιθετικῶς opposita. At nemo nouitan sit germanus spiritꝰ qui Euãgelio Matthæi credendũ esse monet. quid est igitur faciẽdũ, vt de rebus ad salutẽ spectãtibus tamus certiores? nẽpe si Iesuitæ obtẽperamꝰ Ecclesiæ iudiciũ est audiẽdũ. At quũ disceptetur inter nos quẹnã vera sit quẹ autẽ falsa Ecclesia, quis controuersiã dirimet, verbum Dei, at illud Pinello est obscurũ. Igitur si fides habeatur isti Iesuitæ nos in fide vacillare necesse est. Ego verò ita respõdeo. Primus effectus sanctj spiritus ille est, qui nos de sua præsentia deq; celesti ac potẽtissima in nobis renouãdis efficacite certò & verè docet, quiq; inter mundanã & diuinã sapientiã apertissimè diiudicat, vt ait Paul. 1. cor. c. 2. v. 10. *Nobis autẽ ea reuelauit Deus per spiritũ suũ: spiritus n. oĩa scrutatur etiã profunditates Dei. Quis n. hominũ nouit ea, quæ sunt hominis nisi spiritus hominis qui est in eo? ita etiã ea quæ sunt Dei nemo nouit, nisi spiritus Dei.* & versi. 14. *spiritualis diiudicat omnia, ipse vero à nemine diiudicatur.* Nec appositè ac verè dicis nullũ extare in scriptura testimoniũ quo admoneamur, vt Euangelio Matthæi credamus Nã quũ scriptura sit αὐτόπιστος satis se ipsa probat & tuetur, ita vt alio confirmatore ac propugnatore opus nõ habeat. Deinde cõcensus ille admirabilis & planè diuinus, qui in Euãgelistis effulget, ac verè celestis Euãgelicæ doctrinæ cum prophetica conciliatio, innumerabilibus testimoniis anteponenda est.

Atq; vt quid sentiã liberè pronuntiẽ, non possum non vehementer mirari tantã tibi excidisse blasphemiã, vt eos qui sponte sua Euãgelio Matthæi credunt, cũ insipientibus prophetis cõparares, vnũq; & eundẽ spiritũ vtrisq; attribueres. At si vel à limine scripturã minimè quidẽ sophisticè, vt soletis, sed Theologicè salutasses, profectò à tã absurdo tãque prophano errore tẽperasses. Nã si spiritus hominis quatenus homo est ψυχικὸς, & spiritus Dei mutuò sibi repugnat vt scribit Paulus Rõ. c. 8. v. 5. 6. & 7. & spiritus hominis vt Euangelio credamus autor est dubio procul Dei spiritus nos ab Euangeliò dehortatur, q̃ quã piè quãq; verè dicatur cũ erit otiũ Iesuitæ, discutiẽdũ relinquo. sequitur argumẽtatio eiusmodi vt meritò palmaria existimari possit, si probare spiritũ est de illo iudiciũ facere, & is de quo fit iudiciũ nequaquã est supremus iudex: profectò spiritus nõ est supremus iudex: ac vi cõsequentis Ecclesia iudex habenda est supra spiritũ, alioqui oĩa quæ ad fidẽ adeóq; salutẽ nostrã pertinent, dubia & incerta perpetuò fluctuarẽt. Respõdeo inepte facere Pinellũ, qui ratiunculæ imaginẽ à nostris hominibus centies oppugnatã & deletã, iterũ nobis obiiciat, qui Dei gratia huiusmodi spectris non terremur. Sed ne caussari possit me repellere argumentũ potius quã dissoluere, agè videamus quã benè procedat. Hypotheticus Iesuitæ syllogismus squatet homonimiis quæ in primis aperiendæ sunt. Nam & vocabulum spiritus ὁμωνύμως accipitur, & in verbo iudicandi latet ὁμωνυμία. Spiritus enim quantũ ad hanc disputationem attinet, modò significat

diuinum illum Spiritum qui hominibus communicatur à Deo, ea mensura quam Deus ipse pro arbitrio suo vnicuique distribuit: modò mendacij atque erroris spiritum, qui afflatur à Satana, quíque hominum rebellionem consequutus est. Præterea Spiritus ille diuinus ac planè cœlestis ab hominibus participatur bifariam. Siquidem Prophetæ atque Apostoli eam mensuram diuini Spiritus habuerunt, vt in doctrina quam suis auditoribus tradiderũt, quámque posteà literarum monumentis consignarunt, errare non possent: reliqui autem fideles, quamuis ducantur eodem Spiritu, tamẽ errare possunt, atque etiam errant aliquando: fide autem excidere, propter eam rationem, de qua paulò antè diximus, omninò nequeunt. Ad verbum autem iudicãdi quod attinet, mallem hoc quidem in argumento scripturam imitatus verbum probandi retinere, quàm iudicãdi arcessere: quòd illud magis rem, de qua disserimus explicet, & minus etiam imperiosum videatur. homonymia verò ita est distinguenda. iudicandi verbũ modò idem denotat, quod interposito iudicio de re aliqua pronũtiare, quod quibusuis conuenit: modò pro imperio & autoritate rem controuersam dirimere: quod çst proprium eorũ qui iurisdictionẽ habent. Itaq; quũ nobis explicauerit Pinellus quo tãdẽ sensu vocabula spiritus, & iudicãdi accipiat, enucleatiùs ad singula respondebimus. Attamen non video quorsum isthęc omnia referenda sint. Nequaquã enim dicemus nobis

esse credendũ, sed verbo Dei. An suprà verbũ Dei Ecclesiã Iesuita collocat? an supra ipsum etiã Deũ? qui enim verbũ hominũ Dei verbo anteponit, nónne vna eadémq; opera hominibus Deũ inferiorẽ esse pronũtiat? Apage istã blasphemiã. Sed ne diutius patiẽtia lectorũ abutamur, satius erit argumentũ in sophistã retorquere. Si is de quo sit iudiciũ, esse iudex sum mus nequaquam potest, vt asserit Pinellus: & de Ecclesia sit iudicium, nempè quum ex notis quas posteà Iesuita proponet, vera Ecclesia diiudicatur à falsa: profectò Ecclesia summus esse iudex nõ potest. Item, si is qui de altero iudicat habẽdus est iudex supra eum qui iudicatur: & singuli electi iudicãt ex notis à Pinello expositis, quænam sit pura putáq; Ecclesia: Ergò singuli electi sunt iudices supra Ecclesiam.

THESIS XXIIII.

„ Sed attendendũ est, quomodo exponat Cal-
„ uinus illa Apostoli verba. Ecclesia est colũna
„ & firmamentũ veritatis. Quid aliud sibi volunt
„ hæc verba, inquit, quàm in Ecclesia conseruari
„ Dei veritatẽ prędicationis scilicet ministerio?
„ Quæ interpretatio vt per nos acuta sit, ei tamẽ
„ quod ipse nõ animaduertit obest magnoperè.
„ Si enim tota Ecclesia errasset, non fuisset Ec-
„ clesia constans veritatis custos, sed eam sibi à
„ suo sponso concreditã repudiasset. Quanquam
„ nec vera est illa acuta licet explicatio. Nã ma-
„ ius quiddã sublimiúsq; est veritatis esse firma-
„ mentum, quàm eiusdẽ esse custodẽ. Lõgè verò
„ aliter Chrysostomus, qui veritatẽ vult esse co-

lumnam

lumnam ac firmamentum Ecclesiæ, quod di- "
citur non posse esse Ecclesiam absque veritate. "
Nam si firmamentum ruat, reliquum ædificiũ "
collabatur necesse est. "

THESIS XXV.

Recẽtiores verò Caluinianæ sectæ ministri, "
videntes se à nobis in hac quæstione teneri, in "
eo Tractatu de Ecclesia quem nuper ediderũt "
Geneuæ, aiunt se nobiscum sentire: Ecclesiam "
scilicet Catholicam siue vniuersalem nõ posse "
errare. Et contra nos existimare particularem "
Ecclesiam in errorem labi posse: quemadmo- "
dum Romanam errasse causantur. Sed hoc ni- "
hil aliud est quàm mendacio mendaciũ velle "
defendere. Nunquã enim Catholici illud de "
Ecclesiis priuatis senserunt: nam dicunt illi Ec- "
clesiã particularem, quæ certo loco certisque "
personis definita est, non solũ posse in fide er- "
rare: sed reuera hactenus errasse sæpè, vt in Ger "
mania nonnullas: imò alias extinctas esse, vt in "
Ægypto & Africa. Quod si sancti Patres Eccle "
siam Romanã non posse errare dixerint, id ob "
priuilegium à Christo cathedræ Petri concessum, intellexerunt. "

THESIS XXVI.

Neq; verò satis illi intuẽtur, quàm fœdè in "
hac parte errent. Si enim Ecclesia Romana à "
veritate desciuit, necesse est dicãt etiã vniuer- "
salẽ Ecclesiã errasse. Nã antè Lutherũ & Cal- "
uinũ totus Christianorũ cœtus Ecclesiã Ro- "
manã cõplectebatur. Quare si hæc errauit, vni "
uersa Ecclesia errauit. Quin totos 1550. annos "

„ in Ecclesia erratũ fuisse fateri debent, quum
„ ab Apostolorum tempore dogmata fidei nũ-
„ quã immutata fuerint, sed eadem ad nos vsque
„ permanarint.

THESIS XXVII.

„ Iam si dicũt quâlibet particularem Ecclesiã
„ errare posse, debent id quoque de Geneuensi
„ secta asserere, quæ peregrina est, particularis
„ est, noua est. Nec firmũ est quod dicunt, eam
„ nempè sequi verbũ Dei. Quis enim hoc nouit?
„ vbi est luculentũ aliquod in scriptura hac de re
„ testimonium? Idem verò nobis de Ecclesiis
„ particularibus obiicere non possunt. Nam li-
„ cet Ecclesia Metensis, in qua nos sumus, parti-
„ cularis sit, tamen quia idem credit quod in Ita-
„ lia, in Gallia, in Hispania, in Indiis, & vbique
„ terrarum creditur, ideircò non est quod de si-
„ de particularis Ecclesiæ Catholicę dubitemus.

ANALYSIS.

Si tota Ecclesia errasset, non fuisset constans veritatis custos. Atqui constans est custos veritatis: tota igitur Ecclesia non errauit. Pontificij non negant particulares Ecclesias errare posse: sed aiunt quum vbique terrarũ dispersæ Ecclesiæ, doctrinam quæ in Romana Ecclesia traditur amplexæ sint, effici necessariò si Romana Ecclesia errauerit, cæteras omnes, ideóque vniuersalem Ecclesiam, quæ ex omnibus Ecclesiis particularibus composita est, in fide grauiter lapsam esse. Deinde non animaduertunt Geneuensem sectam in numero Ecclesiarum particularium, quæ falli possunt esse reponen-

ponendam, &c.

REFVTATIO.

Vehementer tibi suadeo, Pinelle, vt antequã ad conuincendum falsæ expositionis Caluinũ, eruditissimum & religiosissimũ, velis nolis, sacrarum literatum interpretem, accedas: cõtextum Apostoli de quo agitur, attentiùs consideres, nec ab illo tam apertè dissentias. Quænam enim tua est verior & sublimior expositio. Nempè, Apostolum sibi velle nullam esse posse, si veritatem auferas, Ecclesiam: hactenùs cum Caluino planè facit. Nam si Ecclesia veritatis est custos, & veritatem amittat Ecclesia, profectò simul etiam rationem Ecclesiæ amittat necesse est. Quinetiam tu licet magnus Caluini accusator, eum culpa liberas. Si enim Ecclesia, inquis, tota errasset, non fuisset constans veritatis custos. Quid tibi vis igitur? aut vbi est maior & sublimior firmamenti veritatis apud te interpretatio? Atqui suam sententiam Caluinus ita confirmauit, vt ne tu quidem omnibus Iesuitarum sophismatis eam conuellere possis. Nam quæ optima est atque neruosissima exponendi Prophetica & Apostolica scripta ratio, eam cùm ferè semper, tum in hoc loco quem citas exactissimè amplexus est: vt mirum sit inuentos esse homines, qui tam prę-fracta audacia aduersus non iam Caluini opinionem, sed Dei nudam, apertam, & in omniũ oculis positã veritatẽ insurgerent. Cõparat enim Paulũ cum ipso Paulo, & Scripturis accuratè inter se conferendis, genuinũ sensum eli-

cit. Atque vt melius intelligas rẽ ita se habere paulò altius repetẽda est loci ex 3.ca.1.ad Tim. cum superioribus & inferioribus connexio: vt posteà meliùs atque euidentiùs cõparationem instituamus inter eundẽ locũ,&illũ quẽ ad suę sententię cõfirmationẽ ex ca.4.Eph.ver.11.protulit Caluinus,quibus inter se cõciliãdis mens Apostoli,vt spero, facilè omnibus innotescet. Nemo est,vt opinor,qui legerit vtrãque ad Timotheũ,qui nõ statim agnoscat,Paulũ Timotheo præcipere, quomodo illi maximè pio adolescenti persona Euãgelistæ sustinẽda esset, & quibus tandẽ rationibus suo ille officio lõgè grauissimo atque laboriosissimo satisfaceret. Et quo magis se attentũ & circunspectum præberet Timotheus,admonetur obiter ab Apostolo de dignitate sui muneris,quod cũ Ecclesiæ maiestate arctissimo vinculo coniunctũ est. *Quòd si tardiùs*, inquit, *venero, vt noris quomodo oporteat in domo Dei versari,quæ est Ecclesia Dei viui colũna & firmamẽtũ veritatis.* Quasi diceret Apostolus,vide quam personã geras,tu es pastor Ecclesiæ, Ecclesia verò est domus & habitatio Dei, in qua æterna veritas vt in columna lõgè firmissima &solidissima insculpta est, quæq; vt fundamẽtũ indissolubili artificio cõpactũ veritatẽ sustinet:ipsa autẽ veritas constabilitur in Ecclesia verbi ministerio, quod tibi concreditũ est: ita vt nisi velis quantũ in te fuerit, columnã illã & stabilimentũ veritatis, in columnã & firmamentũ mẽdacij transformari:danda tibi est opera, vt tuo munere diligentissimè

gẽtissimè fungaris,& nihil prætermittas eorũ, quæ tibi à me præcepta sunt. An negare audes firmitatẽ illã verbi ministerio cõtineri? At eui dẽtissimè de re tota pronũtiat Apostolus scribẽs ad Ephe.loco suprà citato. *Dedit igitur ipse*, inquit,*alios quidẽ Apostolos,alios verò Prophetas, alios autẽ Euãgelistas,alios autẽ Pastores & Doctores. Ad coagmẽtationẽ sanctorũ, ad opus ministerij, ad ædificationẽ corporis Christi. Donec euadamus omnes in vnitate fidei,in virũ perfectũ,ad mensurã staturæ adulti Christi: Vt ne simus amplius pueri, qui fluctuemus & circunferamur, quouis vento doctrinæ,in hominũ alea,per veteratoriã ad insidiosè fallẽdũ versutiã.* ibi. c.2.ver.19.20.21.& 22. *Nẽpe igitur non estis hospites & inquilini,sed conciues sanctorũ ac domestici Dei:Superstructi super fundamentũ Apostolorũ ac Prophetarũ,cuius vnus angularis lapis est ipse Christus: in quo totũ ædificium congruẽter coagmẽtatũ crescit, vt sit tẽplũ sanctum Domino,&c.* At si vnitas fidei,ædificatio corporis Christi, coagmẽtatio sanctorũ, opus ministerij,superstructio super fundamẽtũ Prophetarũ & Apostolorũ, mensura adulti Christi ne intelligi quidẽ potest,sine columna illa & stabilimento veritatis, & superiora omnia perficiuntur Apostolis,Prophetis, Euãgelistis, pastoribus & Doctoribus officio suo defungẽtibus: certè idẽ quoq; de inferioribus est sentiẽdũ,licet Pinello Iesuita obnixè quidẽ, sed frustrà reluctãte. Videamus autẽ quàm bellè quialios falsę interpretationis accusat,Pauli versiculũ dę quo disserimusexplicet.veritas,inquit,

est colũna & firmamẽtũ Ecclesiæ, quod dicitur nõ posse esse Ecclesiã absq; veritate. Nã si firmamẽtũ ruat, reliquũ ædificiũ collabatur necesse est. Fateor piã esse atq; orthodoxam sententiam, quæ docet veritatem esse fundamentum Ecclesię. Sed nequaquam omnia quæ orthodoxa sunt, ad quorũlibet locorũ explicationẽ accõmodatè proferũtur. Neq; enim Ecclesia esse potest fundamẽtũ veritatis, & veritas fũdamẽtũ Ecclesię, vtrobiq; vocabulis fundamẽti & veritatis eodẽ modo acceptis. At bonus iste Pauli interpres orationẽ inuertit, & ex stabilimẽto integrũ ædificiũ sophisticè constituit. Apostolus enim hanc enuntiationẽ protulit: Ecclesia est colũna & firmamentum veritatis: istam verò Pinellus, veritas est colũna & firmamentum Ecclesię: vt nemo dubitare possit, quin acutus iste reprehẽsor, Apostoli cõtextũ apertissimè corruperit. Sed obiiciet aliquis quũ vtraq; sentẽtia vera sit, & Apostolicæ doctrinę cõsentanea, nõ est tãta cõtẽtione animi, pro re minimè omniũ periculosa dimicandũ. Respondeo boni esse interpretis, quid ex quaque scripturarũ sentẽtia cõsequatur, animaduertere, ac quãtũ rei natura patitur defendere. Deinde quũ diuersæ sint locorũ circunstãtiæ, nõ rarò vsuuenit, vt quũ in primaria cõtextus intelligẽtia erratũ est: lõgius error progrediatur, donec pleraq; fidei fũdamẽta subruantur: quod tristissima temporũ nostrorũ experiẽtia plus satis cõprobauit. Nec opus est, vt testimonia è lõginquo arcessamus, quũ locus ipse, quẽ in manib' habemus, extrà omnẽ dubitationẽ

sentẽtiã nostrã collocet. Quæritur inter nos & Pontificios, an Ecclesia errare possit. Negãt illi quòd sit colũna & firmamẽtũ veritatis. Hic euidẽtissimè patet malè feriatos homines, colũnã & firmamẽtũ & veritatẽ ἁπλῶς intelligere, suũ κατὰ τι exponẽda sint, quẽadmodũ suprà satis, vt existimo, accuratè cõfirmauim'. Sed vt ad Pinellũ redeã, fallit & falliturmultis modis Nam & Pauli contextum peruertit, & contrarium sensum elicit, & firmamentum cum toto ædificio imperitè confundit. Etenim quum dicimus cum Apostolo, Ecclesiam esse stabilimentum veritatis, hoc interpretamur hominum respectu: siquidem nullibi veritas firma est atque stabilis, quàm in Ecclesia Dei. Quum verò ita enuntiationem concipimus, veritas est firmamentum Ecclesiæ, veritatem illam exponimus, quatenus Dei est, à Deóque ipso patefacta hominibus ad salutem efficaciter. Itaque in priore enuntiatione hominum ministerium considerabamus: in posteriore autem Dei opus excellentissimum atque efficacissimum, quo perditos & miseros mortales oblata luce sua illustri & splendida ex ipsorum tenebris vindicat, & in media Euangelij salute constituit. At si tota Ecclesia errasset, non fuisset constans veritatis custos: vnde conficitur Caluini sententiam maximopere obesse Caluino. Adingenium redis Pinelle, nec enim vniuersalem Ecclesiam accusat Caluinus, sed Romanam duntaxat: si tamen Ecclesiæ nomine digna est illa, quæ quantum in ipsa fuit, vt tyrannidem suam immanem con-

ſtabiliret, Eccleſiam de mundo ſuſtulit, quod argumentum, in quo tanquam in arce munitiſſima, tua ferè præſidia reponis, omnia ſuo loco, non minus breuiter quàm accuratè explicabimus.

Venio ad quæſtionem de qua iamdiu eſt à doctiſſimis hominibus diſputatum, An Eccleſia vniuerſalis errare poſſit, & quid de particularibus Eccleſiis ſtatuendum ſit. Noſtram hac de re ſententiam fuſè ſuprà expoſuimus. Reſtat ergò vt ad Ieſuitæ ſophiſmata reſpondeam. Concedunt inquit, Caluinianæ ſectæ miniſtri, catholicam Eccleſiam errare non poſſe. Hîc obiter nos perſtrinxit, quaſi aut eſſemus caluinolatræ, aut nouiſſimè à Caluino diſſentiremus, quæ quàm appoſitè dicantur, ipſe viderit. Certè ſi à Caluino diſſentimus, nequaquam ſumus Caluiniani vt nobis exprobrat Pinellus: ſin autem cum illo verè ſentimus, falſò quaſi eſſet inter nos ſententiarum diſcrepantia in optima conſenſione diſſentionem ſe inueniſſe obiicit. Sed ad rem: in eo falleris Pinelle, quod apud Caluinum Eccleſiæ nomen diſtinguere aut nolueris, aut non potueris. Neque enim ille eſt Caluinus, qui Eccleſiam neget, aut de illius perpetuitate vel tantillum ambigat. Itaque ſi quos illi errores attribuit, eiuſmòdi eſſe intelligit vt veritatem non perimant, ſed obſcurent duntaxat, donec pro infinita benignitate ſua Deus priſtinum Eccleſiæ lumen atque ſplendorem reſtituat. Nec vobis vlla fit à noſtris hominibus iniuria, qui obiiciunt vos de particularibus Eccleſiis tam elatè

ſentire, vt in fide labi nequeant: Quod ſaltem peculiariter Eccleſiæ Romanæ attribuitis. Nec vos adiuuat exceptio de priuilegio, quæ in ſacrisliteris nulla extat, ideóque iudicãda eſt, ἑτερογενὴς & ἀθεόλογος. Sed magis etiam veteratoriè cauſſam veſtram defenditis. Nam vti ſit, obiicitis, Eccleſia Romana particularis, nihilominùs quum ante Lutherum & Caluinum totus Chriſtianorum cœtus, Eccleſiam Romanam complecteretur: ſi Eccleſia Romana errauit, Eccleſiam quoque vniuerſalem erraſſe concedatis neceſſe eſt. Facilis eſt obiectionis centies millies repoſitæ ſolutio. Nam τὸ ἐν ἀρχῇ ἀιτεῖται Pinellus, & obſcurum probat per id quod eſt magis obſcurum: quæ diſputandi ratio, vt eſt iſtis Ieſuitis admodùm familiaris, ita mihi parum ingenua, & viro graui, ac præſertim Theologo indigniſſima ſemper viſa eſt. Si enim hoc ad rem faceret, luce meridiana euidẽtius probare poſſem, in noſtra etiam Europa, quæ minima orbis terrarũ portio exiſtimatur, Deum ſingulis penè ſeculis, quamplurimos ſuæ veritatis aſſertores, aduerſum idolomaniã Pontificiam excitaſſe: quæ ipſa etiam non à temporibus Apoſtolorum exorta eſt, vt falſò & impudenter affirmas, ſed primùm actis cuniculis in Eccleſiam irrepit, donec paſtorum ambitione atque inertia, & ignoratione populi pedetentim vires nacta, in eam euecta ſit blaſphemiarum altitudinem, vt breui iuſto Dei iudicio corruitura eſſe videatur. Nec te pudet Pontificiæ abominationis propugnatorem, Pontificiam hiſtoriam ignorare. Lege, volue, reuolue

Paparum annales, & tandem discè blasphemas superstitiones vestras ad Apostolorum tempora, nequaquam posse referri: sed prout vestris Pontificibus placuit miselli populi ceruicibus paulatim esse impositas. Verumenimuerò si caussæ vestræ, vt simulatis, confiditis: cur ostiatim tot Ecclesias pulsare in animum inducitis? ad Dei verbum accedite, quod, vt dicere soleo, testimonium exceptione omni maius redditurum est veritati. Cur obscura suffragia quæritis quum clara & illustria pateant? Si sermo Dei vobis repugnat? quantulum in omnibus quicunque vnquã extitere hominibus præsidij reperietis? si auxiliatur, quid opus est tot congerendis hominum testimoniis, verace è cœlo testem demorari? Nec tamen adeò inimica est nobis Ecclesiarum suffragatio, vt si totius eruditæ antiquitatis autoritate niti vellemus, caussam facilè non obtineremus: sed præstat vnum habere magistrum, nẽpe filium Dei, & ab vnius ore pendere, præsertim quum de ipsius Ecclesiæ veritate atque autoritate disseritur.

THESIS XXVIII.

„ Verumenimuerò & illorum argumenta
„ ponderanda sunt. Primum autem quod nobis
„ solent obiicere, huiusmodi est. Quid aliud est
„ Ecclesia quam homines? Fatemur. At homi-
„ nes, inquiunt, mendaces sunt, fallique possunt,
„ igitur tota Ecclesia falli potest. Acutè sanè.
„ Nonne Apostoli Euangelistæ, Prophetæ homines

mines fuerunt? cur ergò illis vt veracibus omnes credimus: eósque non errasse affirmamus? « Itaque si homines iudicij & ingenij humani « imbecillitate fretos consideres, labi fallique « possunt. At si eosdem spectes vt Ecclesię membra, quæ Spiritus sanctus regit, non permittit « eos errare Deus ac decipi, quemadmodum nec « permisit Euangelistas, Apostolos, & Prophetas prauis erroribus imbui. «

THESIS XXIX.

Aiunt deinde veteram Ecclesiam errasse, « quum totus Israël, in quo erat Dei Ecclesia, « vitulum adorauit: cui Aaron non tantùm non « restitit, vt par erat, sed etiam assensus est. Erra- « uit etiam dùm Christum esse Messiam, & Dei « filium non agnouit. Sed esto, faciamus vt erra- « uerit Synagoga, haud tamen rectè errasse et- « iam Ecclesiam Christi colligitur. Hæc enim « promissiones ac priuilegia lõgè maiora habet. «

THESIS XXX.

Quanquam nec argumenta illa probant « Synagogam errasse in fide, Nam vt quidem in « vituli aurei cultu & adoratione permultos pec- « casse concedimus: ita negamus eos omnes, qui « illum adorauerunt in fide errasse. Ait enim « Augustinus. Aaron & Salomon etiam si idola « sint venerati, non ideò tamẽ infideles fuerunt, « quia idola esse veros deos non crediderunt. « Idem nos dicimus. Multos nempe fuisse in eo « populo, qui hoc ipsum de eo idolo minimè «

» putauerunt. Quid quod plerique in ea multi-
» tudine fuerunt, qui ne adorauerunt quidem.
» Nam vbi Moyses dixit: si quis est Domini, iun-
» gatur mihi, congregati sunt ad eum multi,
» quos verisimile est peccantibus aliis nullo
» modo peccasse.

THESIS XXXI.

» Quod idem de Iudæis Christum non agno-
» scentibus obiiciunt, eodem modo diluendum
» est. Nos videlicet hic de Synagoga minimè
» disputare. Deinde multi inter eos extitêre, qui
» illum esse Messiam ac Dei filium & credide-
» runt & professi sunt.

THESIS XXXII.

» Extremum hoc est quod obiiciunt, quòd
» olim Ecclesia sacram communionem pueris
» etiam dedit, vt referunt Cyprianus & Augu-
» stinus, quem posteà non dedit, igitur vel dan-
» do, vel negando errauit. Accedit eodem quòd
» Apostolus Corinthios & Galatas, de rebus ad
» religionem spectantibus reprehendens, eas Ec
» clesias errasse existimauit. Sed ista leuia sunt.
» Iam enim diximus particulares Ecclesias posse
» errare, nunquam negatum esse à Catholicis.
» Illa verò consuetudo dandæ Eucharistiæ infan
» tibus, nec vniuersalis fuit, nec aliquo Ecclesiæ
» Romanæ decreto introducta. Nec ideò dam-
» nandi sunt, qui eum morem aliquando serua-
» runt, quum eos nulla salutis necessitate id fe-
» cisse, credendum sit.

THE-

THESIS XXXIII.

Iam neque in eo errauit Ecclesia, quòd ali- "
quando Christianos communicare sub vtra- "
que specie voluerit, aliquando vetuerit. Illud "
quidem permisit Ecclesia, sed nunquam cre- "
didit, vel necessarium fuisse, vel diuino præce- "
pto institutum. "

ANALYSIS.

Hæc autem sunt argumenta Caluinianorum. Homines errare possunt: Ecclesia ex hominibus constat: errare potest igitur. At Prophetæ & Apostoli erant homines, quos tamen ab errore immunes fuisse credimus. Deinde fideles considerandi sunt vt homines ac tunc in fide labuntur, & vt Ecclesiæ membra, quos Deus errare non permittit. Præterea, quod obiiciunt de Iudæis, argumẽtum nequaquam valet à Synagoga ad Ecclesiam Christi: nec omnes Iudæos simul errasse credibile est. De particularibus Ecclesiis purgauimus, quas in fide posse decipi concedimus. Nec magis contra nos facit, quod nunc Eucharistia sub vna duntaxat specie populo præbeatur, quum olim sub vtraque specie fuerit exhibita, propterea quòd nunquam Ecclesia credidit hoc ad salutem esse necessarium.

REFVTATIO

Hîc primùm à te quæro Pinelle, vt apertè pronunties, de quanam Ecclesia hoc in loco disserere velis. Nam si de vniuersali & inuisi-

bili, quæ duo esse reciproca contrà quam opinaris paulò infrà conficiemus, iniuriam facis non ferendam nostris hominibus, qui errorem ab vniuersali Ecclesia eatenus remouent, quatenus Ecclesiæ rationem abolet: sin autem de Ecclesiis particularibus loqueris, nulla inter nos est hac de re controuersia, si Romanam duntaxat Synagogam exceperis, de qua, hoc quidem in argumẽto, quum generaliter disputemus, agendum esse non videtur. Sed ista vberius tractatio explicanda est, vt te tuis sophismatibus occulere non possis. Quum Ecclesiæ vocabulum, quod multiplicem haberet significationem distingueres, apertè professus es, te in tuis Thesibus de illa Ecclesia differere velle, quæ omnes Christi fidèles, vbicunque terrarum illi sint, complectitur: & mox tuę distinctionis oblitus, visibilibus Europæ Ecclesiis, nec tamen vel totius, vel omnibus, istam videlicet vniuersitatem, longè latéque patentem contra ipsius rei naturam determinas. Ita & imperitè illa esse tibi vniuersa videntur, quę breuibus & locorum & temporum interuallis concluſa sunt: & ἀπαιδεύτῳ & interiorem ἀοράτου Ecclesiæ formam, cum exteriori & visibili confundis. Nos verò non ita de Ecclesia sentimus: nam exteriorẽ Ecclesiæ formã sæpissimè hominum ambitione, impietate, ignauia collapsam fuisse didicimus: quum interea Deus latentes reliquias veri germaníque seminis, secundùm electionem gratuitam reseruaret: & non vnius aut alterius orbis terrarum portionis breuibus terminis

terminis Ecclesiam concludemus, sed post beatissimum Christi aduentum Ecclesiam per vniuersum orbem diffusam esse credimus & profitemur: quum verò de visibili & inuisibili Ecclesia ex professo disputabimus, quod erit mox faciendum, aperietur accommodatissimus de tota ista controuersia, & disceptandi & pronuntiandi locus.

Nunc autem argumentationẽ, quam nostris hominibus attribuis, & tuam refutationem, ita excutio. Argumẽtatio est huiusmodi, si homines errare possunt, & Ecclesia hominibus cõstat: Ecclesia igitur errare potest. Si de particularibus Ecclesiis agimus, valet agumẽtatio: sin autem de vniuersali, vt suprà fecimus, distinguendus est errandi modus. Deinde vt exceptionibus tuis occurram, addere libet, non modò errare posse homines, verum etiam fideles, & particulares Ecclesias, & denique vt verbo absoluam, quidquid exteriore forma Ecclesiæ faciem præ se fert. Præterea quod à multis obseruatum satis accuratè non fuit: in hac quæstione illud præcipuè considerandum est, vos perpetuò aspectabili Ecclesiæ attribuere, quæ propriè & specialiter inuisibili assignanda sunt. Quum enim differitur, an Ecclesia in fide labi possit, vos ad visibilem oculos & mentem conuertitis: quasi necesse sit nullam esse in terris Ecclesiam, si conspectum hominum ad tempus effugiat. Nec omninò incautè rem ita se habere statuitis, vt qui verbo Dei destituti hominum à veritate aber-

rantiũ, turba, superstitiones Pontificias demonstrare conamini. Nos contrà respondemus, quum satis superque omnium & populorum, & temporum experientia comprobatum sit, multò pluresvbique inuentos esse, qui veram pietatem oppugnarent, quàm qui defenderent: nec semper vno eodémque in statu Ecclesiæ formam exteriorem permanere constet: neque fieri possit vt si, quod ad singulos Christianæ fidei articulos attinet, è sacra Scriptura veritatem non stabilias, conquirẽdis ostiatim ab vniuersali Ecclesia testimoniis vacillanti atque incertæ hominum conscientiæ succurras, totam illã quæstionem in hoc quidem argumento superuacaneam esse. Neque enim dubitamus de vniuersalis Ecclesiæ perpetuitate atque firmitate, sed vehementissimè contendimus, quum ea sit hominum infirmitas: vt soleat in fide etiam vacillari, à multò maxima eorum parte, qui se Christianos appellant, nec concilia inueniantur ab isto dedecore immunia: benè sibi eos consulere, qui suam fidem vni verbo Dei, quod errare non possit, addicendam esse putent. Quid verò tibi venit in mentem Pinelle, qui ἀθεόλογον & blasphemam inter Prophetas & Apostolos, & reliqua Ecclesiæ membra comparationem institueris: qua nihil neque impurius, neque indignius à quoquam in hac quidem disputatione dictum esse arbitror. Neque enim nisi omninò Theologiæ fundamenta con-

uellere moliris, Prophetas & Apostolos esse ἐμέτους à Deo excitatos, & abundantissima virtute Spiritus exornatos inficiabere, vt veritatem cælitùs exceptam hominibus inuiolatè annuntiarent, & literarum monumentis consignarent ad memoriam sempiternam. Quæ si ex nostris mentibus ratione vlla euelli possent, non video quid in religione Christiana certi atque constituti haberemus. Itaque Deus apertissimè testatus est, se Prophetas & Apostolos elegisse, quibus qui non crederet, perinde atque si Deo ipsi aduersatus fuisset, vltimíque supplicij, atque etiam æternæ mortis iure optimo reus esset. Nec opus est vt testimonia eorum, quæ dicimus, in medium afferamus, quum vbique occurrant. Cæteri autem fideles, vt sint pro vniuscuiusque mensura Spiritu sancto præditi, tamen in fide aliquando errant & labuntur, quod quum de particularibus Ecclesiis concesseris, planè ridiculum est de singularibus Christianis nolle confiteri. Atque ne tibi absque autoritate scripturarum, quod vobis est admodum familiare, de tanta controuersia pronuntiare velle videamur: Corinthij & Galatæ in fide grauiter aberrabant, quorum alteri resurrectionem esse factam existimabant: alteri Mosem & Christum inter se tam dissolubili nexu copulabant, vt istam vtriusque coniunctionem esse ad salutem omninò necessariam crederent: nec tamen propterea vel hos vel

illos à vera fide excidisse constat, sed à Paulo diligenter admonitos resipuisse. Nam quid de ipsis Apostolis commemorem, qui cum essent præcipua Ecclesiæ membra, atque adeò ipsius architecti à Christo designati, antequam vberrima illa Spiritus sancti effusione in possessionem sui Apostolatus mitterentur, grauissimè atque indignissimè in maximi momenti Christianæ fidei articulis lapsi sunt. Sed operæpretium erit vt suam in Pinellum argumentationem retorqueamus.

Si homines vt Ecclesiæ membra quæ Spiritus sanctus regit, non permittit Deus errare, quemadmodum nec permisit Euangelistas, Apostolos & Prophetas opinionibus prauis imbui: & quotidiana experientia comprobat homines, qui verè sunt Ecclesiæ mẽbra, & à Spiritu sancto reguntur, in fide aliquandò decipi: ergo & Deus est passus Euangelistas, Apostolos, & Prophetas in rebus ad salutem æternam necessariis errare: blasphemum est consequens, blasphemum & antecedens.

Vt reliqua exequar, solemus Pontificiis obiicientibus Ecclesiam visibilem errare non posse, propositis exemplis, tùm veteris, tùm nouæ Ecclesiæ demonstrare, falsam esse illam enuntiationem, quam isti esse verisimam opinantur. In præsentia Pinellus expendit deprompta ex antiquo fœdere exempla: & in primis excipit propter dissimilitudinem vtriusque fœderis non effici necessariò, si Israelitæ

tæ in fide hallucinati sint, posse Christianos in fide labi. Ego verò libenter à Iesuita isto quærerem, si ratione ac via disputare vellet, vt quænã illa sit tantæ dissimilitudinis ratio explicaret. Nam quum negant Ecclesiam errare posse, perpetuam in Ecclesia Spiritus sancti cõmorationem vrgere solent. Atqui eadem omninò promissio si substantiam spectes, facta est Israëli, vt apud Esaiam. *Effundam spiritũ meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* ca.44.ver.3. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicet Dominus à morbo & vsque in sempiternum.* ibi.cap.59.ver.21. *Et Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Et habitetis in terra quam dedi patribus vestris, & eritis mihi in populum, & ero vobis in Deum. Et saluabo vos ex vniuersis inquinamentis vestris, & vocabo frumentum, & multiplicabo illud, & non imponam vobis famem: Et multiplicabo fructũ agri, vt non portetis vltra opprobium famis in Gentibus.* Ezech.cap.36. vers. 27. 28.29.& 30. Nec velim excipias, hęc testimonia referri ad tempora aduentus Christi: quod quidem verum est, non tamen eo quo vis modo. Primùm enim à te peto, nihilne ab Esaia & Ezechiele promittitur Iudæis, qui ante Christi aduentum è viuis erant excessuri. Hoc si arbitraris, aduersatur tibi Esaias qui continuan-

dam esse confirmat Spiritus inter Iudæos habitatione, à sua ipsius persona ad consummationem vsque seculorum. Deinde vt verba Pauli vsurpem, quæcunque in lege dicũtur, iis qui sunt sub lege dicuntur: legis autem appellatione & Prophetiæ continentur, quemadmodum ex Apostolici contextus circunstantia liquet. Postremò quid tandem emolumenti colligeretur à Iudæis ante Christum exhibitum morituris, ex omnibus istis pollicitationibus, si ad se non pertinerent? Fit autem expressa Christi mentio, tùm propterea quòd omnes promissiones Dei in Christo sunt, etiam & Amen, 2. Cor. cap. 1. vers. 20. tùm quòd illustrior & magnificentior erat futura, post aduentum Messiæ donorum Dei gloria & collatio. Regeramus igitur in sophistam sua ipsius sophismata.

Si perpetua Spiritus inter Israëlitas, qui quod minùs dona Dei quàm Christiani participarunt, minùs etiam fuerunt ingrati, ab ipso Deo pollicita cõmoratio, nequaquam impedimẽto fuit, quin aspectabilis Ecclesia Iudæorum grauiter in fide lapsa sit: profectò nec eadem pollicitatio erit impedimẽto quin magis idololatræ, superstitiosi, atque ingrati Christiani quàm Iudæi vnquam fuerunt, si aspectabilem Ecclesiæ faciẽ consideramus, in fide falli & vacillare possint. Perstat in blasphemia Pinellus, negátque qui aureum vitulũ adorarunt in fide lapsos esse, quod certè si verum est, næ Moses atque Prophetæ grauiter in fide lapsi sunt. At vitulũ multi ex Israeliticis Deũ esse nõ crediderunt, ideóque in adorando infideles non extitêre. Per me quidem obtineas licet neminẽ inter Israelitas, tam stupido atque hebeti fuisse ingenio, vt vitulum ex inauribus conflatum verum esse Deum existimauerit: cuinam enim hæc tam crassa & stupenda opinio venisset in mentem? Sed an propterea in fide non falsi sunt. Quasi verò tunc maximè homines à vera fide non aberrent, quum extra & contra Dei verbum pro arbitrio vagantur: quum ritibus à se perperam excogitatis, Deo seruiunt: quũ sibi salutare esse somniãt quod ipse Deus sacrilegum, impium, execrãdum toties in verbo suo esse pronuntiat. I ergo Pinelle, & de fide si placet ad rauim vsque disputa, dum interea euidentissimè atque impudentissimè, addo etiam sceleratissimè & planè vt Iesuitã hac vita dignum locóque decuit, fundamenta fidei conuellas. Nec mirum debet videri vos & Iudæis, & idololatris accuratè patrocinari, & in eorum gratiam æternam Dei legem refigere: qui & superstitiosi, & idololatræ, atque scriptu rarum contemptores Iudæorum ìmitatione euasistis, ita vt quum pro illis ratiocinamini, causſam vestram vos agere nemo iam dubitare possit. Sed valde subtiliter tibi conclusisse videris, nempè Israelitas in fide non errasse, quum aureum vitulũ adorauerunt, propterea quòd Aaron & Salomõ, etiãsi idola sint venerati, nõ ideo tamẽ infideles fuerint. Primum Aaroni facis iniuriã, qui eũ idola esse veneratum, contra fidem Scripturæ dicas. deinde ex Salomonis facto perinde argumentaris, atque

si tibi compertum esset quousque Rex ille peccauerit, quod iudicio Dei potius relinquendũ arbitramur, quàm in vtramlibet partem temerè diiudicandum esse. Postremò idem esse definit peccare in fide atque infidelem esse, quum nomen infidelis, pro eo qui nihil habet cum fide Christiana commune accipitur. At enim ne nescias multi errant in fide, qui non sunt infideles eo quo dixi modo. Nam qui in aliquo fidei articulo peccat, nec tamen obstinatè suum tuetur errorẽ, sed doceri se patitur: is errat quidẽ in fide, non est tamen hæreticus, multò minùs infidelis: sed si peruicaciter falsam & pernicioſam opinionem propugnat, & redargutionem ex Dei verbo depromptam nõ moratur, tùm demum habendus est pro hæretico: hæresis autem quum pedetentim obduruit, facillimè iusto Dei iudicio in infidelitatem conuertitur. Vide autem Pinelle, quanta sit vis veritatis, vt qui eam magis oppugnant, pro ea nihilominus testimonium dicere cogantur. Hæc tua enim sunt verba. Quid, quod plerique in ea populi multitudine fuerunt, qui ne adorauerunt quidem? nam vbi Moyses dixit; Si quis est Domini, iungatur mihi, congregati sunt ad eum multi, quos verisimile est, peccãtibus aliis nullo modo peccasse. A te non quæro Iesuita, quo iure Aaronem in numero adorantiũ aureum vitulum reponas: qui quum vidisset idololatriam populi Israelitici, nempè vt eũ ad Deũ reuocaret, ædificauit altare corã eo, & præconis voce clamauit, dicens

cens, cras solennitas Domini est. Exod. cap. 32. vers. 5. Leuitas autem de quibus historia conticescit, ab omni culpa liberes. Nec vrgeo in argumentationibus Theologicis verisimilia locum habere non posse. Vnum illud examina, quò te tandem veritatis adamantinam necessitas compulit. Non omnes, inquit, adorarunt. Ergò iam tua sponte quod centies millies surdis sumus vociferati, confiteris: nempe non ex multitudine hominum, & aspectabili forma Ecclesiam esse metiendam: sed ex pietate & fide orthodoxa eorum, qui aliquando licet ob immanem vel populorum vel principum tyrannidem fileant, & in patientia sua secũdùm præceptum Domini, animas suas possideant: pluris tamen faciendi sunt, quàm omnes illi qui vero Dei cultu relicto, idololatriam auro gemmísque relucentem, maximo insanientis plebeculæ applausu sectantur, & crudelissima piorum laniena quotidiè sanciunt. Vbi enim erat tunc temporis Ecclesiæ Iudaicæ facies? Quis populo idololatriæ viriliter se opposuit? Vbi Leuitæ illi tui delitescebant? Vbi aspectabilis Dei cultus. Vbi denique illa, quæ sub oculorum sensum cadit congregatio fidelium? Non igitur forma exterior semper ad vnguem postulanda est, vt veram esse Ecclesiam concedamus. Quod exemplo Iudæorum, pro vero Messia Christum agnoscentium, magis ac magis confirmatur & illustratur: Quotus enim quisque Iudæorum Christi nomem professus est? Deinde, ánnon à Iudæorum aspectabili

Ecclesia crudelissimè & perfidiosissimè est oppugnatus? nónne Synagoga eiiciebantur, qui de Christo verè ac piè sentiebant? & vt verbo finiam: nónne mundi redemptor à Pontifice, Sacerdotibus, Scribis, Pharisæis, approbante atque acclamante populo, fidelibus autem occultè plangentibus, est immanissimè vexatus, sceleratissimè accusatus, & quod omnium mentem atque cogitationem superat, maximè abominanda feritate crucifixus? Itaque si vicissim peccata hominum Deo, eadem rediit nostris quoque temporibus Ecclesiæ facies, vt impij & blasphemi apertè in bonos & pios inueherentur: pij autem clam & occultè, nihilominus purè Deum colerent: tu ipse tibi respondisti. Non omnes aureum vitulum adorarunt, nec omnes Christo sunt aduersati: Sed Deus hominum misertus, sibi reliquias reseruauit, quemadmodum hodierna experientia comprobat, vt consumptio decreta inundet iniustitia. Es. cap. 10. vers. 22.

Nunc ad vltimam obiectionem venio, à Iesuita Pinello scriptoribus nostris attributam. Hæc autem hunc in modum est concipienda. Si in administratione Cœnæ Dominicæ, communicandum est laicis sub vtraque specie, errant illi, qui sub vna duntaxat specie laicis communicant: sin autem laicis vna duntaxat species porrigi debet, fallũtur qui vtramque speciem laicis porrigunt. Atque Ecclesia modò vtramque speciem laicis præbuit, modó vnam duntaxat: Quare necesse est vt Ecclesia vel vtramque

tramque laicis exhibẽdo speciem, vel alteram duntaxat, errauerit. Respondet Pinellus non effici Ecclesiam errasse, quia non credidit ad salutem esse necessarium, vel diuino præcepto institutum discrimen illud, de communione sub vna tantùm, vel sub vtraque specie. Prætereo vix ac ne vix quidem hanc esse millesimam contradictionum Pontificiarum portionem. At Pinello secus videtur: expendamus ergò quid tandem hoc rei sit. Atque in primis hoc in ipso disputationis limine constituendum est, quum de sacris & à Deo institutis ceremoniis & ritibus mentio incidit, nulli creaturæ fas esse, ad ea quæ Deus præcepit, vel minimum addere, aut in eis aliquid immutare, aut denique ab eis vel tantillum detrahere: propterea quòd si hoc accideret, perinde esset atque si homo in ipsius Dei decreta, quod sine blasphemia dictum sit, censoriam sibi virgam arrogaret: deinde quæ nostra tandem esset fides, ad hominum placita & commenta si respiceret? quæ religio sine verbo Dei, aut potius præceptis hominum instituta? quanta, vt in Papatu videmus, si effrenata hæc licentia semel approbaretur, in cultu diuino perpaucis annis fieret mutatio? Sed quid est opus in re tam clara & illustra & ipsius voce Dei toties comprobata diutius immorari? Ratum igitur maneat inter nos atque fixum, ea conseruari debere inuiolata, quæ nobis Deus præcepit. Nunc verò quærendum est, quid hac de re, quam in manibus habemus ipse Christus, tùm

suo exemplo, tùm verbis constituerit, quid Apostoli docuerint, quid denique in antiquissima & florentissima Ecclesia primis temporibus sit receptum. Atque illud extra controuersiam est, nempe Christum suis dedisse panem & vinum, quemadmodum ex Matth. cap. 26. vers. 26. & 27. Luc. cap. 22. vers. 19. 20. Marc. cap. 14. vers. 22. & 23. liquet. In quo etiam illud esse dignissimum videtur, quod annotemus: quasi Dei filius occurrere voluerit, vestræ in discrependo sacrosanctæ Cœnæ mysterio impietati & audaciæ, nominatim præcepit, vt sui omnes discipuli ex poculo biberent Matth. cap. 26. vers. 27. & Marcus addit cap. 14. vers. 23. omnes ex illo bibisse: quod tam expressè de pane non dicitur, ita vt si vel tantillum pietatis & conscientiæ habuissetis, sola Euangelistarum in re illa sedulitas, vos à tanto facinore tánque audaci absterrere debuerit. Nos autem hunc in modum ex verbis Christi argumentamur. Quæ Deus coniunxit, homo discerpere non debet. Deus panem & vinum in administratione Cœnæ coniunxit. Quare in administratione Cœnæ panem & vinum homo discerpere non debet. Notum est lippis & tonsoribus quid respondeatis, nempe Christum administrasse tantùm cœnam sacerdotibus, qui etiam apud vos sub vtraque specie communicant: hoc verò est, vt in te ipsum tua verba retorqueam, mendacium mendacio defendere. Nam discrimen illud, quod in communione Sacramenti inter populum & Sacerdotes

tes constituitis planè est commentitium & ἑτεροδόξον. Quid? an erant Sacerdotes Corinthiis? quibus Apostolus melior certè Christi interpres quàm vos estis, panem & vinum in Sacramento Cœnæ administrauit? 1. Cor. ca. 11. vers. 27. 28. & 29. & cap. 10. vers. 21. Nam quid de vestra concomitantia dicam? quæ ipsa est monstrum horrendum, ingens, ad euertendam Sacramenti naturam, & veritatem fabricatum: & quæ tollit etiam proportionem & analogiam quæ perpetuò esse debet inter Sacramentum, & illud cuius est Sacramentum. Sed festiuè nodum expedis. Nunquam, inquis, Ecclesia discrimen illud ad salutem credidit esse necessarium. Ecclesia videlicet Pōtificia, cui ad salutem non est necessarium Christum imitari, sed Deo terrestri suo ad vnguem obtemperare.

THESIS XXXIIII.

Contendunt nonnulli Ecclesiam, quam « Christus tanquam lucernam super candelabrum posuit, videri non posse, sed sub modio « locatam esse. Nec mirum, filij enim tenebrarum, vt ipsi libenter in tenebris delitescant: « ita diem refugiunt, & ea quæ in oculis, & luce « sunt posita, quasi Cimmeria caligine conantur obruere. Quod quum alienum sit à sacræ « scripturę veritate, paucis est demonstrandum. «

THESIS XXXV.

Ac primùm Ecclesia nihil aliud est quàm « cœtus fidelium, vnò cultu Deum colentium. «

» Cultus autem iſte viſibilis eſt. Sacramẽta quo-
» que ſigna ſunt externa in omnium aſpectu po
» ſita. Verbũ Dei ſenſu percipitur: fideles deni-
» que vel qui ea miniſtrãt, vel quibus eadem mi-
» niſtrantur, omnium oculis patent. Ex quibus
» conſtat Eccleſiam quoque non deberé ſic la-
» tere, ſenſus vt hominum fugiat.

THESIS XXXVI.

» Denique Chriſtus ſuam Eccleſiam, ouéſque
» Petro paſcendas commiſit. Paulus item à Mi-
» leto conuocatis paſtoribus gregem Domini-
» cum cõmendauit. Videri igitur Eccleſia grex
» que Dominicus poteſt., Quin neque viciſſim,
» ſi Eccleſia inuiſibilis ſit vlla eſſe poteſt ouium
» erga ſuos paſtores obedientia. Quis enim eos
» ſequi & venerari poteſt, quos nonmodo non
» nouit: ſed nec de facie quidem vnquam vidit.

THESIS XXXVII.

» Quid quod Chriſtus iubet ad Eccleſiam fra
» trem eum deferri, qui ſæpè fruſtrà monitus, in
» ſuo errore & ſcelere permanſerit. Dic, inquit,
» Eccleſiæ. Nam ſi inuiſibilis eſt, cognoſcíque
» non poteſt, quis eam fratrem accuſaturus
» adire poterit? Paulus quoque perſæpe fatetur
» ſe perſequutum eſſe Eccleſiam: quos autem
» fuerit perſequutus declarans eos, inquit, qui
» inuocabant nomen Chriſti. Quam igitur Pau-
» lus perſequebatur Eccleſiam videbat. Alioqui
» ſi non videbat, quomodo perſequebatur?

THE-

THESIS XXXVIII.

Accedit eodem illa Eccleſiæ cenſura, qua «
flagitioſos & contumaces aliquo temporis ſpa «
tio, donec reſipiſcant, à cœtu & communione «
fidelium pelluntur: quem hæretici quoque ad- «
mittunt, & nos excommunicationem appella- «
mus. Eſſe verò aliquem fidelium communió- «
ne priuatum, aliud nihil planè eſt, quàm eſſe «
extra Eccleſiam. At quòmodo ſciet quiſquam «
ſe eſſe extra Eccleſiam conſtitutum, niſi Eccle «
ſiam videre poſſit? Et rurſum niſi eandem noſ- «
ſe valeat, quomodo dabit operam vt cum ea in «
gratiam redeat? «

ANALYSIS.

Eccleſia Dei eſt viſibiſis, quia cultus Dei, & Sacramenta, & miniſtri, & quibus miniſtratur, ſunt viſibiles. Itẽ Paulus paſtoribus à Mileto conuocatis gregem dominicum commendauit, eſt igitur grex Domini aſpectabilis. Item Eccleſiaſtica cenſura locum in Eccleſia nullum haberet, ſi ſub ſenſum oculorum ipſa Eccleſia non caderet.

REFVTATIO

Nunc verò me tui pudet, Sycophanta, eiúſque opellæ quam in te refutando malè collocaui, ſed quid agerem, quum amici monerent, vt Ieſuitarum impudentiſſimi ſophiſmata diſſoluerem. Itaque quoniam in arcem totius cõtrouerſię impetum fecimus, pro virili quæſtio eſt ita explicanda, vt in omnium oculis,

quatenus fieri poterit, nuda & aperta versetur Dei veritas. Et primùm lector mihi admonendus esse videtur, vt paulò attentiùs consideret, quàm imperitè ratiocinetur Pinellus. In Thesi secunda, quum Ecclesiæ appellationem distingueret, professus est se de vniuersali Ecclesia disserere, quæ sola etiam ad hanc quæstionem pertinet, quum sola in fide errare non possit. Nunc autem quum ad probationem ventum est, mutat enuntiationis terminos, & pro vniuersali Ecclesia, particularem substituit. Qua in re ipse grauiter & fallit & fallitur. Itaque ne nesciat nos inuisibilem esse Ecclesiam duobus modis affirmamus, nempe vno naturâ, altero autem καθ' ὅτι. Quum enim Ecclesiam consideramus, vt est καθ' ὅλη de qua in hac quæstione agitur, Ecclesiam esse inuisibilem agnoscimus, propter ipsius τῶ καθ' ὅλου naturam: de quo illud est apud eruditos peruagatissimum τὸ καθ' ὅλου οὐδὲν ἔστιν ἄλλο πλὴν ὄνομα: cui respondet Boetij sententia, *Vniuersale dum intelligitur, singulare dum sentitur.* Quum verò de Ecclesia mentio incidit, vt est τόδε τι, tum eam esse aspectabilem dicimus, quemadmodum verbi causa Ecclesia Parisiensis, Romana, Metensis, Antiochena, &c. sub sensum oculorum cadit. Sed accidit quoque iusto Dei iudicio, sui verbi contemptum acerrimè vlciscentis, vt particularis quæpiam Ecclesia, quæ iam non est amplius, τόδε τι, propterea quòd tunc demum totum integratum dissoluitur, nõ pereat quidem sed inuisibilis existat, quod sæpè populo Israelitico sub idololatris præcipuè

præcipuè regibus contigit. Tu autem qui hãc nostram rationem refellis. Nimirum nos appellas tenebrarum filios, id est, nos depingis veltris coloribus. Neq; enim ij sumus qui veram lucem occulamus, nẽpè verbũ Dei, qui vt execrandã idolomaniã propugnemus, Deũ in terris constituamus, à cuius decretis vel tantillum recedere non liceat: qui deniq; falsæ atq. emẽtitæ Ecclesiæ titulo, sed reuera impudentissimæ meretricis effrænato imperio legẽ Dei abrogemus. Vos vos igitur estis tenebrarũ filij, vos, inquã, qui in tã clara Euangelij luce, Pontificiã noctẽ, qũæ nimium diu mundo incubuit vobis adhuc videre videmini. Sed ad rem. Cultus Dei, & sacramenta, inquis, & ministri, & quibus ministratur sunt visibiles, igitur & Ecclesia, nẽpè particularis. At nemo vnquã nostrũ tã hebeti atq; obtuso ingenio fuit, qui negaret particulares Ecclesias sub aspectũ cadere. Quid verò te hoc adiuuat? Nã vt suprà te ipso apertè confitente, confecimus particulares Ecclesias errare posse, & quod etiã longè grauiùs est, integras, vt tristissima experientia comprobatum est, à fœdere posse excidere. Iã si vt particulares Ecclesiæ in fide labantur, & à fide excidant, in confesso est, concedamus oportet non esse necesse vt sint perpetuò visibiles, nisi vocabula Ecclesiæ & visibilis ὁμωνύμως accipiamus. Neque enim est illa ecclesia quæ fidei iacturã passa est, neq; visibilis esse potest, quæ omninò in rerũ natura non est: & quemadmodũ homo non videtur, cuius tãtùm cadauer oculis patet:

ita quum cadauera ista Ecclesiarum intuemur, Ecclesias non cernimus, nisi cernendi atq; Ecclesiarū vocabula καταχρηστικῶς vsurpemus. Sed vteris in re nō dubia testibus non necessariis, & q̄ præcipuū est in controuersia, prætermittis: qui est disputandi mos, vt sæpè animaduerti, Iesuita planè dignus. Nā quid erat opus tā multis & exēplis & testimoniis cōfirmare particulares Ecclesias esse aspectabiles, qua de re nemo dubitat: & catholicæ Ecclesiæ, vt ita dicā visibilitatē prætereuehi, quæ omninò est ad id efficiendū q̄ molimini, vobis necessaria. Itaq; tibi deinceps suadeo ne in ratiunculis & pueri libus & superuacaneis, bonas horas malè collo ces: quum potius caussæ iugulū tibi petere liceat, si modo tibi veritatem quærere, & non mendaciū quo iure quaq; iniuria defendere in animo est.

THESIS XXXIX.

„ Iam verò Esaias de Ecclesia Christi vatici-
„ nans, hoc ipsum quasi ob oculos posuit. Et erit
„ inquit, in nouissimis diebus, præparatus mons
„ domus Domini in vertice montiū, & eleuabi-
„ tur super colles, & fluent ad eū omnes Gentes
„ & ibunt populi multi, & dicent, venite ascen-
„ damus ad montē Domini, & ad domū Dei Ia-
„ cob. Cui illud Christi de eadē Ecclesia persimi
„ le est. Non potest ciuitas abscōdi supra montē
„ posita. Quē vtrumq; locū tractans Augustinus
„ sic scribit. Quis errat in hoc monte? quis fran-
„ git faciē offendendo in illum? Quis ignorat ci
„ uitatē supra montē constitutā? Sed nolite mi-
„ rari quia ignoratur ab iis qui oderunt fratres,

quia in tenebris ambulant, & nesciunt quò “
eunt, quia tenebræ occæcauerunt oculos eorū. “

THESIS XL.

Idem autē hæc Euangelij verba exponens, “
Neq; accendunt lucernā & ponunt eā sub mo- “
dio, sed super candelabrum. Non est, inquit, Ec “
clesia operta, quia non est sub modio, sed super “
cādelabrū, vt luceat omnib⁹ qui in domo sunt. “
Et in psal. scribens, dū hunc versiculū explicat, “
qui videbant me foras fugerunt à me. Illud est “
magis gemendū, inquit, illud omninò intole- “
rabile, quia nulli qui cognouerunt quid esset “
Ecclesia, exiuerunt foras, & hæreses & schisma “
ta contra Ecclesiā, & paulò pòst, pene vbique “
Christus, inquit, in aliquo inuoluto sacramēto “
prædicatus est à Prophetis, Ecclesia apertè vt “
viderent illā, & qui futuri erant contra illā, & “
impleretur in eis ista nequitia quam prædixit “
psalmus. Qui videbant me foras fugerūt à me. “
Ita & Chrysostomus. Facilius est, inquit, solem “
extingui, quàm Ecclesiam obscurari. “

THESIS XLI.

Sed dicet fortasse aliquis. Quæ visibilia sunt “
ea à nobis non credi, quū scribat Apostolus fi- “
dē eorū esse, quæ non apparent. Nos verò esse “
Ecclesiā credim⁹, vt fatemur in symbolo, qua- “
re ea nec apparet, nec sub sensus venire potest. “
Quod argumentū roboris nihil planè habet, si “
dicamus, credere nos esse sanctā Ecclesiā catho “
licā & Apostolicā, & ita in Symbolo profiteri, “
qa licet videatur fideliū cœtus, quę est Ecclesia, “
eius tamē sanctitas, fides & perfectio nō videtur “

„ à nobis, sed creditur. Quin eam esse Catholicã
„ & Apostolicam, ac esse Christi sponsam, san-
„ ctóq; regi, non videmus, sed credimus. Quò fit
„ vt Ecclesia simul & videatur & credatur. Sicut
„ Christus videbatur ab Apostolis, idem tamen
„ credebatur: videbatur nimirum homo, crede-
„ batur Dei filius. Baptisma quoque videmus &
„ credimus, videmus actum externum, credimus
„ autem ei diuinam inesse virtutem. Respondé-
„ ri etiam potest Ecclesiam triũphantẽ non esse
„ aliã à militante, eadem enim est quæ in terris
„ militat, & quæ in cælis triumphat: quare ob Ec
„ clesiam triumphantẽ quam non videmus, sed
„ credimus, nos Ecclesiam credere iure asseuera
„ re possumus.

ANALYSIS.

Esaiæ atq; adeò ipsius Christi testimonio Ecclesiam esse visibilem patet: quam propheta in monte collocat, & ab omnibus peti gentib⁹ asserit: & Christũ cum ciuitate comparat, quæ supercilio montis est imposita. Item, Ecclesia nõ est operta, quia nõ est sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sed obstare videtur, quod dicimus nõ credere Ecclesiam, quũ ea quæ sub aspectũ cadunt minimè credantur. Respondendũ est, fidẽ, perfectionem, sanctitatẽ Ecclesiæ non videri, sed credi: nec triumphantẽ Ecclesiã, quæ à militãte non est seiungenda, oculis corporis, sed animi esse aspectabilem.

REFVTATIO.

Vide quàm benè tibi vonstes, in Thesibus illis

illis quas proximè cõfutauimus, ita differebas, vt ex eo quòd Ecclesiæ particulares sub aspectum caderent, colligeres vniuersalẽ Ecclesiã esse visibilẽ. Quæ profectò argumentãdi ratio conuincit crassam, & in Theologo minimè ferẽdã bonarũ artium imperitiã. Vt te de tuo errore admonerem, breuiter τὸ καθ' ὅλου & πόθεν sum interpretatus, ostendíq; illud mentis operatione duntaxat cõprehendi, hoc verò sub aspectũ etiã, reliquosq; sensus cadere: vt si quid tibi iudicij supereresset, tandem intelligeres, quã pudenda inscientia vniuersale cum particulari confunderes, aut vt planiùs dicã, dũ nescio quid ex ambobus fabricaris, vtriusq; naturã & rationẽ tolleres. Nunc verò de vniuersali Ecclesia ita loqueris, vt de particulari suprà disseruisti: quod idẽ planè est atq. si ex vniuersali particulare, & vicissim ex particulari vniuersale compingeres. Audiamus verò qua tandem ratione prophetiã Esaiæ interpreteris. Iã Esaias, inquit de Ecclesia Christi vaticinans, hoc ipsum quasi ob oculos posuit. Quid hoc ipsum? nẽpe Christi Ecclesiã esse aspectabilem. Sed quomodo id nos Esaias, docet. Erit, inquit, in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montiũ, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes &c. Apage istam Prophetæ interpretationẽ. Tu nimirũ ea demũ ratione, congregandã post Christi aduentũ Ecclesiã, esse visibilẽ apud te cõstituis, qua in mõtẽ Domini ascendet, vbi omnes gentes confluent. At vbi tandẽ ille mons quem imagina-

ris extitit,& omniũ gentiũ in vnũ deniq; templũ aggregatio. Error est ϕδϕ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως illud.n. admodũ Prophetis est familiare, vt sui tẽporis rationẽ habeant in explicandis eis quæ ad Christi patefactionẽ pertinerent, vt faciliùs ab Israelitis ea conciperentur, quæ ipsi prophetæ vaticinabantur, vtq; cũ illis qui adhuc infantiũ personã sustinebant, balbutirent: cuius rei passim occurrũt in sacris literis exẽpla, vt apud Malachiã c.3.v.3.& 4. *Filios Leui emẽdabit & excoquet vt aurũ & argentũ, & offerent Domino oblationẽ Minilia in iustitia, & accepta erit Domino oblatio Iuda & Hierusalẽ, vt diebus antiquis & annis prioribus.* Es. totis capitib. 60.& 62. Ier. c.23 v.5.6.& 7.& infinitis in locis. Itaq; ad montẽ Sionis & tẽplũ à Solomone cõstructũ respiciẽs vt mos est Prophetarũ, Esaias, adeoq; ad solennes Israelitarũ cõuentus, de regno Christi vaticinatur, cuius amplitudine, omniũ & gentiũ, & seculorũ immensitas continetur. Sed fortasse malus Prophetæ imitator Pinellus de Roma, terrestri videlicet Pontificiorũ Hierusalẽ cogitat: quæ certè, vt ϕ ad doctrinã attinet, Prophetis & Apostolis aduersatur, ita etiam suo terrestri illo imperio, quatũ in ipsa est, omniũ regũ Regẽ potẽtissimũ atq; illustrissimũ, nẽpè Dei filiũ, & Messiã toties humano generi pollicitũ, & tandẽ exhibitũ oppugnare contendit. At erit fortasse operæpretiũ sophisma in sophistæ caput hoc modo retorquere. Si aspectabilis Ecclesia catholica existimãda est, ϕ ad vnã eãdẽq. visibilẽ Dei domũ conueniat: & post aduentũ Christi propter vbiq. diffusam Euãgelij notitiã

conuentus ille defierit: certè post aduẽtũ Christi Ecclesia catholica visibilis esse desiit. Sed q̃d tandiu in re sua natura facili & perspicua immoramur? Locꝰ autẽ ex Matthæo apertus est, suos n. alloquitur Christus, præcipitq. illis vt diuinę vocationis memores, pietatẽ & iustitiã colant, & sua luce reliquos illuminent. Quod quidẽ nihil habet cõmune cũ ea disputatione, quæ, an Ecclesia catholica sit aspectabilis quærẽdũ sibi proponit, peccat igitur argumentatio Pinelli ϕδϕ τὸ ἑπόμενον. Neq. n. hæc inter se sunt consectaria. Discipuli Christi piè atq. iustè corã hominib. vitã instituendo vt homines Deũ glorificent procurare iubẽtur: ergò Ecclesia vniuersalis sub sensum cadit oculorũ: aut, ergò perpetua est forma exterior Ecclesiæ, excipis tamen, & vt egò quidẽ existimo appositissimè, quãuis Ecclesia sit conspicua, ignorari tamẽ ab eis qui oderunt fratres, quia in tenebris ambulant: ϕ si verũ est, iã planè confecta est, & ad exitũ adducta quęstio, sequitur n. ex tuo illo axiomate vos oẽs Pontificios, vestrósq. in primis Abbates, Episcopos, Archiepiscopos, Cardinales, ipsumq. adeò Pontificẽ ignorare Ecclesiã, quia oderunt fratres & in tenebris ambulant: nec fratres modo impotenti odio, & plusquã Vatiniano persequuntur: sed Patrẽ etiã nẽpè Deũ, sed fratrẽ quoque primogenitũ, nẽpè Christũ. Quænã n. capitalior, atque detestabilior aduersum Deũ inimicitia excogitari potest, quàm Dei tẽplo sceleratissimè & perfidiosissimè occupato ad se adorandum homines adigere?

ore blasphemiarũ plenissimo appellare: An verò propensior est illius ergà Christum charitas? Quẽ regno & sacerdotio exuit, quẽ sibi, horresco referens, (& nihilominus tota ferè videte atq; approbante Europa, est verissimũ) ancillari quatenùs in ipso fuit, coegit: cuius Euangelio pro libidine abutitur, eũ Papa scilicet benevolentia & charitate cõplectitur. Nam quid de reliquis cõmemorẽ? quibus prætiosè fucum vẽdit, quorũ animas in scorta & commessationes dilapidat: quos in Deũ bellũ susc ipere omniũ dolorũ generibus adigit, acerbissimoq. cruciatu. Nec vos plerosq. omnes qui Pontificẽ colitis, à vestri Papæ sceleribus verè quisquã immunes esse dixerit: cuius quẽadmodũ opulentiã, luxũ, ambitionẽ idolomaniã, libidinẽ, vitia participatis, ita etiã tyrannidẽ & crudelitatẽ propugnatis. Regeramus ergò in Pinellum suã exceptionẽ. Si qui odio fratres prosequuntur, ignorant Ecclesiã, & in tenebris ambulant, & Pontificij Deum & homines odio prosequuntur: certè Pontificij Ecclesiã ignorant, & ambulant in tenebris: & vi consequentis, vt ipsorum verba vsurpẽ, Ecclesia non est penes Pontificios. Sequitur eiusdẽ farinæ aliud argumentũ. Non est Ecclesia, inquit, operta, quia non est sub modio, sed super candelabrũ, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Ergò quantum intelligo aduersum vmbrã suã digladiatur Pinellus: quis enim adeò imperitus Theologiæ, aut sensus etiã cõmunis expers fuit vnquam, vt negaret Ecclesiã iis esse notam, qui sunt in Ecclesia? Nam si-

Nam siue de Ecclesia vniuersali oratio habeatur, vocati à Deo ad salutẽ efficaciter (qui soli ad Catholicã & vniuersalẽ Ecclesiã pertinent, quidquid garriat Pinellus) cõmunionẽ fideliũ agnoscunt: siue de particularibus Ecclesiis mẽtio incidat, quũ in eis electi reprobiq., inueniãtur, particulares Ecclesias vtriq. modo nihilominus planè diuerso habẽt notas & perspectas: nimirũ electi ad salutẽ, reprobi autẽ ad maiorem corã Deo & corã hominibus condemnationẽ. Itaq. vera tantũ fides atq. efficax nos cũ Christo, eiusq. mẽbris omnibus indissolubili vinculo conglutinat: tẽporalis autẽ verbi diuini auditio, & sacramentorum participatio, Pastore legitimè vocato, verbũ & sacramenta legitimè administrante, bonos cũ malis, & electos cũ reprobis temporaliter & particulariter coniungit. Ex quibus efficitur Pontificios neque ad catholicã, neq. ad particularẽ Ecclesiam pertinere: quia neq. vera fide sunt prædiți, sed cõmentitiã, & Pontificis autoritate subnixam rerũ ad salutẽ æternã spectantiũ cognitionem amplectuntur: neque verbũ Dei audiunt & sacramenta participant, ab Ecclesiæ Pastoribus legitimè vocatis legitimè administrata, extra Ecclesiã sunt igitur Pontificij, & si cõparatio à Iesuita proposita suã vim obtinet, Ecclesiam non vident, vt quæ iis tantũ splendeat qui in domo versantur, non autẽ alienis: & certè plus satis nostrorũ tẽporũ experientia confirmatũ est. Atenim suo ipsius argumento Pinellũ obruamus. Si quæ sunt aspectabilia, omnibus qui oculos habent corporeos æqualiter conspicua

sunt,& Ecclesia duntaxat iis est conspicua, qui sunt in domo,id est solis Euãgeliũ Christi amplexis:profectò Ecclesia sub sensum oculorum minimè cadit:en quò adducant sophistam suæ argutiæ: At visibilis est Ecclesia, propterea ϕ qui videbant eã fugerunt ab ea.Sed quid hoc ad rem facit?Deinde quis nõ intelligit præter Pinellũ,ἀκεῖναι διαλεκτέον ταῖς μεταφοραῖς,videre Ecclesiã,est cognitã habere Dei veritatẽ: fugere, autẽ ab Ecclesia,est veritatẽ Dei perspectã & exploratã relinquere.In quo argumentandi genere multis modis peccat Iesuita:nã non ex genuino Psalmi sensu,ratiocinatur,sed ex allegoria ex patrum deprõpta cõmentariis.quæ concludendi ratio valdè infirma est atq; debilis,vt penè nulla refutatione indigeat: & ϕ mali caput est,allegoriã ex qua nectit argumentũ pessimè interpretatur,& ad quæstionẽ ineptè accõmodat.Sed ne cauillari possit sophista,quæro à quanã Ecclesia fugiant hæretici,ab vniuersalíne an à particulari:certè si tantũ à particulari fugiunt,&particularis verè sentiat schismatici duntaxat,& quidẽ mollissima significatione habendi erunt: sin verò ab vniuersali,suprà confecimus catholicã Ecclesiam sub sensum oculorũ minimè cadere, sed animo tantũ & mẽte cerni atq. cõprehendi posse. Fallit ergo Iesuitæ ratio ὧδε γὰρ τὸ ἑπόμενον,neq; enim hæc inter se sunt consectaria. Hæretici fugiunt Ecclesiã, ergò Ecclesia est visibilis.Itẽ,ergò Ecclesia perpetuò & sine vlla interpretatione sub oculos cadit.Item, ergò vniuersalẽ Ecclesiã esse aspectabi-

ctabilem necesse est.Quæ omnia nullo inter se medio cohærent. Adducit prætereà Pinellus cõparationẽ ex Chrysostomo ad se confutandũ appositissimã.Facilius est,inquit,solem extingui,quàm Ecclesiã obscurari,optimè Iesuita solis naturã cũ Ecclesiæ conditione cõparare instituisti,vt teipsum tuis artibus optimè refelleres. Nostra est sententia perennem esse in mundo,& nunquã interrumpendam Ecclesiæ durationẽ:sed non semper si hominũ existimationẽ spectem°,vno eodẽq. in statu permanet: quũ reuera quod ad firmitatem,verum atq. germanũ splendorẽ, naturam &substantiam nihil omninò immutetur. Quid enim?annon scriptura docet passim vt aurum igne,sic afflictionibus electos reddi clariores atq; pulchriores? 1.Petr.cap.1.ver.7.an mulier quæ masculũ peperit,amicta sole & luna, & duodecim stellis, minus erat in solitudine illustris & splendida? An denique rudimenta Theologiæ primoribus ille labris attigit,qui magnificentiã & dignitatem Ecclesiæ corruptissimo hominũ iudicio metitur, & non potius ad Dei veritatem exigere laborat. Sed vt ad solem redeamus: quemadmodum sol in sese consideratus & ἁπλῶς non extinguitur, sed hominum respectu nunc propter oppositionem lunæ inter nos & corpus solis,multum pristini splendoris amittit,nunc propter obiectum terræ videtur planè extinctus: similiter Ecclesia in sese & ἁπλῶς neque extingui neque obscurari potest, hominum tamen iudicio, & κατά τι ob

vehemẽtiã perſequutionũ modò tenebris obſeſſa: modò penitus extincta eſſe creditur. Deniq; vt verbo expediã & ſuã in Pinellũ ſimilitudinẽ regerã: Facili⁹ eſt vt ſol in noſtro Zẽnith. perpetuò verſetur, ſemperq; ſit meridies, quã vteadẽ inuiolatè permaneat exterior Eccleſiæ forma, amplitudo, & caritas. Tandem ad diſſoluendam obiectionem à noſtris hominibus propoſitam, timidiuſculè & titubãter accedit. Ea autẽ eſt huiuſmodi. Si quæ ſub aſpectũ minimè cadunt, creduntur, & viciſſim non credũtur ea quæ aſpectabilia ſunt, profectò ſi eſt aſpectabilis Eccleſia, non fide ſed oculis corporeis percipitur. Ita ſe opponit Ieſuita. Hoc argumentum roboris nihil planè habet, ſi dicamus credere nos eſſe ſanctã Eccleſiã catholicã, & Apoſtolicã, & ita in ſymbolo profiteri, quia licet videatur fideliũ cœtus, quę eſt Eccleſia, eius tamen ſanctitas, fides & perfectio non videtur à nobis, ſed creditur, ergò ſi tua recipiatur expoſitio, idem planè erit credere ſanctam Eccleſiam catholicã, atq; credere ſanctitatẽ Eccleſiæ catholicæ. Quaſi verò tantum nos Dei dona in Eccleſiã effuſa credere oporteat, & non ipſam in primis Eccleſiã. Sed mox ipſe tuam interpretationẽ retexis, dum Eccleſiã in triumphantẽ & militantem diſtinguis, vt meritò nulla tibi fides, tã in Theologia vario, habenda eſſe videatur. Tu autẽ nobis explicare debes, quæ Eccleſiæ immenſitas & diffuſio ſit magis aſpectabilis quàm eius fides, quàm perfectio, quàm ſanctitas. Deinde quum ſoli electi ad catholicam

licam Eccleſiã, de qua ſermo eſt inſtitutus, pertineant: qua ratione poſſunt, quatenus, ſunt electi ſub oculorum ſenſum cadere, ſi eorum fides quæ vnica eſſe poteſt, vera, æterna, immutabilis, nota electionis eiuſmodi eſt, vt aſpectũ effugiat. Poſtremò quũ varia incidant tempora, & ſæpiſſimè patiãtur eccliſpſim Eccleſię, vt ſolus Deus habeat ſuorũ notitiã, planè fieri nequit, vt homo inueniatur adeò perſpicax, vt (ꝙ aliquando in contractiſſimis Paleſtinæ finibus Propheta oculatiſſimus Elias indagare ſua omni ſagacitate non potuit, nẽpe illorũ cognitionẽ qui purè Deo ſeruiebant; & idola populi rebellantis abominabãtur) toto in orbe terrarũ eos qui verè & ad ſalutẽ Chriſtum cognoſcant & amplectantur perſpectos habeat: quum ne in maxima quidẽ trãquillitate, ad omnium ſingulariũ intelligentiã, propter rationẽ καθ' ὅλου perueniri vnquã poſſit. Cæterũ ignorat, vel ſaltẽ diſſimulat non propriè loci ratione, quamuis ne illa etiã conſideratio eſt omnino repudianda, Eccleſiã vocari Catholicã: ſed ꝙ eos omnes qui ſunt, qui fuerunt, qui ad conſummationẽ vſq; mundi futuri ſunt fideles, ſuo ambitu contineat & amplectatur: qui fit vt illo etiã nomine viſibilis eſſe nequeat.

THESIS XLII.

Ex his apparet Donatiſtarũ, aliorũq; hæreticorũ impiũ errorẽ eſſe, qui ſolos prædeſtinatos & iuſtos in Eccleſia eſſe ſentiebãt. Si enim ita ſe res haberet, vt prędeſtinati nos laterẽt, ſic nobis ignota & inuiſibilis foret Eccleſia: quod

„ à veritate alienũ esse, iã à nobis probatum est.
„ Docuit autẽ simile quidpiã Caluinus. Interdũ,
„ inquit, sacræ literæ nominant Ecclesiã, in quã
„ nulli recipiuntur, nisi qui adoptionis gratia si-
„ lij Dei sunt: & hanc Ecclesiã nobis inuisibilem
„ esse affirmãt, ac solius Dei oculis conspicuam.
„ Altera dicitur Ecclesia respectu hominum, in
„ qua sunt permixti hypocritæ, ambitiosi, auari
„ quos (alibi) nostro suffragio inquit, non appro
„ bamus, esse Ecclesiæ mẽbra. Idẽ quoq; Luthe-
„ rus & antè vtrumq; Ioannes Hus professus est.

THESIS XLIII.

„ Qui error licet in concilio Constantiensi dã
„ natus fuerit, paucis tamen est conuellendus, tã-
„ quã à ratione, sanctis Patribus, ac scriptura alie
„ nus. Principiò Iudas malus erat ac reprobus, eũ
„ tamen spectasse ad Ecclesiã, ex Scriptura pro-
„ bat Bernardus quũ ait: Apostolus erat Iudas, &
„ licet auarus & sceleratus, electus à Domino. An
„ de illius Apostolatu dubitas quẽ dominus ele-
„ git? Nónne ego, inquit, duodecim vos elegi, &
„ vnus ex vobis diabolus est? Ecce vides Iudam
„ fuisse Apostolũ & extitisse diabolum. Contrà
„ Paulus prædestinatus erat, quo etiã tẽpore Ec-
„ clesiã diuexabat. Tunc verò in Ecclesia qui di-
„ cat eũ fuisse, arbitramur futurũ neminẽ. Fides
„ enim id est, cuius beneficio quispiã in Ecclesia
„ esse dicitur, qua fide tunc carebat Paulus. Qua-
„ re licet prædestinatus esset, mẽbrũ tũ Ecclesiæ
„ non erat, nisi voluit fortasse dicere, Paulũ absq;
„ fide extitisse fidelem, & in Ecclesia fuisse quę fi-
„ delium cœtus est.

THE-

THESIS. XLIIII.

Deinde non vident noui isti Donatistæ dũ “
ista iactant, asserere se malè Christianam esse “
constitutã rempublicã. Si enim iusti & præde- “
stinati essent tantũ in Ecclesia, quũ nos lateat “
quinã illi sint, liceret nobis de quolibet præla- “
to ad dubitare: vndè omnis tolleretur obedien “
tia, omnis potestas ac imperium, ac in dubium “
reuocarentur omnia, Pontificũ conciliorũque “
decreta incerta essent, & nulla fide ac autorita- “
te digna. “

THESIS XLV.

Audiant verò isti nouarũ opinionũ autores, “
quid sancti Patres hac de re senserint, vt in arca “
inquit Hieronymus, omniũ animaliũ genera, “
ita in Ecclesia vniuersarum, & gentiũ, & morũ “
homines sunt: vt ibi pardus & hædi, lupus & a- “
gni, ita hîc iusti & peccatores, id est, vasa aurea “
& argentea cũ ligneis & fictilibus commoran- “
tur. Et Augustinus, habemus, inquit, innumera “
bilia testimonia de commixtione malorũ cum “
bonis, in eadem cõmunione sacramenti. Quod “
& aliis locis Augustinus cõtra Donatistas pro “
bat. Cyprianus quoq; (vt alios breuitatis caus- “
sa omittamus) idem prorsus affirmat. “

THESIS XLVI.

Quod si interdum illi duo Patres, malos “
non propriè ac verè ad corpus Christi hor- “
tumque concluſum pertinere dicant, id de “
fructu Ecclesiæ, qui non à malis sed à bonis “
tantum percipitur, intellexerunt. Quod Augu- “

» stinus pulchrè declarat, quũ ait, aliquos ita esse
» in domo Dei, vt ipsi etiã sint eadẽ domus Dei,
» in quibus scilicet Deus habitat per gratiã: Alios
» verò esse quidẽ in domo, sed non pertinere ad
» cõpagẽ domus, nec ad societatẽ fructiferæpa-
» cificæq; iustitię: sed sicut esse palea dicitur cum
» frumentis. nã & istos, inquit esse in domo ne-
» gare non possumus.

THESIS XLVII.

» Reliquum est vt scripturarũ auctoritate ma
» los etiam Christianos, fidem tamen retinentes
» esse in Ecclesia, non vt mẽbra viua sed mortua
» cõfirmemus. Hoc verò in primis indicauit Ioã
» nes Baptista quũ dixit, in area Christi triticum
» esse cũ palea mixtũ. Areã enim significare Ec-
» clesiã, triticũ bonos, paleã peccatores, ac eorũ
» separationẽ fore in die iudicij, sancti Patres,
» qui locũ illũ exponunt vna voce confirmant.
» Idẽ significauit Christus in parabola de ziza-
» niis, quæ paterfamilias voluit vnà cũ tritico ad
» messem vsq. succrescere. Et qui Ecclesiã nomi
» ne regni cælorũ designatã, cũ decẽ virginibus,
» quarũ quinq. erant fatuæ, cõparat. Et cum sage
» na in mare missa, in qua boni & mali pisces cõ
» gregati sunt. Huc etiã spectat illud Ioannis, in
» quo peccatorẽ palmitis non ferentis fructũ si-
» milẽ esse voluit, quẽ non dixit iam à vite esse
» separatũ, sed suo tẽpore separandum ac in ignẽ
» mittendum.

THESIS XLVIII.

» Christus quoq. fratrẽ qui in nos peccat post
» debitã correptionẽ factã, ad Ecclesiam deferri
iussit

iussit. At si peccator ad Ecclesiam non spectaret, eum non rectè Christus in ius Ecclesiæ vocari, præcepisset. Paulus denique in magna domo ait, non solùm vasa esse aurea & argentea, sed etiam lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Quos locos in eandem sententiam patres exponunt.

THESIS XLIX.

Ex his facilè colligi potest quinã extra Ecclesiam sint. Primùm enim extra eam sunt nondum baptizati: deinde hæretici qui præcisa membra dicũtur. Ecclesia enim vt diximus, est fidelium cœtus. At tam hæretici quàm nondũ baptizati, quũ careãt fide, nec esse nec dici possunt fideles. Quare in canonibus Apostolorũ hæretici appellãtur infideles. Excommunicati verò qui fidẽ integram retinent omninò sunt mẽbra Ecclesiæ, aliquo tamen modo præcisa membra dicuntur, quatenus nempe Sacramẽtorum communione, & publicis Ecclesiæ suffragiis priuati sunt. Peccatores denique qui in Ecclesia sunt, eius mortua membra dicuntur. Eorum enim fides, cuius beneficio sunt in Ecclesia, quia sine operibus charitatis est à D. Iacobo mortua appellata.

ANALYSIS.

Donatistarũ opinio de Ecclesia falsa est. Si enim soli prædestinati ad Ecclesiã pertinerẽt, quemadmodum prædestinati sunt inuisibiles, ita Ecclesia sensum oculorum effugeret. Do-

natistis suffragantur Caluinus & Lutherus,& ante vtrunque Ioannes Hus. Nos verò testimoniis tùm ex Patribus,tùm ex Scriptura depromptis, huiusmodi errorem abundè refellimus: Quum & Patres & scriptura vbique ferè doceant aspectabilem esse Ecclesiam.

REFVTATIO.

Quum tam accuratè Caluinus,nostríque omnes sententiam de Ecclesia suam, à Donatistarum factionibus alienam esse firmissimis rationibus demonstrarint, mirum videri posset, nisi esses Iesuita, quid tibi venerit in mentem: qui tam discrepantes támque contrarias opiniones,tanquam si planè inter se conuenirent, vno eodémq; argumẽto te refellere posse existimes.Itaque breuiter explicandum mihi esse iudico, quid de Ecclesia Donatistæ senserint: quámq; à Donatistis abhorreamus, vt in omnium oculos tua incurrat effrænis atque impudens calumniandi libido. Cathari, Donatistæ, & nostra etiam memoria Anabaptistæ, quum parum expenderent, quæ sit hominum in iudicando infirmitas, quæ ratio Ecclesiæ, conditióque & natura fidelium, quæ denique in hominibus ad salutem æternam adducendis profunda Dei atque incomparabilis sapientia: simulátque in quibusdã particularibus Ecclesiis ambitiosos,auaros,libidinosos,& vt verbo absoluam vitæ non inculpatæ homines tolerari animaduerterent: ab illis cœtibus, tanquam si ab Ecclesia Dei essent omninò alieni

secedebant:ita vt tandem quum pedem vbi figerent,non inuenirent (nusquam enim perfectio illa, quam penitus efflagitabant, existit) secessionem ab omnibus Ecclesiis facerent, & nihilominus quod tantoperè se quærere fingebant, non assequerentur. Nos verò quid habemusquum prodigiosa opinione illa communi.Versantur in omnium manibus Caluini opera, in quæ nos ne fallaris minimè iuraui-mus, sed libentissimè veritatem vbicunque illa effulgeat amplectimur. An Donatistis & Anabaptistis suffragatur Caluinus? At illorum vesaniam & hypocrisim apertissimè & firmissimè conuincit. Docet enim pro vera Ecclesia eam esse habendam, in qua verbum Dei & Sacramenta legitimè administrantur: quia vt mali bonis permixti reperiantur,nihilominùs est perpetuò futura Dei constans & firma promissio: nec vnquam instrumentum, nempe verbi & Sacramentorum participationem, ad salutem hominum institutum,efficaci sua virtute Spiritus Dei frustrabitur. Sed intelligo quid tibi imposuerit,aut vt apertè pronuntiem, quid tu videre nolueris: sua enim luce lucet hac quidem in parte Caluini sentẽtia. Quã ne postea dissimules iterum explicare decreui. Nomẽ Ecclesiæ,vt tu ipse agnoscis, est homonymũ: & vt alia prætereã à te cõmemorata,sæpè Catholicã Ecclesiã designat,sæpè particularẽ,sæpè ad quãlibet ex particularibus denotãdã indefinitè vsurpatur. Catholica per

se aspectum effugit, quocunque tandem modo interpretari velis vocabulum Catholicæ. Nam si omnes sanctos Ecclesiæ Catholicæ ambitu complecteris, tùm ratione sanctitatis, tùm loci, tùm temporis, quæ omnia esse conspicua nō possunt: Ecclesiam vniuersalem esse huiusmodi concedamus necesse est, vt tangi, cerni, vllóve nequeat sensu corporeo percipi. Sin autem vt velle videris, & quidem planè infœliciter, vniuersalis etiam Ecclesiæ nomen attribuis omnibus illis qui vno eodémque seculo Euangelium profitentur: ne ita quidem ad Ecclesiæ Catholicæ fabricatam à vobis Pontificiis, vt in re noua nouè loquar, visibilitatē pertingis. Neque enim apud omnes populos atque nationes eadem perpetuò esse potest Ecclesiæ conditio, & inuiolata Ecclesiastici ministerij continuatio & successio: quemadmodum Ecclesiarum acerbissimæ tristissimæque vastitates, singulis penè seculis exortæ, satis superque testantur. Neque vt esset maxima omniū rerum tranquillitas, & magnificētissimè Ecclesiæ florerent: tamen propter vbique diffusam Euangelij prædicationem, aspectabilis esse posset omniū Ecclesiarū, quæ mentis tantùm operatione conficitur aggregatio. Ita quocunque se vertat Pinellus, velit nolit cogetur confiteri Ecclesiam, quatenus est Catholica, visibilem non esse: ac proinde Caluinum, nósque omnes à Donatistarum & Anabaptistarum criminibus liberatos in integrum restitui debere: Sophistam autem & cālumniatorem Pinellum honota-

honoraria mulcta esse coercendum. Sed agè quoniā huiusce disputationis carceres ingressi sumus ad calcem vsque progrediamur. Itaque in primis hoc est constituendum, nos quum de vniuersali Ecclesia loquimur, nequaquam intelligere aggregationem illam ex omnibus Ecclesiis particularibus, de qua modò diximus: & quæ si ad rationem καθόλου exigatur, quemadmodum planè oportet, in rerum natura nihil erit: sed omnium electorum spiritualem coniunctionem, quæ nunc fidei & charitatis tantùm vinculo astringitur: quum verò cœlesti gloria excipiemur, & Deus erit omnia in omnibus, non modò fidej & charitatis nexu, verum etiā beatissimæ commorationis æterna & placida vnione copulabitur. Hæc igitur aggregatio, quamuis dum in terris agimus reuera sit, tamen est inuisibilis: quoniam fides & charitas, quibus rationem sui atque naturam refert acceptam, sub oculorum sensum minimè possunt cadere. Quamobrem aut neges oportet omninò esse coniunctionem Electorum: aut si esse concedas, eam quoque inuisibilem esse vna eadémque opera confiteare necesse est. Facilis autem est probatio eiusmodi coniunctionis atque Ecclesiæ, si attentè consideremus elogia quæ scriptura illi solet attribuere, solis electis adeò esse propria, vt cum reprobis omninò sine blasphemia, & quidē lōgè maxima cōmunicari nequeant. Ac primum Christus dicitur esse caput Ecclesiæ, Ecclesia autē vocatur Christi corpus. Quis verò tā impudēs in-

uenietur &ἀθεόλογος, si vnum Pinellũ exceperis, ad cuius ratiunculas suo loco respondebimus, qui Christum esse reproborum caput, & vicissim reprobos membra esse Christi affirmare audeat? Repugnat enim caput habere Christum, & Satanã Christi esse membrum & Satanæ. Nisi cõtra ipsius Euãgelij fidẽ Iesuita cõtẽdat, posse nos duobus dominis, planè sibi aduersantibus obtẽperare. Quæ obsecro enim est ratio inter se capitis & mẽbrorũ? Ea nimirũ vt caput regat, foueat, viuificet membra: ipsa autẽ membra obediant & pareant suo capiti. At neq; Christus reprobos gubernat & fouet, neque vicissim reprobi Christo parẽt & obtẽperãt. Ex quib⁹ efficitur capitis & mẽbrorũ ratio nẽ inter Christũ & reprobos intercedere non posse. Prætereà Ecclesia domus Dei appellatur. 1. Tim. c. 3. v. 15. Quamobrẽ? quia Deus habitat in electis. 1. Cor. c. 3. v. 16. & 17. Rõ. ca. 8. v. 9. 10. 11. 14. & 16. Et certè sine blasphemia omnium maximè execrãda Pinellus nũquã affirmabit, quicquã esse reprobis cũ Dei Spiritu cõmune: propterea q̃ si Dei Spiritu agerẽtur, quẽadmodũ ex Paulo didicim⁹, iã nõ essẽt reprobi. Ergò ad Ecclesiã nõ pertinẽt, quę Dei dom⁹ est, si Deus in eis nõ habitat, neq; etiã habitare potest. Deinde sponsa Christi esse dicitur Ecclesia, quæ appellatio hypocritis, ambitiosis, auaris, scortatoribus, adulteris, sacrilegis & huiusmodi portentis potius, quàm fidelibùs & Christianis certè nõ cõuenit. Postremò Ecclesia in eã dignitatẽ euehitur à Spiritu S. vt vocetur colũna & firmamẽtũ veritatis, quib⁹ titulis nũquã

impij atq; hypocritę honestari possũt: nisi fortè velimus pietatẽ cũ impietate, & veritatẽ cũ mẽdacio ineptè cõfundere. Sed audiamus quid respõdeat Pinellus. Si enim ita se res haberet, inquit, quẽadmodũ prędestinati nos latẽt, si nobis ignota esset ac inuisibilis Ecclesia. Inuisibilis certè, ignota verò nequaquã: nimirũ quaten⁹ nos Ecclesiã nosse ad salutẽ oportet. Neq; is enim Ecclesiã ignorat, qui verã eius definitionẽ habet cognitã & perspectã: qui se mẽbrũ esse Ecclesię sibi propter cõmunicationẽ S. Spiritus certò persuadet: qui deniq; amplectitur Dei filiũ ad salutẽ efficaciter. Sed eatenus Ecclesiã ignorat, quatenus certã & definitã, & soli Deo exploratã fideliũ descriptionẽ continet: quæ profectò intelligẽtia & cognitio, nequaquã est hominib⁹ ad cõsequendã æternã fœlicitatẽ necessaria. Et vt rẽ paulò enucleatiùs explicemus, quid sit rem cognoscere, antequam longius progrediamur, statuendum est. omnis anticipata notio duplex à Philosophis esse traditur: vna, qua ὅτι ἐστὶ intelligimus: altera, qua τί ἐστὶ τὸ σημαινόμενον perspectum cognitúmque habemus. Catholicam esse Ecclesiam nemo Christianus ambigit: quid autem vocabulis, tum Catholicæ siue Vniuersalis, tum Ecclesiæ significetur, abundè suprà expositum est à nobis. Ergò quũ aperti hunc in modũ sint cãcelli cognitionis Ecclesiæ: nec in primis sumptionib⁹ erratũ titubatúmve sit, facilè tũ ad definiendam Ecclesiam, tum ad causſas τῦ εἶναι ipsius Ecclesiæ inuestigandas conscendemus.

Ac primùm definitio eiusmodi proponatur. Ecclesia est vniuersitas Electorum, quæ per efficacitatem Spiritus colligitur, ad prædicandã Dei iustissimi & clementissimi gloriã. Causſæ autem sunt in promptu: nimirum efficiens, Dei decretũ, quod certè irritũ esse non potest: Formalis aggregatio quę fit per Spiritũ. Materialis, electi ipsi. Finis, Dei gloria. Instrumenta Christus, & sanctus Spiritus, &c. An ignota illi esse poterit, obsecro te, Ecclesia, qui eius ὅτι ἐστὶ, τὸ σημαινομένον, τὸ διότι, & definitionẽ intelligentia & mente fuerit complexus. Næ si tu ita rem se habere existimas, vehemẽter erras. Quæ enim nostra esset cognitio, si suum finem hac quærendi methodo & via consequi non posset? Nouimus ergo Ecclesiam quantum expedit, & nos etiam ad eius complementum & perfectionem pertinere, spirituali sensu, & tamen longè certissimo percipimus: qua intelligentia nulla maior, nulla excellentior, nulla denique optabilior, dum in hac vita erimus cõstituti, nobis à Deo data est, neque dabitur. At tibi Ecclesia videtur ab hominibus ignorari, nisi & oculis pateat, & numerum etiam fideliũ teneat. Meritò tibi possem irasci Pinelle, qui de Ecclesia Dei tam crassè, tam Iudaicè sentias: sed venit in mentem vos, qui caput Ecclesiæ visibile constituitis, vt analogia & proportio seruetur, visibile quoque Ecclesiæ corpus constituere debere. Nos verò, vt contra ipsius rei naturam, & Scripturarum veritatem, caput illud fictitium & cadaueroſum, vero & pulcherrimo corpori, à malè feriatis hominibus impoſitum, deteſtamur: ita corpus verum & pulcherrimum, viuenti & perfectiſſimo capiti, æternum æterno, inuiſibile inuiſibili accommodemus aut potius ab ipſo Deo ad hominum ſalutem adaptatum agnoſcimus.

At Iudas, inquit Pinellus, ſpectauit ad Eccleſiam, de cuius Apoſtolatu minimè eſt dubitandum, quòd eum Deus elegerit. Valida certè & neruoſa colligendi ratio. Iudas erat viſibilis, & pertinebat ad Eccleſiam: Ergò Eccleſia eſt viſibilis. Quid ſi hunc in modum argumentarer: gleba ferri poteſt ab homine, gleba autem pertinet ad terram vniuerſam: Ergò terra vniuerſa ferri poteſt ab homine. Annon adhuc intelligis rationem τῶ καθόλου: Deinde cur ludis homonymia? Quam enim Eccleſiam inuiſibilem eſſe dicimus? Annon electorum? At Iudas certè ad Eccleſiam electorum minimè pertinebat, niſi vnà electum & reprobũ Chriſti amicum & proditorẽ fidelem & perfidum, benedictum denique & maledictum Iudam conſtituere velis. Præterea cuinam in mẽtem venit, præter te vnum, iſtiuſmodi argumẽtum nectere. Iudas erat aſpectabilis, ergò & Eccleſia. Nemo enim ſanus homines vnquam inuiſibiles dixit eſſe, nec cœtus etiam hominum particulares: fidem tantùm, & pietatem, & aduerſum Deum & proximum charitatem, quæ diſcernunt electos à reprobis, ſub aſpectum cadere poſſe vehementer inficiamur. Itaque iſtæ

omnes tuæ ratiocinationum laruæ atque simulachra, neque quàm perfectè concludamus quamq̃ue Analyticè videre possunt: neque etiam infirmissimas nostrarum argumentationum appendices mollissimè percutere. Sed Deus bone! quis non admiretur vim esse tantam veritatis, vt qui maximè ad eam euertendam conspirauit, & aggressus est Pinellus, pro illa nihilominus excellentissimum, & omni exceptione maius testimonium dicere cogatur. Paulus, inquit, prædestinatus erat, quo etiam tempore Ecclesiam diuexabat. Tunc verò in Ecclesia qui dicat eum fuisse, arbitramur futurum neminem. Fides enim id est, cuius beneficio quispiam in Ecclesia esse dicitur, qua fide tunc carebat Paulus, &c. Atqui si absque fide in Ecclesia esse non possumus, & fides sub aspectum minimè cadit, conficitur incertum esse aliorum respectu an simus fideles, & propterea quatenus ad Ecclesiam pertineamus, oculos mentémque adeò humanam præterueheri. Nec me latet qua significatione hîc nomen fidei vsurpes, quam suo etiam loco refellam: sed è rei natura potiùs quàm ex tuis somniis concludendum mihi esse existimaui. Cæterùm obscurè videris innuere, si electorum Ecclesiam constituamus, definitionem esse definitum amplitudine superaturum. Paulus enim quo tempore diuexabat Ecclesiam, erat electus, ad Ecclesiam nihilominus non pertinebat, quum fidem non haberet. Minimum considẽter de Paulo pronuntias, qui vt claram & illustrem Messię, qui iam apparuerat fidem non haberet, tamen ita quum in Dei promissiones, de venturo Messia crederet, non est omninò antè patefactionem illam cœlestem, in numero infidelium reponendus. Ad quæstionem verò quod attinet: Respondeo, te ineptum esse, qui non videas quum de electorum aggregatione disserimus, non vnius aut alterius seculi cancellis Ecclesiam circumscribere: sed à primo demum electo exorsos, ad vltimum vsque & nouissimum deducere. Ad hæc quum Ecclesia sit conuocatio, expectandum est donec omnes conuocati respondeant & aduolẽt, vtque vno verbo complectar omnia, Ecclesia electorum esse meritò dicitur, quòd nulli electi ab illa excludantur, nulli autem reprobi ad illam aspirare possint.

Sequitur falsa ἀπαγωγὴ εἰς ἀδύνατον. Ea autem est huiusmodi. Si in rebus illis quæ ad fidem spectant, vt pareamus alicui, facilè adduci non possumus, nisi exploratum habeamus eum in Ecclesia esse, & soli iusti & prædestinati sunt in Ecclesia, de quorum fide atque prædestinatione nobis exploratum esse non potest: certè in rebus illis quæ ad fidem pertinent facilè non adducemur vt alicui pareamus: & vi cõsequentis tolletur obedientia, omnis potestas & imperiũ, ac in dubium reuocabuntur omnia, &c. Igitur nos à Donatistarum hæresi tuo absoluis suffragio. At mendacem oportuit esse memorem. Donatistæ solebant orthodoxis Patribus hanc similitudinem obiicere. Quemadmodum

si brachium, aut femur, aliúdue corporis membrum, sydere percussum sit, nutriendi facultas, quæ in suis & propriis sedibus collocata est, ad pedem manúmue, aut aliam hominis partem minimè diffunditur: quòd via, quæ ad partes illas deducit occlusa sit: ita inquiebant, vita & gratia spiritualis administrari non potest, ab eo pastore, qui & vita & spirituali gratia ipse careat. At nimium crassè boni isti viri, modum quo Deus animas fidelium alit & sustentat, cum terreno & corporeo exæquabãt. absit autem à nobis, à nobis, inquam, absit vt salutem nostram, & animarum viuificationem, sanctitati & pietati hominum acceptam feramus. Res autem ita explicari facilè potest. Quum de Pastoribus eligendis, qui Ecclesiæ præsint mentio incidit: damus certè operam & à Deo etiam precibus enixè petimus, vt vocationem eius, qui approbandus est, inter nos ita sentiat: vt quoad eius fieri possit, de Pastoris ordinandi sanctitate, fide, eruditione, bona conscientia cõstet. Sin autem vt homines sæpè falluntur, & profunda sunt Dei arcana, cõtigerit, vt contrà atque sperabamus & optabamus deprehendatur Pastor esse moribus parum emendatis, nec admonitus quidem ad meliorem frugem redeat: si vigent Ecclesiasticæ leges abrogandum est illi officium, ne plus noceat exemplo, quàm doctrina prosit. At si, vt sæpè accidit, Ecclesiasticus ille gladius in vagina hebescat, modò Euangelij pura sit & Sacramẽtorum administratio, Pastor eiusmodi ferri

potest: nec doctrina cœlestis ex vnius homũculi sanctitate metienda est. Permadebit ergò vera non tantùm erga Pastorem, sed magis erga Deum obedientia, si oues Pastore suo meliores vocationi suæ obtemperare velint. Cæterùm si mores Pastoris coram hominibus commendentur, nos iubet charitas de istiusmodi Pastore benè sentire: modò vt dixi puritatem verbi diuini, & Sacramentorum inuiolatam retineat, vt & à Domino accepit. Cæcus verò essem si non animaduerterem, quò excurrat Pinellus. Pontificum, inquit, conciliorúmque decreta incerta essent, & nulla fide ac autoritate digna. Ergò tui Pontificis causam agere decreuisti, vt quum ad Ecclesiam eum pertinere docueris, quæcunque tandem nobis mendacia, superstitiones, idolomias euomat, ea omnia Ecclesiæ titulum ementita recipiamus. Nec alienum esse videtur à Pontifice vestro, & Cardinalibus cõciliabulariis dubitare, aut potius totis artubus contremiscere, ne extrà Ecclesiam vagentur: si duntaxat solis Electis locus est in Ecclesia. Vitam enim hunc in modum à suis maioribus instituerunt, vt de illorum electione nemo possit vnquam suspicari. Sed non benè tua colligit argumentatio. Nam & qui sunt reprobi vera docere possunt, & qui sunt electi falsa pro veris obtrudere. Maxima enim est humani ingenij debilitas, & maximæ tenebræ. Qui fit vt fidem ex personis non æstimemus, sed ex fide personas, quemadmodum & loquitur & sentit Tertullianus.

Erras quoque περὶ τὴν ὁμωνυμίαν qui vniuersalem Ecclesiam & particulares, quasi vnum idémque planè essent confundas.

Obiicit postea: sancti etiam patres, in Ecclesia malos esse cum bonis permixtos, agnoscunt & confitentur. Ego certè libenter patres audio cum scriptura consentientes. Tu verò Pinelle, quandiu ad eundem scopulum offendes. An fortasse illius versiculi es oblitus *citharœdus Ridetur, corda qui semper oberrat eadem.* Hîc enim agitur à patribus, de visibilibus atque adeò particularibus Ecclesiis, quæ vt docet Caluinus, hypocritas & fideles admittunt. Atque vt te tuo ipsius gladio confodiam, Augustini sententia tibi lepida visa est ad nos refellendos, qua tu ipse fortissimè constringeris. Aliqui, inquit pater ille, ita sunt in domo Dei, vt ipsi etiam sint eadem domus Dei: Alij verò sunt quidē in domo, sed non pertinent ad compagem domus, &c. Atqui si Ecclesia est domus Dei, & reprobi non sint domus Dei, nec ad illius compagem pertinent: certè nōmodò reprobi non sunt Ecclesia, sed neque partes habendi sunt Ecclesiæ, id est, ita sunt in Ecclesia reprobi, vt ad Ecclesiā nō spectēt: & vt nostris vtar verbis (quò melius nostrā doctrinā, à te ipso veritatis oppugnatore proditā & cōfirmatā recognoscas) sunt in visibili Ecclesia, cū inuisibili autem nihil omninò habent commune.

Citati autem à te Scripturæ loci, pessimè ad efficiendam complexionem, qua tibi opus est accommodantur. Nam de particularibus Ecclesiis

clesiis ferè omnes intelligendi esse videntur. Deinde non animaduertis te ista methodo quam sequutus es, Caluini sententiam non posse refellere. Nam si rectè didicisses τὸ ἑρμηνεύειν, illa inter se vt contradicentia non opponeres: Quędam Ecclesia est inuisibilis: Quędam Ecclesia non est inuisibilis. Quoniā subcontrariæ enuntiationes illæ simul possunt esse veræ. Locus autem ex Matthæo, de area, tritico, & palea extenditur latiùs quàm tu opinaris: quemadmodum & locus de zizaniis, quos tu perperam Ecclesiæ finibus determinas. Atqui saltem Christum audire debuisti, qui suam ipse parabolam ita ediserit. *Qui seminat bonum semen, est filius hominis: ager autem est mundus: bonum verò semen sunt filij regni: zizania verò sunt filij illius mali. Inimicus autem qui seminat ea, est diabolus: messis verò, consummatio seculi est: messores autem Angeli sunt.* Matth. c. 13. vers. 37. 38. & 39. Hic autem filius hominis & diabolus, bonum semen & zizania, filij regni & filij mali, ad hunc modum inter se opponuntur: vt si Ecclesiæ terminis parabolam circumscribas, infinita sint absurda cōsequutura, quæ tua omni solertia nunquam diluere possis. Nam & semen diaboli tantùm in Ecclesia constituendum erit, & qui malè in Ecclesia vixerint, in consummatione mundi duntaxat punientur, & quod est planè ἀδύνατον, omnes quotquot erunt, sunt, & fuerunt homines bella interpretatione tua, aut vt electi, aut vt reprobi ad Ecclesiam

pertinebunt. Similitudines autem de sagena in mare iacta, de decem virginibus, de palmite infrugifero, ad quamlibet è particularibus Ecclesiis ἀδιορίστως esse videntur accommodandæ. Vrgeamus autem Iesuitam incommodo eius, quod fieri nequeat.

Si bonum semen & zizania constituunt aspectabilem Ecclesiam, & bonum semen est tantùm in Ecclesia, zizania verò sunt & intra & extra Ecclesiam: Ergò illud quod est in Ecclesia, cum illo quod est intra & extra Ecclesiam, constituit Ecclesiam aspectabilem. ἀθεόλογον & ἀδύνατον.

Exponis tandem quinam sint in Ecclesia, quinam autem ab Ecclesia exulent. In primis nondum baptizati, à te ab Ecclesia expellũtur, quia, inquis, quùm careãt fide, nec essenec dici possunt fideles. O extremã Theologię inscientiam! O temeritatem non ferendam! Tunc obsecro quũ hæc tam falsa, tam absurda tã ab omni ratione ac veritate aliena scriberes, dormiebas an vigilabas? Iam inuideo illustrissimo Principi Vademontano, qui te tam egregium præceptorem, & Thesẽon moderatorẽ nactus est. Nondum baptizati carere tibi fide videntur? At contrariam sententiam docent sacræ literę, quibus quam Pinello credere nos magis oportet. Act. Apost. cap. 8. vers. 36. *tùm ait Eunuchus. En aquam quis me prohibet baptizari? Dixit verò Philippus, si credis ex toto corde tuo, licet, Respondens autem ille dixit, Credo Filium Dei esse Iesum Christum. Iussitq; sisti currum, ac descende-*

descenderũt ambo in aquã Philippus simul & Eunuchus: & ille baptizauit eum. ibi. cap. 10. vers. 44. 45. 47. & 48. & cap. 8. vers. 12. & alibi passim. Quod verò est in hac controuersia magis animaduertendũ, qui ab Ethnicorũ superstitionibus olim, ad veritatẽ Euangelij concedebant: non antè sacro baptismatis lauacro abluebãtur quàm se in Christum credere, coram toto cœtu Ecclesiastico essent professi, & suæ fidei etiã specimen edidissent: vt mirum sit Iesuitam in via tã plana & æquabili, adeò grauiter lapsum esse. Sed accidit iusto Dei iudicio, vt qui veritatem mala conscientia oppugnat, quemadmodum plerisque ferè Iesuitis est solenne, in clarissima luce vt in tenebris offendant: quod certè quotidiana experientia plus satis extra omnem dubitationem collocat. Et de crassissimo errore tuo hactenus à nobis dictum sit.

At excommunicati, modò fidem integram retineant in Ecclesia tibi esse videntur. Si apertè ostenderes de quanam Ecclesia loquare, & in homonymia huius vocabuli non tam sæpè támque variè luderes, planior atque expeditior esset tuorum sophismatum dissolutio. Ne tamen tua tibi prosit malitia & calliditas, sic habeto. Nondum baptizati atque excommunicati, modò illi veram fidem amplexi sint, hi autem retineant: vtriq; ad inuisibilem Ecclesiam pertinere iudicandi sunt. Nam falsũ est illud axioma Iesuiticum & planè scriptis Apostolicis repugnans, nempè, Nondum baptizatos fide carere. Quasi verò fides baptismæ

consequatur, & non tempore illud omninò debeat antegredi. Quod ad visibilem autem Ecclesiam pertinet, magis Cathecumeni esse in aspectabili Ecclesia videntur quàm excommunicati: de qua re tota non est differendi locus. Ita si de Catholica & inuisibili Ecclesia loqueris, caussa cecidisti, tam enim Cathecumeno, quàm excommunicati ad vniuersalem Ecclesiam pertinere possunt: & charitas iubet vt quoad eius fieri possit, in meliorem partem omnia interpretemur. Sin autem de visibili & particulari Ecclesia tuam sententiam exponis, etiam à veritate magis aliena iudicabitur: quod Cathecumeni ad visibilē Ecclesiā magis quàm excōmunicati pertinere videātur: illi enim propter infirmitatem suam, & fidei nō dum perfectam & absolutam probationem à lauacro sancti baptismatis ad exiguum tempus abstinent: hi autem propter vitia & rebellionem ab Ecclesia electi sunt. De iis verò qui peccato sunt mancipati, breuiter quid sentiam, accipe. Nimirum eos ad vniuersalem Ecclesiā non spectare, in visibili autē tādiu esse, quoad eorum hypocrisis & impietas, aut excommunicationis gladio se erumpat, aut si delitescat iusto Dei iudicio, coerceatur. Nec te pudet eos in Ecclesia fidei esse beneficio affirmare? Quænam est obsecro te fides illa? Mortua, inquis, Atqui fides mortua non est fides, nisi ὁμωνύμως quemadmodum homo mortuus non est homo. Ita si fides, cuius beneficio sunt in Ecclesia, non est fides, multò minus erunt in Ecclesia: quod per se ita est clarum, nostra vt probatione non indigeat.

THESIS L.

At dicet quispiam, si peccatores Ecclesiæ membra sunt: igitur Christus qui caput est Ecclesiæ iniquorum hominum caput erit. Rursum peccator quantumuis fidelis membrum est diaboli, non ergò Christi, quemadmodum testatur Apostolus quum ait: Si quis autem spiritū Christi non habet, hic non est eius. Sed vtrunque tollitur si dicamus: In Christiano peccatore aliquid mali esse, quale est peccatum, & actiones quæ ex illo manant: aliquid boni, cuiusmodi est fides quam retinet. Quare si ad eius malos sceleratósque mores attendas, membrum dæmonis iure eum dixēris: sin eiusdem fidem quæ Christi est, spectes, eum membrum esse Christi fatearis necesse est.

THESIS LI.

Quod si rursum dicas D. Ioannem videri asserere non omnes qui sunt in Ecclesia, ad Ecclesiam pertinere, sed tantùm prædestinatos. Ait enim, ex nobis prodierant, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Et nos concedamus locum hunc de prædestinatis intelligi (vt nonnulli patres volunt) nihil tamen

„ habent hęretici, quod nobis obesse valeat. Nō
„ enim inde rectè colligitur quod prodierint à
„ nobis, quum non essent prædestinati, idcirco
„ ad Ecclesiam antequam exirent nullo modo
„ spectasse. Nam Apostolus, vt paulò antè dice-
„ batur, disertis verbis asserit, in domo Dei alia
„ vasa esse aurea, in honorem facta, quales sunt
„ electi & boni: Alia lignea & fictilia facta in
„ contumeliam, quales sunt mali ac reprobi.
„ Quanquam potest etiam responderi D. Ioan-
„ nem de iis loqui, qui verè non erant conuer-
„ si ad fidem, sed eam simulabant, ac animo ab
„ Ecclesia erant alieni. Hos autem ad Ecclesiam
„ minimè pertinere confitemur.

THESIS LII.

„ Illud etiam potest obiici, quod quemad-
„ modum qui ferunt in arca Noe omnes à præ-
„ senti aquarum discrimine & interitu liberati
„ sunt: ita etiam salui erunt, qui sunt in Eccle-
„ sia. Fuit enim arca typus Ecclesiæ. At qui
„ salui fiunt prædestinati sunt, soli igitur præ-
„ destinati sunt in Ecclesia. Verùm arca non in
„ eo fuit typus Ecclesiæ, sed in hoc quod sicut
„ extra arcam perierunt omnes, ita qui sunt ex-
„ tra Ecclesiā, iis nullus salutis locus relinquatur.
„ Rursum in eo arca fuit typus Ecclesiæ, quod
„ quemadmodum in ea animalia munda & im-
„ munda simul erant, ita in Eccl'esia mali (vt
„ paulò antè ex Hieronymo dicebamus) mixti
„ sunt bonis.

THE-

THESIS LIII.

Neque illud vim aliquam habet. Christus “
eius Ecclesiæ caput est cuius est Saluator, sed “
est Saluator tantùm prædestinatorum, soli i- “
gitur illi in Ecclesia, cuius Christus est caput, “
habendi sunt. Nam quum Christus sit caput “
ratione fidei, quam in Christianorum animos “
infundit, caput erit omnium fidem haben- “
tium. Deinde existimare Christum solum “
prædestinatorum Saluatorem esse, error “
est. Si enim Christum in se consideremus, “
planè omnium est Saluator: quum ea omnia “
præstiterit, quæ ad salutem consequendam “
requirebantur. Quúmque omnibus eam pa- “
ratus sit suppeditare gratiam, qua freti vitam “
æternam promereri possint. “

ANALYSIS.

Mali possunt esse membra Christi & dia-
boli. Nempè Christi, ratione fidei, diaboli
autem propter malos sceleratósque mores.
Locus autem Ioannis, prodierunt ex nobis,
non autem erant ex nobis, exponendus vide-
tur de iis, qui verè non erant conuersi ad fi-
dem, sed eam simulabant, &c. Arca verò Noe
non est in eo typus Ecclesiæ, quod omnes in-
tra eam seruati sunt à diluuio, sed quod omnes
extra illam perierunt. Denique Christus ser-
uator dicitur non tantùm electorum, sed etiā
reproborum, quia eis omnia præstitit ad salu-

tem neceſſaria: igitur & reproborum vt ſeruator, ita & caput dici poteſt.

REFVTATIO.

Tandem portenta loquitur Pinellus, & Chriſtum cum diabolo, cum reprobis electos tam amicè conciliat vt (ô execrandam blaſphemiam! ô ſcelus abominandum, & ante iſtum Ieſuitam in omni vita inauditum!) corpus vnum efficere videantur. Sed nihil accommodatiùs excogitari poteſt ad Pinelli blaſphemias detergendas, quàm ſi rationem coniunctionis Eccleſiæ atque Chriſti paulò enucleatiùs perſequamur. Ac in primis, vt ego quidem arbitror, nemo inuenietur adeò ſacrarum literarum imperitus & rudis, qui ſponte ſua non fateatur ſpiritualem eſſe Chriſti atque Eccleſiæ coniunctionem. Siquidem ea quæ inter ſe locorum interuallis diſcreta ſunt, animi tantùm & mentis operatione copulantur. Quum verò Eccleſiæ cum Chriſto coagmentatio, facilè humani omnem ingenij rationem atque intelligentiã exuperet: opus eſt vt Dei Spiritus noſtræ cæcitati medeatur, in nobíſque accendat veræ atque ſinceræ fidei & cognitionis igniculos, quibus excitati ad cœleſtem illam & beatiſsimam Chriſti cum hominibus coniunctionem atque vnionem conſcendamus. Iam quum Spiritus Dei cum omnibus promiſcuè non communicetur: profe-

ctò in diſputatione qua quærimus, quinam illi ſint quorum Chriſtus caput eſt, quíque viciſsim ſunt corpus Chriſti: eorum tantum habenda eſt ratio, qui Dei Spiritu prædíti ſunt. At ſoli electi, & ad ſalutem efficaciter Chriſtum amplexi, excellentiſsimo & beatiſsimo munere illo exornantur, à cuius participatione reliqui omnes alieni, veram fidem atque charitatem habere non poſſunt, ſed vtriuſque duntaxat ſimulachrum & imaginem. 2. Corin. cap. 1. verſ. 22. *Qui etiam obſignauit nos, deditque arrhabonem Spiritus in cordibus noſtris.* Epheſ. cap. 1. verſ. 13. & 14. *In quo etiam poſteaquam credidiſtis, obſignati eſtis Spiritu illo promiſsionis ſancto: Qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ dum in libertatem vindicemur ad laudem gloriæ ipſius.* Rom. capit. 8. verſ. 15. 16. & 17. *Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis ad metum, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis per quem clamamus Abba Pater. Qui ipſe Spiritus teſtatur vnà cum ſpiritu noſtro, nos eſſe filios Dei. Quod ſi filij etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.* Sed audiamus quid reſpondeas. Vis à nobis conſiderari malos duplici reſpectu: nempè vitæ corruptæ atque fidei. Quod ad vitam attinet, illius caput diabolum eſſe confiteris, quod verò ad fidem, Chriſtum. Si meo iure agerem, facilè poſſem excipere, nos de vita & fide propriè non agere, ſed de hominibus. Neque enim Chriſtum eſſe dicimus hoc quidem in argumento caput fidei,

sed caput Ecclesiæ. Deinde si homo ille qui duplex caput habet (quod sine blasphemia dictum sit, & absque fidelium & religiosarum aurium offensione, non enim aliter Pinelli blasphemias refutare possumus) nempè Christum & diabolum, totus in dominio est diaboli, meritò eum ab Ecclesia extraneum esse dicimus. Quæ autem illa est fides, de qua hoc in loco disserimus? Externa nimirum Euangelij professio. Atqui hanc fidem ad visibilem & aspectabilem Ecclesiam pertinere, nunquam fumus inficiati: ad electorum verò congregationem pertingere, quanta possumus contentione maxima pernegamus. Sed in eo falleris, & quidem vehementer, quòd professionem illam externam cum hypocrisi & impietate coniunctam esse bonam, & laudabilem, & Christo capite vnitam pronunties: quum extrema sit verbi diuini, sacramentorum, æternæ vitæ, ipsius denique Dei contemptio. Neque repetenda esse videntur, quæ paulò antè diximus de fide mortua, quæ est fides ὁμωνύμως, vnde colligitur eos qui ab istiusmodi fide appellantur fideles, non esse partes conficientes, sed deficientes Ecclesiæ: aut vlcera potius & carcinomata, quæ nihil habent cum ratione, vsu, firmitate, pulchritudine cæterorum membrorum, communi. Quæ enim est fidei merces? salus animarum. 1. Petr. cap. 1. vers. 9. qui effectus? sanctificatio & purificatio. Actor. Apostol. capit. 15. vers. 9. quæ autem à Spiritu sancto explicata eius definitio? Fides

Fides illud est quo extant quæ sperantur, & quæ demonstrat quæ non videntur: An obsecro tui fideles illi, vel minimam eorum, quę de fide scriptura explicat portiunculam, sibi vnquam arrogabunt? Minimè profectò. Quamobrem suadeo, in posterum vt Iesuitica hypocrisi prætermissa, de fide vt fideles oportet disseramus. Error est τῷ δὲ τὴν ὁμωνυμίαν fidei atque Ecclesiæ: prætereà δόγμα ἑτεροδοξὲς.

In refutanda Dei veritate perstat Iesuita, & quædam nostrorum hominum argumenta hunc in modum excutit: vt se frustrà ipsi Deo reluctari, & mala conscientia Theologum agere prodat. Inter alia multa, quæ ad veritatem electorum asserendam in sacrarum literarum thesauro longè opulentissimo faciunt: nostri doctores locum etiam qui extat in prima Ioannis Epist. cap. 2. vers. 19. proferre solent: qui certè locus est huiusmodi, vt omnium sophismatum captionibus expugnari non possit. Ergò in primis verba ipsa citabimus Apostoli *Etiam nunc* inquit, *Antichristi multi cœperunt esse: vnde scimus vltimum tempus adesse. E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum, &c.* Ex hoc loco illud necti potest argumentum firmissimum. Si qui egressi sunt ab Ecclesia, non pertinebāt ad Ecclesiam, eo ipso tempore quo in Ecclesia versabantur: & hypocritæ, ambitiosi, auari, & profligatæ ac desperatæ conscientiæ homines, vt in Ecclesia non ex fide vitam instituunt, ita aliquando etiam ab Ecclesia secedunt: profe-

ctò sua illa secessione testantur, se nunquam Ecclesiæ membra fuisse. Quid ad hæc autem Pinellus. Non rectè, inquit, colligitur, quod prodierint à nobis, quum non essent prædestinati, idcircò ad Ecclesiam antequam exirent nullo modo spectasse. Quum ita respondes Pinelle, quid aliud facis, quàm nostræ sententiæ tuum addere calculum, & veritati perquàm inuitus apertè patrocinari. Tuo illa verò patrocinio minimè indiget, quum ipsa se aduersum Iesuitica sophismata facilè tueatur. Neque enim nos vnquã negauimus hypocritas & reprobos in Ecclesia visibili esse: & si ordinem & politiam exteriorem Ecclesiæ duntaxat examinemus, Ecclesiæ aspectabilis quædã membra etiam constituere: quòd Deus pro singulari tùm sapientia, tùm bonitate sua reproborum quoque labore, & aliquando industria vtatur ad Ecclesiam suam propagandam atque conseruãdam. Sed nihilominus, quod sæpè surdis occinimus, electorum Ecclesiam, à ratione visibilis & temporalis Ecclesiæ discernandam esse docemus. Quæ nostra sententia verbis Apostoli expressè describitur. Non erant, inquit, ex nobis. Pronomen illud, *nobis*, cum Patribus ipse de prædestinatis explicas. Ergò tu etiam prædestinatorum aggregationem & cœtum agnoscis: ad quem non pertinebant illi Antichristi, de quibus loquitur Ioannes. Magis absurda est tua posterior explicatio, de his qui verè ad fidem non erant conuersi: quos ab Ecclesia esse alienos concedis. Atqui, si quid vera

vera sit fides & conuersio, didicisses, aut sententiæ tuæ renuntiares, aut saltem adeò absurdè ac Iesuiticè non argumentarere. Quę enim vera est fides atque conuersio, ea est huiusmodi vt excidere non possit. Dona enim Dei & vocatio est ἀμεταμέλητος Rom. cap. 11. vers. 29. & Ps. 138. Dei misericordia est in seculum, non derelinquet opus manuum suarum, & infinita huiusmodi occurrunt in sacris literis testimonia.

Quod verò ad Noachi arcam attinet, non solemus allegorica vrgere argumẽta fortiùs, quã rei de qua differimus natura, & ratio, & scriptu rę patiatur autoritas: in qua re aut negligenda, aut non animaduertenda vos sæpenumerò grauissimè peccatis. Quamobrem excutiamus oportet iuréne an iniuria, ex hac allegoria quidam ex nostris contra visibilitatem Ecclesiæ Pontificiæ sint argumentati. Tu es in ea sententia, vt arcæ typus aspectabilem Ecclesiam significarit: nos contra volumus typum illum ad Ecclesiam electorum & inuisibilem referre. Quinam igitur cum scriptura consentiant accuratè disquirendum est. Non autem possumus testem adducere, qui magis apud vos autoritate valeat & gratia, quàm Petrus ille vester (siquidem vobis est habenda fides) primus Pontifex. Itaque quum tam gratiosum & testem atque adeò iudicem aduersariis feramus, nisi omninò sui Pontificatus velint esse immemores, non est periculum, ne ab illo ad alium prouocent. Audiamus ergò qua tandem ra-

tione typum arcæ Noachi Petrus interpretetur,& ad Ecclesiam accommodandum esse doceat. *Quum semel*, inquit Petrus, *expectabat Dei patientia in diebus Noe, quum appararetur arca in qua pauca, id est octo animæ seruatæ sunt in aqua. Cui rei nunc correspondens exemplar Baptismi nos quoque seruat (non quo carnis sordes abiiciuntur, sed stipulatio bonæ cõscientiæ apud Deum) per resurrectionem Iesu Christi.* 1. Petr. ca. 3. vers. 20. & 21. opponit arcam Petrus Baptismati non externo sed interno. At si omnes qui Baptismo interno baptizantur ad electionẽ Dei æternam referri debent: & similitudo & typus arcæ ad eos tantùm, si Petrum audimus aptanda est, qui eiusmodi Baptismate à reliquis mortalibus distinguntur: certè nemo non videt allegoriam Noachi familiæ ab inundatione diluuij admirabiliter conseruatæ, aggregationem electorum, ex vltimo iudicio effusa Dei benignitate ac misericordia ereptorum adumbrare. At pulchrè Pinellus excipit, arcam in eo typum Ecclesiæ non fuisse, quod omnes qui erant in ipsa seruati sint: sed dũtaxat in eo quod extra eam omnes perierint. At idem dicere, & probare Pinello est: cuius tota subtilitas in eo versata est, vt confirmaret particulares Ecclesias esse aspectabiles: quam complexionẽ quasi esset καθόλου adeò extendit, vt nihil ad Ecclesiæ nomen atque rationem aspirare illi posse videatur: quod sub sensum oculorum minimè cadat. Quæ argumẽtandi ratio si semel in Theologię sacrarium admittatur, nihil omnium erit tam

tam absurdum, tam falsum, tam ab omni fide & probabilitate alienum, quod facillimè confirmari non possit. Euidentissimè autem falsa est Iesuitæ, vt ab eo quidem explicatur, enuntiatio. Nam si de Ecclesia loquimur, quatenus est visibilis, veritati repugnat, neminem extra eam seruari posse. Multi enim tùm intra visibilem Ecclesiam pereunt, tùm extrà conseruantur: quemadmodum sæpe accidisse Ecclesiastica testatur historia, & sacræ etiam literæ. Sin autem de illa quam ipse negat, nos verò agnoscimus: nempe electorum Ecclesia sermonem instituit, falsissimum est quenquam in ea posse inueniri, ad quem salus æterna minimè pertineat.

Postremò Christum appellat etiam reproborum Saluatorem. Mira certè interpretatio, vt Dei filius Saluator esse dicatur eorum, qui pereunt. At forsitan, te vt de χρησφυλάτῳ philosophico admoneam Seruator est potentia, non autem actu. Quidni enim Christo inanem titulum affinges, qui ei mortua & putria membra non est veritus attribuere? At Christus omnia suppeditauit reprobis ad salutem? Cur igitur eam minimè consequuntur? Nos quidem ne aberres, concedimus reprobos magis esse coram Dei tribunali post aduentum Messiæ ἀναπολογήτους, quàm erant antè quàm Dei filius inter homines apparuisset: nihilominus vehementer in re maximi momenti hallucinaris, quemadmodum & reliqui solent Pontificij, si existimas vel in arbitrio esse hominum

salutem oblatam accipere, vel quibuslibet annuntiationem Euangelij patere. Solus enim est Deus, qui corda hominum flectit, vt Euangelio credant, qui fidem, spem, charitatem, patientiam denique & perseuerãtiam, quibus decreuit ab æterno largitur. De qua re tota cum Domino visum fuerit agemus.

THESIS LIIII.

„ Si vnquam Christi Ecclesiam cognoscere
„ necessarium fuit: his calamitosissimis tempori-
„ bus, istiusmodi cognitio perneccssaria est: in
„ quibus tot sectæ sunt inter se de religione pu-
„ gnantes, quod simul post hominum memo-
„ riam nec visæ sunt, nec auditæ. Et in quibus,
„ quod grauius est, quælibet se veram Ecclesiam,
„ Christi sinceram doctrinam, fidémque habere
„ prædicat: quum tamen vna tantùm sit vera Ec-
„ clesia, quod & sacrę scripturæ profitentur, &
„ ipsi etiam aduersarii concedunt. Sed id mini-
„ mè nouum est, veteres enim hæretici, quos
„ iam cum suis hæresibus sepultos videmus, idẽ
„ de suis conuenticulis affirmabãt. Quod de Do
„ natistis refert Augustinus: de Nestorianis ve-
„ rò & Manichæis scribit Bernardus.

THESIS LV.

„ Iam verò in Ecclesia nostra ipsorum salus
„ sita est: sic vt qui ab ea exulet, illi mors certa
„ exitiúmque constitutum sit. Quare eius cogni
„ tio tam esse nobis necessaria, quàm animi sa-
lus

lus ac beatitudo clara esse debet: hanc enim si- “
ne illa nemo consequi potest. “

THESIS LVI.

Verumenimuerò quum dicimus in sola “
Christi Ecclesia nostram salutem esse sitam, “
non eo sensu accipiendum, id est, tanquam ab “
ipsa Ecclesia (quam suprà diximus esse homi- “
num sub vna fide conuocationem) vt à fonte “
pendeat. Hæc enim quemadmodum & Chri- “
stiana iustitia, ab vno Deo tanquam à primo “
autore proficiscitur. Hinc est, quòd vt Augu- “
stinus monet, in Symbolo dicimus: Credo Ec- “
clesiam, non autem credo in Ecclesiam, quem- “
admodum credo in Deum. Itaque in Ecclesia “
dicitur nostra esse salus: quia in ea non modò “
ostenditur via ad salutem: sed etiam in ea sunt “
Sacramenta aliáque remedia ad beatitudinem “
consequendam necessaria. “

THESIS LVII.

Esse autem in sola Christi Ecclesia spẽ salu- “
tis certũ est: idque significauit D. Petrus, quum “
eam cũ arca Noë cõtulit, non solùm ꝓ (vt pul- “
chrè notat Gregorius. Quẽadmodũ quò aquæ “
magis crescebant, eò arca magis in altũ ferebã- “
tur: ita semper Ecclesia in tribulationibus & “
persequutionibus facta est maior ac illustrior: “
verum etiam vt significaret perituros eos o- “
mnes, qui extra hanc arcam diem obierint, “
quemadmodum perierunt omnes qui in a- “
quas diluuiuj extra arcam inciderunt. Quod “
& Esaias videtur prædixisse, Gens & regnum, “
quod non seruierit tibi, peribit. “

THESIS LVIII.

» Idem quoque sancti patres asseruerunt. Si po-
» tuit, inquit Cyprianus euadere quispiam, qui
» extrà arcam Noe fuit, & qui extrà Ecclesiam
» foris fuerit euadet. Monet Dominus qui non
» est mecum, contra me est. Augustinus etiam
» loquens de Ecclesia præter alia hæc dicit. Ex-
» tra hoc corpus neminem viuificat Spiritus san
» ctus, quia sicut ipse dicit Apostolus. Charitas
» Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiri-
» tum sanctum, qui datus est nobis. Non est au-
» tem particeps diuinæ charitatis, qui hostis est
» vnitatis. Non habēt itaque Spiritum sanctum,
» qui extra Ecclesiam sunt. Et Gregorius, sancta,
» inquit, vniuersalis Ecclesia prædicat, Deum ve
» raciter nisi intra se coli non posse, asserēs quod
» omnes qui extra ipsam sunt minimè saluabun
» tur. Quod etiam ipsi aduersarij fatentur. Asse-
» rit enim Caluinus extra Ecclesiam nullam pec-
» catorum remissionem, vel salutem esse cui-
» quam sperandam.

THESIS LIX.

» Deinde Ecclesia est sponsa Dei, eius gratia,
» vt Augustini verbis vtar dealbata, & prętioso
» Christi sanguine dotata. Quò fit vt is meritò
» vt Cyprianus & idem Augustinus aiunt, Deum
» patrem non habeat, qui Ecclesiam vt matrem
» non agnoscit & habet. Ireneus quoque de Deo
» & Ecclesia loquens. Quapropter inquit, qui
« non participant eum, neque à mămillis matris
» nutriuntur in vitam.

THE-

THESIS LX.

Quibus addi potest: quod Ecclesiam, quum «
ea sit domus Dei, columna ac firmamentum »
veritatis, permagni refert cognoscere. Neque »
enim in ea, quam non cognoscimus manere «
possumus. At si domus est Dei, in ea seruantur «
ac docentur filij Dei: Rursus, si est columna ve- «
ritatis, non est quod de eius doctrina dubite- »
mus. Si eiusdem est firmamentum, ad eā in du- «
biis rebus, tanquam ad nostram omniū magi- «
strā, à Spiritu sancto eruditā, adeundum est. Id «
quod Augustinus indicauit, quum dixit. Non «
recipio quod de baptizandis hæreticis & schis- «
maticis nonnulli senserunt, quia Ecclesia non «
recepit. Alibi quoq; monet vt in dubiis consu- «
lamus Ecclesiam. Quisquis inquit falli metuit, «
huius obscuritate quæstionis, eandem Ecclesiā «
de illa consulat, quam sine vlla ambiguitate «
scriptura demonstrat. «

THESIS LXI.

Deinde sæpè Apostolus asserit Ecclesiam «
corpus quoddam esse, ex variis membris coag- «
mentatum, cuius caput Christus est, fideles «
verò Christiani membra. Quare necesse est «
sciamus, an huius corporis membra simus, & «
à Christo tanquam capite in nos fons omnis «
vitæ deriuetur. Vnde pulchrè Augustinus, «
ad ipsam inquit, salutem & vitam æternam «
nemo peruenit, nisi qui habet caput Christum: «
habere autem caput Christum nemo poterit, «
nisi qui in eius corpore fuerit, quod est Ec- «

» clesia. Et alibi scribens ad Bonifacium. Neque » iustum ait, esse extra hoc corpus, neque spiritū » vitæ habere posse.

THESIS. LXII.

» Quid igitur, dicet aliquis, pueris hæretico- » rum sacro ablutis baptismate, vel aliis baptiza- » tis fiet, qui nihil prorsus quod ad veram Eccle » siam pertinet audiuerunt? Peribuntne etiam » qui eam quoquo modo ignorant? De hac re » cum Augustino ita sentimus. Non omnis i- » gnorans immunis est à pœna. Ille autem igno- » rans potest excusari, qui à quo disceret, non » inuenit. Id quod etiam Christus significauit » quum dixit, si non venissem, & loquutus eis » fuissem, peccatum non haberent: nunc autem » excusationem non habent de peccato suo. Ra- » tio quoq; id postulare videtur, vt nemo scili- » cet puniatur ob id, quod absq; sua culpa nec » sciuit, nec debita diligentia adhibita scire po- » tuit. Neque verò ex his rectè quispiam colligit » extra veram Ecclesiam posse homines consequi » salutē. Nam si qui sunt qui inculpata ignoran- » tia laborent, ac sine sua culpa non credant Ec- » clesiā Romanā, quia nihil de ea audire potue- » runt: hi si quod in se est fecerint, ad Dei proui- » dentiam spectabit, vt quæ ad salutem sunt ne- » cessaria, sciant & habeant.

ANALYSIS.

Si salus extra Ecclesiam esse nulla potest: & gra-

grauissimè controuertatur quænam sit Eccle- sia: profectò est ad salutem domino neces- sarium, vt Ecclesiam cognoscamus quod per- spicuis & firmissimis, tùm Patrum, tùm scri- pturæ sententiis confirmatur.

REFVTATIO.

Ecclesiæ cognitionem, ad æternę salutis hę- reditatem, post exactum vitæ mortalis curricu- lum adipiscendā, requiri necessariò, libentissi- mè nostri homines (quod illis effusa Dei mi- sericordia, vt nobis etiā cōtingit) ad hanc vsq; diem professi sunt & profitentur: ita vt à tam multis & patrum & scripturæ sententiis laudā- dis & explicandis, in re adeò illustri, & mini- mè omniū controuersa temperare facillimè potuisses. Quis enim dubitat, an sit necessaria Ecclesiæ cognitio? Sed vt valentē oportuit lo- gicū, ordinē quæstionū sequi exactè voluisti. nempè hunc in modū. An sit Ecclesia. An Ec- clesia cognosci ab hominibus possit, & quālis eius sit cognitio. An necesse sit Ecclesiam ha- berē cognitā & perspectā. Quæ sint Ecclesiæ cognoscendæ signa. An signa illa deprehen- dantur esse in Ecclesia Romana: an verò aliena sint ab hæreticorū Ecclesiis. Quo tandē labore perfecto, concludit, Romanā Ecclesiā esse verā, germanā, æternā, vniuersalē Dei Ecclesiā: quæ in fide labi nō possit: à qua qui exulant immise ricorditer sēpiterno exitio pereūt. Benè certè. Attamē opus nō erat, vt in re, quē admodū dixi perspicua, operā & oleū impēderes. Nos verò ita

sententiam nostrã explicamus. In confesso est Christum Ecclesiæ caput esse: ideoq; ex corporis & capitis ratione vitam Ecclesiæ cõmunicare Dei filiũ. Ex quo efficitur non modò Ecclesiã à Christo vitã haurire: sed etiã eos esse vita spirituali destitutos, qui ab illo capite alieni sunt. Quum verò inter nos atq; Pontificios agitur de modo & ratione illius beatissimæ coniunctionis: prodit se hominum vel oscitantia, vel improbitas. Nullam enim agnoscunt Christi & fideliũ, vt hoc verbo vtar, coagmentationẽ atq; vnionẽ: nisi quæ in oculos incurrat, & sensu crasso & terrestri deprehendi possit. Sed hac de re plus satis. Ad visibilẽ autẽ atq; aspectabilem Ecclesiã quod attinet: fatemur, quod est verissimũ, eos qui sunt inuisibilis Ecclesiæ mẽbra, quosq; ad sempiternæ gloriæ participationẽ Deus elegit ante iacta mundi fundamenta: nihil magis habere in votis, quàm ea doctrina, consolatione, cõmunicatione Sacramentorum, exhortatione, omni deniq; opulentissimo illo beatissimoq; thesauro assiduè frui: quem Ecclesiæ ministerio suis Deus ipse largitur. Quãobrẽ Dauid, excellentissimus ille Propheta, & peculiari etiam promissione in spem prosperi successus, à Deo in dies magis ac magis excitatus: non potuit non grauissimè cõqueri, de miserrima conditione illa, cui sustinendæ imparem se suis lamentis esse prodidit: quòd inimicorum immani crudelitate atq; sæuitia, in Iudæorum Ecclesia visibili Deum colere nõ posset, atq. à Deo institutis ceremoniis legalibus,

libus & sacrificiis cum reliquo Israelitarũ cœtu interesse. Cuius certè rei desiderio flagrare toti nunc debemus: propterea q; suis omnibus exornata, verè spiritualibus diuitiis splẽdet Ecclesia, posteaquã Rex ille noster inter homines apparuit, & suã ipsius gloriã & maiestatẽ & potentiã cum delectissima sponsa opulẽtissimè atq. abũdãtissimè cõmunicauit. Sed vereor ne mei oblitus Pinellum imitari velle videar.

Nunc autẽ breuiter, vt mos est meus, quę Iesuita in medium afferat excutiã, & nisi cum veritate scripturarũ consentiant, refellã. Atq. in primis esse ait perneccssariã his calamitosissimis temporibus Ecclesiæ cognitionem: quòd hæreticorũ penè infinitæ nostra memoria exortę sint factiones: quarũ singulę ad se Ecclesiã pertinere gloriantur: Atqui quum vna sit veritas, vnã quoq. Ecclesiã esse necesse est, quæ veritatẽ amplectatur & doceat. Vtinam, Pinelle, mundo Ecclesia Dei tam esset cognita, quã certò mihi persuadeo si excellentissimum illud à Deo optimo maximo, generi humano beneficiũ cõtingeret, Pontificẽ Romanũ, vosq. adeò illius asseclas & parasitos plus satis de tam fælici, tãq. beata mutatione dolituros. Vbi enim tunc Papa tyrrannis pedẽ figeret? vbi vos Iesuitæ cũ vestris superstitionib⁹ & imagunculis oberraretis? vbi crustuli vestri adoratio? vbi purgatorij vectigal? vbi penè infinitæ nundinationes Pontificiæ, aut frequentarentur, aut empto rẽ inuenirẽt? Nec vos pudet istius abominandæ simulationis? vestra enim vobis occinit cõ-

scientia (si tamen in tam nefariis hominibus conscientia vlla esse potest) in eo vos esse totos vt verã Dei Ecclesiã obscuretis: vt ea demũ ratione Pontificiæ synagogæ turpitudo & deformitas celetur: & interea fingatis vos ardere desiderio inueniendæ atq; aperiendæ Christi Ecclesiæ, vt omnibus abrogatis erroribus in mente hominũ regnet atq; triũphet sola Dei veritas. Itaq; vos esse planè similes existimo Scribis & Pharisæis: qui quũ Dei veritatem acerrimo persequerentur odio, se nihilominus Dei veritatẽ tueri velle gloriabantur. At nos quum veteribus hæreticis comparas. Quid ita? quia sincerã Christi doctrinã & fidem nos habere prædicamus. Quid audio? At illi sunt tibi hæretici, qui se doctrinam fidemque Christi habere prędicant? minimè inquies, at quum sitis hæretici, nulli debere mirum & nouum videri assero: de vera & sincera fide atq; doctrina vos falsò gloriari: q̃ hæc inanis iactantia & gloriatio, cũ veteribus etiam hæreticis fuerit cõmunis. Ergò Pinelle ad pulcherrimã diiudicationẽ illã, te primùm accingere oportuit, ad quam vos omnes Pontificios frustrà tandiu prouocamus: nempè vt ex scripturarum autoritate disceptetur, nostrane an vestra, in quibus inter nos dissentimus, contradictio, veritati repugnet aut assentiatur. Nam crimen hæreseos verbis asperſum, verbis diluitur. Illud verò quod adhibita scripturarum autoritate infligitur, indelebiles inurit insciẽtiæ atque impietatis maculas.

Distin-

Distinctio illa autẽ quæ non est minimi momenti, nempè qua nos testamur credere in Deum, & credere Ecclesiam: ex doctrina Pontificia explicari non potest. Siquidem hòc vobis persuasit vester Pontifex se in fide errare nõ posse: Romanã Ecclesiam quę particularis est, cõmentitio illo priuilegio exornatã esse, vt eã necesse sit, quæcunq; mutatio incidat, purã & sinceram & omnis expertem vitii, veritatem retinere. Ita vt quum vester ille Pontifex, cum sua Ecclesia Romana, se in fide falli non posse contendat, & vos illi nebuloni credatis: concedendũ est, præsertim quum simus parati ostendere, Papam à fide defeciſſe, vos non tantum Ecclesiam Romanam simul & intueri & credere: sed etiã, vt reginam fidei vestræ constituere, atque adeò ipsi per prophetas & Apostolos & Euangelistas loquenti Deo anteferre.

Cætera inter nos atque Pontificios non admodum esse videntur controuersa, si exceperis illa quæ de baptismate Pinellus à superstitionibus Iudæorum mutuatur: quæque de illis conseruandis, qui absque sua, vt loquitur culpa, Ecclesiam ignorant, ignorantissimè asserit. Nulla enim est alia ratio salutem adipiscendi, quàm ea quæ est in verbo Dei patefacta: nec homines de salute sua seriò vnquã cogitare possunt, nisi Deus ipse in eorũ mentibus operetur. Ex quo efficimus errare Pinellũ, & quidẽ non ferendum errorẽ duabus de causis. Vna est, q̃ nescio quã salutẽ, extra Dei Ecclesiã constituat: altera quòd de hominum viribus

contra scripturæ autoritatẽ tam elatè, tamque magnificè sentiat: vt Deum prouocare possint, ad sibi non modò secundũ ordinẽ ab ipso constabilitum, sed etiam extra ordinem succurrendum atq. opitulandum. Et quod est absurdissimum, inficiatur nihilominus salutem illam, ab eo qui ne verbum quidẽ de Ecclesia audiuit, extra Ecclesiam percipi: quam non vt nos facimus electorum aggregatione (sibi enim nõ tã apertè contradiceret) sed aspectabili atque exteriore forma Ecclesiæ determinat: vt miro quodam & planè inaudito atque inenarrabili modo vnus idẽque sit iudicandus æternã salutẽ consequi, extra & intra Ecclesiã: ita vt præstigiatores Aegyptios, qui nexilibus laqueis aciẽ oculorum perstringere solent, hac quidẽ argumentandi ratione Pinellus perpulchrè mihi esse videatur imitatus. Quæ certè fallendi soler tia præstigiatore Aegyptio magis digna est, quàm erudito grauisq. Theologo.

THESIS LXIII.

» Hæretici nostræ ætatis animaduertentes,
» hinc peti non solũ huius, sed etiam aliarum
» quæstionũ explicationem: plurimùm in hac re
» laborarunt, tandẽq. eiusmodi signa excogita-
» runt, quæ rem alioqui claram obscurarent ac
tegerent. Caluinus enim duo assignat, eaque,
» vt ipse putat certissima: verba Dei sincere prę-
» dicatu, & verã Sacramentorũ administratio-
» nem. Ita vt, vbi hæc duo fuerint, ibi esse Eccle-

siã existimet: vocetq. ad dignoscẽdã veram Ec- «
clesiam, lydium lapidem. Easdẽ Lutherani in «
confessione Augustana, Ecclesiæ notas esse pro «
fitentur: Nunc verò ministri Caluiniani, tertiũ «
signum, legitimam nempè pastorum electio- «
nem, videntur adiungere. «

THESIS LXIIII.

Verùm qui hæc signa constituunt apertè «
ostendunt, se quæ sit signorum natura & con- «
ditio, penitùs ignorare. Signa enim non solum «
certa esse debent, sed etiã dilucida nobis ac ma «
nifesta: alioqui non minùs in illis cognoscẽdis «
quàm in re ipsa hærebimus: vndè fiet, vt nullus «
sit futurus disputandi finis, signa quippè signo «
rum erunt requirenda. Et quidẽ nos fatemur «
in vera Ecclesia rectè verbum Dei prædicari, sa «
cramenta ministrari, pastores elegi. At quis nõ «
videt, vbi hęc sint, quàm vbi sit Ecclesia, ægriùs «
à nobis cognosci. De hac enim clarius sacræ li- «
teræ, quàm de illis loquitur. Quare facilùs hãc «
quàm illa reperire est. «

ANALYSIS.

Signa debent esse notiora re illa, cuius sunt signa: recta prædicatio verbi diuini, & sacramẽtorum administratio est obscurior Ecclesia: ergò prædicatio verbi diuini, & sacramentorum administratio, esse non possunt signa Ecclesiæ.

REFVTATIO.

Quum de vera falsaq; Ecclesia controuertitur,& de veris falsisq; notis Ecclesiæ: nemo nõ videt,nomen Ecclesiæ vsurpari tunc indefinitè,vt possit æqualiter cuiuis ex particularibus Ecclesiis cõuenire. Nã quũ Ecclesia, vt est καθ' ὅλου, sub aspectũ cadere non possit: nec humana conditio patiatur,vt oẽs qui sunt vbiq; terrarũ fideles,vnũ eundẽq; in locũ aggregentur:neq; si eiusmodi cœtus cõgi posset, Ecclesiæ Catholicæ rationẽ atq; definitionẽ susciperet : propterea q̃ electi,quos vita functos Deus æterna fælicitate muneratus est, ab illa communitate necessariò excluderentur:& illi etiã qui ad consummationẽ vsque seculorum,in luce sunt prodituri:efflagitat omninò ipsa disputationis propositæ ratio,vt de Ecclesia loquamur ἀδιορίστως:& quatenùs in ea versamur,& Dei verbũ, & sacramenta,corũq; fructum & efficacitatẽ hominũ opera & ministerio, spiritu sancto liberrimè & potentissimè vtente,participamus. Nec sine caussa mihi quidẽ videor,antequã vlterius procederem,ita exorsus esse. Nam quũ aspectabilis Ecclesia infinitis penè mutationibus sit obnoxia,quemadmodum,suprà fusè docuimus:accuratè dispiciẽdũ est,ne inter inuestigandũ puras putásq. veræ Ecclesiæ notas ,eius rationẽ,minimè quidem ex ipsius rei natura, quam fuscepimus indagandã:sed ex leuibus,& nudis accidẽtibus,quæ facilè posteà euanescãt, colligamus. Nostra illa cautio satis superq; sancitur,pontificiorũ malitia,vel vt mollius agam imperitia.Quod illis oblatum est vitium, pro-

ptereà q̃ sint opinati Ecclesiam , quatenùs est visibilis,non posse intercidere ex qua opinione conflatum est illud axioma,sæpissimè vsurpatũ à Pontificiis,& à nostris hominibus accuratissimè refutatum:nempè,illam esse pro vera Ecclesia audiendam,& agnoscendam, cuius ab ipsis Iesu Christi Apostolis,ad nostrã vsque mẽmoriam est propagata Episcoporum successio. Atqui ne omnia repetam,quæ sunt à doctissimis Theologis verissimè & solidissimè in hãc sententiã,disputata: successio illa personalis habenda est.Accidens ipsius Ecclesiæ:q̃ certè sua natura rei alicui' essentiã,vt constituere , ita & demõstrare nõ põt.Quãobrem ne nos etiã ipsi Pontificiorũ imitatione fallamur : ad Ecclesiæ naturã atq; essentiã, vi mẽtis atq; intelligentiæ cõtendẽdũ est:atq; ab accidentibus, quæ quidẽ extrinsecus Ecclesiam vestiunt in adeò graui & necessaria quæstione abstinendũ. Quod certè faciemus,si Ecclesiã ita cõsideremus,dẽptis omnibus illis quæ sine ipsius abesse interitu possunt,vt pura eius natura & ab omni mutatione libera,in disputatione nostra constituatur , vt quoniã Pinellus de signis Ecclesiæ quorũ ipse cõditionẽ & naturã ignorat nobis obiicit,qua si illa nõ essent ad quęstionẽ accõmodata:quæ pro certissimis Ecclesiæ notis proponimus, agè more nostro breuiter &accuratè excutiam' nostríne Doctores an Pontificij,quę sit vera signorũ atq. Ecclesię ratio,exploratũ satis nõ habuerint.Quũ à nobis quęritur,quęnã esse iudicemus Ecclesiæ vera , certa & perpetua signa, respõdem',syncerã verbi diuini&sacramẽtorũ

administrationē. Hæc signa Pinellus eò repudiat, quòd incerta sint, & obscura. Incerta, quod inueniantur Ecclesiæ, quæ aut in verbi, aut in sacramentorum admìnistratione aberrent, & nihilominus Ecclesiæ nomen atque rationem non admittunt, vt Corinthiorum, & Galatarū. obscura, quòd difficiliùs à nobis agnosci possint, quàm ipsa Ecclesia. Vt & ad Pinelli obiectiones accommodatè respondeamus, & de tota controuersia ex Dei verbo, quid statuendū sit Analyticè & Theologicè diiudicemus: paulò altiùs repentenda mihi esse videtur quæstionis explicatio. Atq; in primis non sine caussa monent Philosophi, accuratā & solidā cognitionem, ab ea quæ tantum rei extremitatē & vt ita dicā, superficiem attingit esse discernendam. Siquidem duplex habetur cognitio, vna quæ tantùm petitur ab accidentibus, altera ὑσιώδης. Scire autē arbitramur ἁπλῶς, & nequaquam sophistico modo, qui modus nascitur ex accidente illum, quē existimamus notam habere caussam, propter quā res est, ꝙ illius caussa sit, ᾗ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν. Ita vt si sapientissimo, & in contemplanda rerum natura penè singulari, eximio certè philosopho parere volumus: caussæ sunt antè nobis excutiendæ propter quas Ecclesia est: quā nos minimè quidem fucato, leui sophistico modo: sed ad τρόπον παιδείας librato atq; examinato Ecclesiæ cognitionem atq; intelligentiā adipiscamur. Illum autē cognoscendi modum, si vel improbitate, vel ignorantia præterrecti fuerimus, & alium sequu-

sequuti: potius aut effrænatā contradicendi cupiditatē, aut extremā bonarum artiū inscientiā prodiderimus, quàm ad verā, & ἀμεταχίνητον rei alicuius cognitionē atq. intelligentiā peruenerimus. Quænā verò est caussa ecclesiæ? fides propter quam Ecclesia esse dicitur. Quænā autem caussa fidei? Verbum à Deo per Prophetas & Apostolos, ad hominum salutem publicatum. Ergò si verbum diuinū caussa est fidei, fides autem Ecclesiæ: profectò ille non incertam, vt docet Pinellus (cui caussæ ipsæ immutabiles incertę sunt) sed fixam, æternam, ἀμεταπτωτον Ecclesiæ notitiam est habiturus: qui non in accidentibus, vt solent Pontificii, consenescet: verum ad summā caussam τοῦ εἶναι ipsius Ecclesiæ, firmissimis Analyticæ methodi præceptis subnixus euolabit. Vnde saltē conficitur necessariò, sententiam de cognoscenda Ecclesia nostram, minimè vacillantem esse atque incertā: sed tùm autoritate verbi diuini sufsultam, tùm etiā, vt disputatoribus Iesuitis satisfaciamus, philosophiæ legibus & præceptis vallatā. De ratione autē signorum sic habeat Pinellus: signa, vocantur à Philosophiæ candidatis εἰκότα, & σημεῖα, & τεκμήρια. Εἰκὸς autem est ad efficiendā propositionē, quæ quidē non sit absoluta, & necessaria multò minus: sed quæ leui quapiā & adumbrata specie probabilitatis cōmendetur: quales sunt notæ à Pontificiis ad demonstrandā Ecclesiam excogitatæ. Σημεῖον verò gestit esse propositio Apodictica, & aliquando argumentum efficit necessarium, aliquando ab

solutũ,& longè probabilibus,quã illud, φ ἀπὸ τὰ εἰκότος deducitur. Τεκμήριον autem est τὸ εἰδέναι ποιοῦν,& φ vera & propria media vsurpat & adhibet ad cõplexionẽ efficiendã. Itaq; quũ sint duo intelligendi & cognoscendi,vt paulò antè docuimus,modi,signorũ etiã duo genera sunt: quorũ vnũ petitur ex accidentibus,alterũ verò ex effectis atq; adeò ex caussis:vt nec de generis illius posterioris certitudine atq; firmitate dubitare nos minimè oporteat:neq; illi priori & adũbrato vehementer cõfidere.vrget adhuc Pinellus.Signa,inquit,quæ vos ad demonstrandã Ecclesiã producitis,sunt ipsa Ecclesia obscuriora.In quo valdè & fallit & fallitur, obscuri enim duobus dicitur modis. Vno ratione nostri:altero naturæ.Illa autẽ quæ rei essentiã constituunt,quæq. sunt caussæ cur res sit, & quæ sola etiã nos ad verã & apodicticã rei cognitionẽ deducunt:naturæ quidẽ sunt notiores, nobis verò ignotiores:accidẽtia autẽ naturæ sunt obscura,nobis verò illustria.Quũ autẽ de certa & immutabili cognitione sermo instituitur, nemo non videt ad eã esse contendendũ, quæ naturæ ipsi explorata est, quã quũ assequuti sumus,nihil esse illa notius,exploratius,illustrius deniq. iudicamus.Itaque à Iesuita nostro quærendũ est,de quanã cognitione loquatur, certane & immutabili,an euanescente atq. adumbrata.Si de illa enim homini est in animo disputare,sibi apertè contradicit.Nam quæ certa sunt & ἀμετακίνητα,quæq. ad rei naturã essentiã pertinẽt, naturæ quidẽ sunt notiora,nobis autem

tem ignotiora,& vicissim quę rem extrinsecus adũbrant,nobis sunt quidẽ magis, naturæ ipsi verò minus cognita.Sin autẽ de leui,& fucata, & mutabili rerũ cognitione differit,hominem admoneamus crassissimi erroris, & Theologo indignissimi,vt qui dubia & incerta Ecclesiæ accidẽtia,in mediã veritatis sedẽ collocet. Neque n. domus Dei viui,columna & stabilimẽtum veritatis, vt cũ Paulo suis Ecclesiã titulis exornemus:admittit ea,quæ infinitas& temporum,& locorũ,& huiusmodi accidentium exceptiones patiuntur. Sed vt ad nostros redeamus,ne nimiũ diu philosophati esse videamur: hoc in primis constituẽdũ est,notitiã Ecclesię, certáq. illius τεκμήρια, non modo esse nobis ad explorandũ difficilia,sed planè huiusmodi, vt longè latéq. vniuersam mentis humanæ facultatẽ exsuperent.Itaq. quũ tu Ecclesiæ notas imaginaris,de quibus homines diiudicare possint,te rationẽ atq. naturã Ecclesiæ minimè omniũ perspectã habere demonstras. Soli enim illi,quos Deus veritatẽ edocuit, germanã Ecclesiã à suppositia,castam ab adultera, puram à contaminata,& vt verbo expediã,à Pontificia Christianã discernere ac distinguere possunt. 1.Cor.cap.2.vers.14. *Animalis homo non percipit ea quæ sunt Dei.* Philip. cap. 1. vers. 24. *Nobis datum est in eum credere.* 2. Cor. cap. 3.vers.5. *Non idonei sumus ex nobismetipsis ad cogitandum quicquã.* Math.c.16.v.17. *Caro & sanguis nõ reuelauit tibi,sed pater meus qui est in cœlis.* Act.

16.vers. 14. *Dominus aperuit illi cor vt crederet.* atq; passim occurrunt eiusmodi testimonia, ex quibus colligimus, spiritualem esse duntaxat Ecclesiæ diiudicationem, & ab iis tantùm percipi, in quorũ animis pro immensa benignitate sua Deus operatur. Diuinum autem verbũ est operationis illius excellentissimæ instrumẽtũ planè efficax: ideóque fidelibus perspectissimũ atq. familiarissimũ: ita vt de illius obscuritate & incertitudine conqueri non potuerit Iesuita, nisi se prius infidelem esse profitea tur. 2. Cor. cap. 4. vers. 3. *Quod si tectum est Euangelium nostrum, his qui pereunt tectum est.* Ioan. cap. 7. vers. 16. & 17. *Mea doctrina non est mea sed eius qui misit me. Si quis voluerit eius voluntatem exequi, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à meipso loquar.* Psa. 25. vers. 9. *Deus diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.* Itaque quum verbum Dei & Ecclesia, vt caussa & effectum inter se affecta sint: perspicuum est non posse nos effecti certam & immutabilem cognitionem atque intelligentiam habere, nisi ad caussam perueniamus: neq. istiusmodi caussam latere nos posse, nisi à Deo simus alieni: vt vna eademque opera, & de obscuritate, & de incertitudine Pinello Iesuitæ satisfactum sit.

THESIS LXV.

» Quid quod hæc nec apta quidẽ sunt ad in-
» quirendam Ecclesiã indicia? Corinthij enim
„ ab Apostolo reprehenduntur, quod in ritu sumen-

sumendæ Eucharistiæ errarent. Vnde ex sententia Caluini necesse est etiam eos errasse in verbo Dei, quod ille vult rectè ministrandorũ sacramentorum regulam esse certissimam. Errabant etiam Galatæ, cum baptismo circunci-sionem copulantes. Quare si certa essent hæc Caluinianorum signa, neque Corinthij, neque Galatæ veram Ecclesiam habuissent: quippè qui à vero Sacramentorum vsu deflexerant. Quod si verum est, verum est & istud, errasse Apostolum, qui vtrunque populum (vt ipse scribit) pro Ecclesia Dei habuit.

THESIS LXVI.

Deinde Caluiniani præpostero vtũtur ordine: quũ enim fateantur Ecclesiam esse columnam veritatis, ac scholã Spiritus sancti, in qua docemur omnem veritatem: Id ille sensus ratióque communis suppeditare deberet, primùm inueniendam esse Ecclesiam, deinde ab ea discendum, quod sit sincerum Dei verbum, & qui rectus Sacramentorum vsus: in hunc enim finem Christus in Ecclesia Pastores & Doctores esse voluit. Exemplo res clarior fiet. Nam licet vera medendi ars in bono medico sit, tamen qui ignarus medicinæ est, imprudenter faceret, si ex arte medendi bonum medicum agnoscere vellet: quomodo enim ex ea arte obscura sibi ac ignota, cognoscet medicum æquè ignotum? Eum igitur par est prius bonum medicum inuenire, & ab eo deinde rectam medendi rationem perdiscere. Ita etiã

prius inuenienda nobis est vera Ecclesia: ab ea deinde erit Scripturæ interpretatio, veráque ministrandorum Sacramentorum ratio deposcenda.

ANALYSIS.

Illæ non sunt Ecclesiæ veræ atque immutabiles notæ, quæ quidem & adesse & abesse possunt sine interitu Ecclesiæ: pura verbi diuini & Sacramentorum administratio & adesse possunt & abesse absque interitu Ecclesiæ: Quare sincera verbi diuini & Sacramentorum administratio, nequaquam habendæ sunt pro veris atque immutabilibus Ecclesiæ notis. Maior sua luce lucet. Minor probatur Apostoli testimonio, qui errantes in verbi, & Sacramentorum administratione Corinthios & Galatas de numero Ecclesiarum minimè deturbant. Item. Illi præpostero vtuntur ordine, qui ante scientiam addiscere volunt, quàm legitimum eius doctorem nanciscantur: Sola est Ecclesia quæ veritatem legitimè docet: Igitur aberrant illi qui veritatem se posse addiscere opinantur, antequam docentem se atque erudientem Ecclesiam audiant.

REFVTATIO.

Prius argumentum Pinelli exacuo. Concedi potest propositio, vt quæ sumpta sit ab intima signorum ratione, quæ quidem sunt huiusmodi, vt rem perpetuò, cuius sunt signa

gna cõmitentur. Assumptio falsissima est, atque etiam duplici errore subnixa. Fallit enim & fallitur, quum existimat Corinthios & Galatas, in ipso ritu Cœnæ Dominicæ, aut baptismatis errasse: deindè non satis accuratè perpendit, quomodo instituendæ sint veræ atque perfectæ descriptiones: ad hæc quæ sint etiam vera & absoluta rerum signa: postremò quatenùs ab eorum perfectione absque rei de qua differitur corruptione & interitu possit recedi. Quæ omnia paulò enucleatiùs explicanda sunt. Ritus sacramentorum à Deo esse institutos, quemadmodum existimo inter omnes constat: quibus nihil addere, nihil detrahere, denique in quorum administratione atque vsu, ne tãtillum quidem immutare cuiquam hominum fas iusque est. Quod vel ex comminatione sacrificiis legalibus addita cõprobatur. Nobis etiam Christus præcepit vt illius imitatione dominicam Cœnam administremus, quemadmodum Euangelistæ vna voce testantur. Ideoque Paulus quum de Cœnâ mentio incidisset, nominatim ait se Corinthiis tradidisse, quod ipse prius acceperat à Domino. Ex quibus liquet Deum esse autorem Sacramentorum: hominibus autem Sacramentis vtendum esse, prout à Deo ipso instituta sunt. Quod verò ad Corinthios attinet, vt dissimulare non possum eos Cœnam Domini nequaquam vt æquum erat, & Apostolus præcipit, participasse: ita vehementer inficior

(modò ipsius Cœnæ rationem atque naturam considereмus, & seperatim quemadmodum penitùs oportet Corinthiacas examinemus agapas) Cœnæ ritum Ecclesiam Corinthiorum vel immutasse, vel aboleuisse. Quid enim reprehendit Apostolus? Nempè quod seorsim Corinthij in ipso templo vesci solerent, & ita pauperes contemnerent. At quis non videt hoc potius ad illas, de quibus dixi, agapas esse referendum, quàm ad ipsam Domini cœnam? Sed fac etiam vt nonnulli existimant, & quidem non infimæ autoritatis Theologi quibus ne si velim quidem, non possum non meam sententiam, méque adeò ipsum submittere) in ipsa etiam Domini cœna, seorsim à reliquis vescendi consuetudinem vsurpatam fuisse: an propterea non vera fuerit Cœnæ Dominicæ administratio? certè quum Sacramenti natura & institutio maneat, næui illi veritatē eius atque efficacitatem minimè abolent: vt mox pluribus ostendemus. Galatæ autem Sacramento baptismatis sunt inuiolatè vsi: quodverò ceremonias legis Mosaicæ addere voluerint Euangelio, Ecclesiæ rationem tollere non debet: quoniam admoniti ab Apostolo Galatæ resipuerunt atque istiusmodi errorem à se omninò reiecerunt. Quod verò ad descriptiones attinet atque signa, perfectissimè atque absolutissimè instituenda sunt: nec tamen efficitur, si quid in re quapiam desit, quod descriptionis & signi ambitu contineatur, modò ipsorum ratio in re inueniatur, eam ad descriptiones aut signum nihil omninò pertinere. Ratio est de qua obiter dixi: quum illa sint absolutissima, normæ instar esse, ad cuius perfectionem opus est accuratè examinandum: si verò quid in opere deficiat, quemadmodum fragilitas humana non patitur, nostræ vt sint perfectæ & absolutæ actiones, æqui boníque consulendum est, atque ad meliora excitandi sunt illi, in quibus exactiorem puritatem & cū sacris literis conueniētiam desideramus. Certè vt omnia complectar: nemo si mentis oculos velit aperire, non euidentissimè intuebitur Ecclesiam veram à falsa diiudicari non posse si puram verbi diuini & Sacramentorum administrationem tollamus. Cur enim Ecclesia hæc vel illa, Dei Ecclesia existimanda est. Quia Dei vocem audit, quia Sacramenta participat: quia denique tùm verbi diuini, tùm Sacramentorum efficacitatem atque fructum percipit. illa omnia tolle, & simul Ecclesiæ naturam & rationem sustuleris. Sed aliquando accidit vt aut Dei verbum, aut Sacramenta nonnihil suæ puritatis amittant, & tamen Ecclesiæ, in quibus hoc vsuuenit, non desinunt exornari dignitate ac titulo Ecclesiæ. Hîc nos vrget Pinellus. Quid vobis in mentem venit puritatem verbi & Sacramentorum, signa Ecclesiæ constituere, quibus deprauatis non perit Ecclesiæ ratio? Audi Iesuita quàm simpliciter & candidè respondeam. Cur illi, de quibus loqueris, Ecclesiæ nomen atque rationem Ecclesiarū tibi sustinere videtur? Nónne quia

substantiã & verbi, & Sacramentorum adhuc inuiolatã conseruant: aut saltem quia de suis erroribus admonitæ verbo Dei præfractè nõ repugnant: sed ad veram, piam, orthodoxam, & verbi & Sacramentorum participationem se adiungant? Ergò si vel exigua illa puræ & sinceræ verbi & Sacramentorum administrationis portiuncula, notam Ecclesiæ constituit: quantò magis vtriusque, quoad pati humana natura potest infirmitas perfectio? Nec dissimulandum est si, vt plerunque accidit, quemadmodum nostra etiampropter hãc rationem, increuerit controuersia Ecclesiæ, inter se faciant secessionem, vt verbi caussa Orientales quõdam atque Occidentales Ecclesiæ, tum eã pro vera Dei Ecclesia esse agnoscendam, minimè quidem quæ Romano non iam Pontifici, sed latroni se aggregauerit: sed quæ ad diuini verbi præscriptum seipsa composuerit. Restat vltima quæstio, quam vt nobis videmur, satis accuratè suprà exposuimus: vnde satius est nostram sententiam petere lectorem, quàm eisdem sæpè audiendis & legendis se ipse fatigare. Superiore autem disputatione confecta, ruit sua sponte Iesuitæ Pinelli complexio.

At primùm est inuenienda Ecclesia, deinde ab ea discendum quod sit sincerum Dei verbum, & qui rectus Sacramentorum vsus. Hoc verò falsissimum est atque ineptissimum, & Pinello ipsi vehementer aduersarium. Quî enim fieri potest vt ille distinguat veram Ecclesiam

siam à falsa, qui verbo Dei duce ac præmonstratore non vtatur? Ecclesia, inquis, docet quodnam sit verbum Dei: ergò priùs adeunda est, quàm de verbo Dei quicquam audiamus. Sed quî Ecclesiam possum adire quum infinitæ sint hominum sectæ, quarum vnaquæque sibi Ecclesiæ nomen atque rationem affingit? Notæ, inquis, proponentur certissimæ, quibus veram à falsa diiudicabis. Sed vnde obsecro certior fiam de illarum veritate notarum? verbo Dei respondes, apertè continẽtur. Ergò te diu multúmque aberrantem ipsa rei cogit veritas in nostras partes transire. Et quænam obsecro ista est argumentandi ratio. Ecclesia quodnam sit verbum Dei docet: vnde efficitur Ecclesiam esse adeundam, priusquam de verbo Dei audiamus: Ecclesiæ autem verissima & certissima symbola omnibus patere possunt, quia verbo Dei apertè continentur. Ita quum aduersum nos disputas, Ecclesia verbum Dei antegreditur: quum verò tua cõmentia symbola confirmare molieris, & in mẽtibus atque oculis omnium collocare Dei, verbum est prius quàm Ecclesia audiendum, vt quod Ecclesiæ notas commendet, doceat, & contineat. Ita vt mira disputandi ratione verbum Dei sit prius & posterius Ecclesia & vicissim Ecclesia sit verbo Dei & prior & posterior. Sed nihil est accommodatius quàm in Pinellum suam ipsius argumentationem retorquere. Si Dei Ecclesia est antè adeunda quàm de verbo quicquam audiamus, pro-

ptereà quod Ecclesia nos docet, quodnã sit verbũ Dei, ergò & verbũ Dei ante adeundũ est, q̃ verã Ecclesiã agnoscamus, propterea quod verbũ Dei nos docet, quænã sint vera & certa Ecclesiæ symbola: & vi conclusionis, quod est antè adeundum, non est antè adeundum: & quod est secundo loco agnoscendum, non est secundo loco agnoscendum, hoc est idem non esse idem: quod est huiusmodi vt fieri nõ possit. Adhæc inter se illa non repugnant. Ecclesiam demonstrare verbum Dei vt effectum caussam: & verbum Dei probare Ecclesiam vt caussa effectum: quæ quoniam non animaduertit Iesuita Pinellus, retia contexuit quibus ipse constrictus in triumphũ antè currum à se oppugnatæ veritatis atq; Ecclesiæ deducẽdus est. Prætereà quærẽdum videtur à Pinello, qui Ecclesiam prius esse agnoscendam concludit, quàm verbum Dei: de quonam loquatur genere hominum. An de illo quod nullam est adhuc assequutum Euangelij cognitionem: quodque sit Ethnicũ, & omninò ab Ecclesia Dei alienum: an verò de illis hominibus quos hæreticos appellamus. Si enim de Ethnicis sermonem instituimus: certè vanus & inutilis labor suscipietur, si eos ad Euangelium ratione illa volumus adducere, qua nos esse veram Ecclesiam, illos verò falsam confirmamus: Quî enim symbola illa, de quibus differit Iesuita Pinellus, agnoscere illi possunt: qui verbo Dei autoritatem abrogant, quo illa vni-

quo illa vniuersa signorum ratio innititur. Sed nihil est accommodatius ad commentitiam Iesuitæ argumentationem refellenda m, exemplo Apostolorum: qui quum Gentes à suis superstitionibus, ad veram atque synceram Dei colendi rationem traducere vellent: non se Dei Ecclesiam esse, Ethnicos verò ab Ecclesia esse alienos in primis docuerunt, & ratiocinationem illam, vt efflagitat Pinellus, ad conuincendos Ethnicos adhibuerunt: sed eorum dogmatum vanitate & stultitia, quæ quidem in religionis negotio ab Ethnicis vsurpabantur, Ethnicos abundè refellerunt. Itaque si Apostolorum vestigia sequimur, pura putáque Ecclesia diiudicanda est, ab ea quam esse adulterinam dicimus ἀναστευῆ & καθαστευῆ dogmatum: quam differendi rationem ab ipsis Apostolis vsurpatam, mirum est cur Pontificij, Apostolorum videlicet successores, tantopere aduersentur. Ne autem exprobrare possit Iesuita, me sine testimonio Scripturæ, nugari potius quàm vt Theologum decet, analyticè meam sententiam demonstrare: proferẽda sunt exempla eorum quæ diximus. Actor. Apostol. 17. ca. Paulus aduersum Athenienses probat eorum in adorando ritus à veritate alienos esse, & quoniam nihil audierant de Ecclesia, de verbo Dei, de symbolis illis, quæ antè omnia esse vrgenda docet Pinellus: se ad eorum captum Pinello prudentior Apostolus accommodans euidentissimè confirmat, rationibus etiam è media superstitione Athenienſium & philosophia

desumptis, eos in crassimis erroribus versari. Ea autem est Apostoli mens atque sententia, paulò altiùs & vberiùs explicanda. Viri Athenienses, inquit, non ego quidem possum inficiari, vos in deis colendis admodùm esse occupatos, vt qui, dum in vestris superstitionibus contemplandis accuratiùs versor, animaduerterim, vos illi etiam Deo sacra facere, quem ignoratis, quemque, si vos me audietis, prædico. Atque in primis vehementer in eo fallimini, quod existimetis Deum, qui, vt vestri docent philosophi, totius mundi ambitum molitus est, in templis manu atq; industria hominum ædificatis habitare: Nec non in eo maximè aberratis, quòd eum quem conceditis omnia creasse ab initio, & ad hunc vsque diem sustentare, infusa in animantium corporibus vita, quam & suis opibus conseruat & tuetur: quasi alicuius rei planè indigeret, sacrificiis & muneribus colatis. At ille condidit hominem, cui & tempora, & terræ plagas concessit habitandas, vtrisque pro infinita sapientia sua terminis & limitibus affixis: eáque benignitate homines prosequutus est, se vt colerent, qui esset illorum vitæ, origo & principium: quæ res à vestris etiam poëtis memoriæ prodita est, quò ignorationis Dei nulla vobis superesset excusatio. Quapropter quum nos Deus pro filiis habeat, & vita, spiritu, operationibus denique infinitis & planè admiratione dignissimis testemur, nos rebus anima & sensu carentibus longè antecellere: an adeò erimus excæcati,

cati, vt patrem nostrum arbitremur imaginibus & simulachris ex auro, argento, aliáue terrena & vili materia elaboratis esse similem? Nunc, vt opinor animaduertis, Iesuita, quæ fuerit Pauli in gentibus ad Euangelij cognitionem adducendis ratio & methodus: quam quidem exactissimè & sapientissimè imitati sunt inter veteres Lactantius & Arnobius. Quum verò rem haberent cum Iudæis Apostoli, nequaquam vt tu præcipis, ad quæstionem de Ecclesia delapsi sunt: sed apertis & illustribus sacrarum literarum testimoniis, tùm Euangelij veritatem comprobarunt, tùm Iudaismi falsitatem refellerunt. Actor. cap. 2. vers. 25. & sequentibus. ibid. cap. 8. vers. 32. & cap. 13. vers. 34. & cap. 18. vers. 28. & cap. 28. vers. 23. ne infinita eiusdem rei exempla ex omnibus ferè Apostolicis scriptis depromam, & præcipuè ex Epist. ad Rom. & ad Hebr. Quamobrem, si quum hæreticis rem habemus, qui vt Iudæi temporibus Apostolorum, sacras recipiant literas, testimoniis à scriptura petitis confodiendi sunt: maximè quum nulla sit Ecclesiæ autoritas, si eam exceperis, quam à gazophilacio scripturæ mutuatur. Sed vrgeamus Pinellum ἀδυνάτῳ. Si Apostoli vero & legitimo in asserendis Christianæ religionis dogmatibus ordine sunt vsi: & ille quem Pinellus tradit, ordo est verus atque legitimus: profectò qui est verus atque legitimus ordo, nequaquam est ordo verus & legitimus: consequentia patet, quia vt exposuimus contrario planè ordine vsi sunt Apostoli

ab eo quem vt verum & legitimum docet ac vnicè cõmendat Pinellus. Postremò similitudinẽ à Iesuita propositã approbare necpossumus nec debemus. Quærit enim simile in rebus omninò dissimilibus. Itaque ne fallatur Pinellus, docemur antè à Deo veritatẽ, quàm aut de veritate, aut de Ecclesia iudicare possimus: quum verò Deus nos illam docuit, ipsi omnia iudicamus, à nullo autem iudicamus: quia Dei veritas, quam ab illo edocti amplecti mur, eiusmodi est, vt sub imperium quæcunque sunt, fuerunt, & quæ post aliis erunt in annis, cogat: ipsa verò nunquam cogi ab vllo vel homine, vel Angelo possit: sed constans, æterna, immutabilis, & perpetuò secum ipsa consentiens maneat. Deinde non semper Ecclesia præsertim vt consideratur à Pinello veritatem nos docet. Siquidem Ecclesiæ vocabulo aspectabilem Ecclesiæ formam intelligit. At primùm extitisse olim multos in confesso est, vt etiam hodie possunt extare: non enim brachiũ Domini est abbreuiatum, ἀμέσως θεοδίδακτοι: quos vt existimo Ecclesiæ ministerio fuisse pietatem edoctos non est affirmaturus Iesuita. Deinde exteriori collapsa Ecclesiæ forma, & sæpissimè contigit, tamen ad Euangelij professionem complures accedunt qui neque Ecclesiam agnoscunt vt eam definit Pinellus: neque symbola illa de quibus falsò differit, morantur: neque vocẽ Ecclesiæ Iesuiticę audiunt: sed Dei veritatem ex illius verbo depromptam & confirmatam sincerè amplectuntur. Postremò stultum

stultum quidem esset, quum omnes minimè sint, aut esse possint medici, obuium quemque iubere, vt ex medicinæ præceptis ac legibus verum à falso medicum diiudicaret: at quum simus omnes Christiani, & veritatem à Deo per verbum cœlitus patefactum edocti, ratio efflagitat, vt verum Christianum à falso discernamus: in iis quidem rebus, quæ ad dogmatum certitudinem & firmitatem pertinent.

THESIS LXVII.

Quæ quum ita sint, nisi velimus ducem viæ « cæcum habere, aliis signis est vera cognoscen- » da Ecclesia. Et quoniam sacra Scriptura com- « munis nobis est, ac hæreticis: idcircò ne vllus « maneat excusationis locus, ex ea vera ac certa « Ecclesiæ signa petenda sunt. Primum igitur « signum colligimus ex illa Christi promissio- « ne: Ecce inquit, ego vobiscum sum omnibus « diebus, vsque ad consummationem seculi, vbi « significauit ipse suam Ecclesiam semper futu- « ram, & vsque ad finem mundi permansuram. « Idem apud Ioannem quum dixit. Et alium « paracletum dabit vobis, qui maneat vobiscum « in æternum: idem quum promisit, se Ecclesiam « ædificaturum ita stabilem, vt ne portę quidem « inferi aduersus eam prævalere possint. Quare « de Christi sententia ea est vera Ecclesia, quæ « ex quo tempore fuit ab ipso per Apostolos, « vel Apostolorum successores instituta, semper « fuit, & vsque in hunc diem firma constánsque « permansit. «

THESIS LXVIII.

„ Quod etiam Patrum autoritate confirmari
„ poteſt: qua inquit Auguſtinus, non medio tem
„ pore futura erat Eccleſia in hac terra: ſed hîc
„ Eccleſia vſque in ſecula. Ideò dixit Dauid, In-
„ quilinus ero in tabernaculo tuo vſque in ſecu-
„ la. Breuius verò clariúſque Hieronymus. In il-
„ la inquit Eccleſia permanendum eſt, quæ ab
„ Apoſtolis fundata, vſque in hunc diem durat.

THESIS LXIX.

„ At præter patrum Scripturarúmque auto-
„ ritatem, docet idem ratio. Nam ſi Eccleſia eſt
„ in hominum ſalutem à Chriſto inſtituta, ſem-
„ per eam fuiſſe neceſſe eſt. Alioqui ſi aliquando
„ non fuiſſet iure diceremus: Deum eo tem-
„ pore non tantùm non feciſſe quod promiſe-
„ rat. Promiſerat autem eam ſemper manſuram:
„ ſed & in neceſſariis rebus defuiſſe, quod cogi-
„ tare de Deo, non abſurdū modò eſt, ſed etiam
„ impium. Sit igitur ſtabilitas ac perpetuitas pri
„ mum Eccleſiæ ſignum.

ANALYSIS.

Ex illa demum re ſigna Eccleſiæ ſunt confirmanda, quæ nobis eſt cum hæreticis communis: Sacræ literæ nobis ſunt cum hæreticis communes: Igitur ſigna Eccleſiæ nobis ſunt ex Scriptura confirmanda. Item, ſi ea eſt vera Eccleſia quæ cum Chriſti promiſſione conſentit, & Chriſtus promiſit Eccleſiam ſuam perpetuò futuram, certè illa eſt habenda pro vera Eccleſia

Eccleſia, quæ perpetuò extitit: Atqui ea vera eſt Eccleſia, quæ cum Chriſti promiſſione conſentit, & Chriſtus promiſit Eccleſiam ſuam perpetuò futuram: Ergo illa eſt vera Eccleſia quæ perpetuò perſeuerauit. Item, ſi Eccleſia non ſemper fuiſſet, Deus promiſſioni ſuæ defuiſſet: At Deus promiſſioni ſuæ non defuit: Ergò ſemper extitiſſe Eccleſiam neceſſe eſt, & vi conſequutionis ſtabilitatem ac perpetuitatem certiſſimam eſſe notam Eccleſiæ.

ANALYSIS.

Maximam vim veritatis ex eo apertiſſimè conſtat, quod quum per omnes ſophiſticæ diſputationis Mæandros diuerticula conquiſiuiſſes, nihilominus ad veritatis portum, inuitum & planè reluctantem, deferri te oportuerit. Negaſti enim ſuprà Scripturam eſſe accommodatam ad diiudicandam Eccleſiam, quòd potiùs Eccleſiæ munus ſit docere, quodnam ſit verbum Dei. Nunc autem vt te ipſum refellas in explicandis & confirmandis Eccleſiæ notis, ad verbum Dei delaberis. Atenim ſi antè vera Eccleſia eſt ab ea quæ titulum Eccleſiæ mentitur diſcernenda, quàm exploratum perſpectúmque habeamus quodnā ſit Dei verbum: & Eccleſia internoſci non poteſt, niſi certę ſint atque immutabiles, & in mentibus noſtris omninò infixæ notæ illæ quibus Eccleſia diiudicatur: neque vlla ratione alia contingit, vt ad cognitionem & probationem notarum, quæ ſunt ad diſcernendam Eccleſiam neceſſariæ

conſcendamus, præter illam, quæ ex ipſius diuini verbi ſacrario depromenda eſt: quid conſequatur ſatis vt exiſtimo, animaduertit Pinellus, qui longo circuitu diſputationis emenſo, tandem fatigatus, in noſtra ſe caſtra contulit. Huc enim omnia recidunt, nempe diiudicandam eſſe puram Eccleſiam, ab ea quæ nomine tenus Eccleſia eſt, adhibito Dei verbo, vnde certæ atque æternæ, & ἀμεταπτώτοις Eccleſiæ notæ Chriſtianis omnibus depromendæ ſunt. Itaque quum Theorema illud à noſtris hominibus explicatum, & à te fruſtrà vexatum, tandem admittas: videlicet Eccleſiæ diiudicationem à verbo Dei eſſe petendam: examinemus, quinam certiores atque faciliores notas Eccleſiæ proponant. Pontificiiue, an illi quos Caluiniſtas, & quidem falſò appellatis. Primum eſt apud te ſignum Eccleſiæ, ſtabilitas & perpetuitas: cuius ſigni ratio petitur à promiſſione illa Chriſti, ego vobiſcum ero ad conſummationem vſque mundi. Atque de primo illo ſigno reſpondere optimo iure poſſum, illud eſſe huiuſmodi, vt non tantùm ſit obſcurum & incertum, quæ duo vitia quemadmodum ipſe agnoſcis, ratio & natura ſignorum admittere nequit: ſed etiam fieri non poſſe vt alicui ex particularibus & aſpectabilibus Eccleſiis conueniat, quod tamen efficere moliris, aut cum vniuerſali denique Eccleſia, eo quo tu vis modo, communicetur. Si enim iubeam aliquem iudicium, ex hac nota facere, de quapiam Eccleſia ſitne illa orthodoxa an ſecus. Voluendæ illi

illi nempè erunt annales huius Eccleſiæ, & cõquirenda Epiſcoporum perpetua & interrupta ſucceſsio: conſiderandum etiam atque etiam illi erit, num illa fuerit vera & legitima ordinatio: num doctrina ſucceſsioni annexa fuerit: & quum tanto erit labore defunctus, tamen vniuerſa rei autoritas & fides ab humanarum tabularum infirmitate pendebit. Ad hæc quot eſſe poſſunt Eccleſiæ in quibus Epiſcorum illa deſcripta non fuit ſucceſsio? quarum ab initio ad ætatem vſque noſtram, quæ doctrina fuerit, memoriæ non eſt proditum? Et ne ſingula perſequar τὸ ἐν ἀρχῇ ἀιτεῖται Pinellus. Nam ſumit pro confeſſo illud, quod eſt maximè controuerſum: nempè nullam eſſe ſtabilitatem & perpetuitatem Eccleſiarum, niſi ea ſit huiuſmodi, vt in oculis omnium verſetur, & ſit perpetuò aſpectabilis: quod ille quidem proponit, at nullo modo demonſtrat. Itaque concludamus neceſſe eſt quum veræ à falſis Eccleſiæ, illa nota quam Pinellus obtrudit diiudicari nequeant: eam eſſe ineptam, futilem, commẽtitiam, & vt verbo abſolutam omninò Ieſuita dignam. Atque vt ſentiat, quàm parum hac diſputandi ratione promoueat: in primis ſtatuendum eſt, certiſſimam eſſe debere notam illam & quæ nullam exceptionem admittat, niſi periculosè falli volumus, qua iubemur Eccleſiam diſcernere: ne hæreticam & blaſphemam, pro orthodoxa & religioſa agnoſcamus & amplectamur. At nota Pinelli eſt huiuſmodi vt nec omnibus Eccleſiis quæ

sunt orthodoxæ conueniat, & si exteriorẽ formã duntaxat contẽplemur, quemadmodũ ipse iubet, iis etiã aptari possit quæ non sunt veræ germanæq; Ecclesiæ. Nã certè perpetuitas illa esse nota nõ potuit earũ Ecclesiarũ, quæ reẽter fidẽ erant professæ. Vnde sequitur minimè esse ἀποστάσεις, quũ vera quępiã Ecclesia proferri possit, quæ non fuerit nota illa Iesuitica insignita. Et contra multæ hodie produci possunt Ecclesiæ, quarũ si formã exteriorẽ duntaxat cõsideremus, perpetua episcoporũ fuit succesio, & aspectabilis verbi diuini & Sacramẽtorũ administratio, quæ tamẽ in orthodoxarũ Catalogũ minimè sunt recipiendæ. Necnon etiã complures quotidie videmus, quæ quòd veritatẽ verè doceant, pro genuinis Ecclesiis agnoscendæ sint: quamuis perpetuã exteriorẽ formã & Episcoporũ succesionẽ minimè habuerunt. Sed facilior & luculentior futura est huius quæstionis explicatio, quũ de Romana Ecclesia Iesuitæ ordinem sequuti differemus.

THESIS LXX.

„ Secundum signum est, vt sit Catholica siue
„ vniuersalis ratione loci. Illa enim est vera Ec-
„ clesia quæ vbique terrarum est diffusa. Ita Au-
„ gustinus, appellatur, inquit, Catholica, quòd
„ per totum terrarum orbem diffunditur: hanc
„ ignorare nulli licet. Ita optatus Mileuitanus:
„ Probamus, inquit, eam esse Ecclesiam Catho-
„ licam, quæ sit toto orbe terrarum diffusa. Ita Epipha-

Epiphanius. Hanc fidem, inquit, Ecclesia a- "
depta, quanquam per totum mundum dispersa, quasi vnam domum inhabitans. Ita Vicen- "
tius Lirinensis, magnoperè curandum est, in- "
quit, vt in ipsa Ecclesia Catholica id tenea- "
mus, quod semper, quod ab omnibus creditũ "
est, hoc est enim verè, propriéque Catholicũ. "
In symbolo denique quod etiam hæretici re- "
cipiunt, eandem Ecclesiæ proprietatem con- "
fitemur. "

THESIS LXXI.

Id quod etiam ipsa ratio docet. Si enim Ec- "
clesia instituta est à Christo, vt ad salutem ho- "
minum necessaria, quum vbique terrarum, & "
omnibus penè populis, aliqui salui fiant, velit- "
que Deus omnes saluos fieri, & ad veritatis "
agnitionem venire, fit vt vera Ecclesia debeat "
vbique terrarum esse, ne quis hanc excusatio- "
nem, quasi suæ impietatis velamen possit ob- "
tendere. "

THESIS LXXII.

Verumenimuerò ne hoc signum vel à pa- "
tribus excogitatum videatur, vel humana ra- "
tione inuentum, scripturis probandum est. Et "
quidem Christum constituisse, vt sua Ecclesia "
per vniuersum orbem manaret, scribit Mat- "
thæus. Ipse enim præcipiens Apostolis, dixit. "
Euntes docete omnes gentes. Quod clarius re "

„ fert Marcus. Euntes, inquit Christus, in mun-
„ dum vniuersum, prædicate Euangelium om-
„ ni creaturæ. Subiungit verò idem Euangeli-
„ sta. Illi autem profecti prædicauerunt vbique.
„ Quod longo antè interuallo videtur prædixis-
„ se Dauid, quum dixit. In omnem terram exi-
„ uit sonus eorum. Et alibi de Ecclesia vaticinãs,
„ vt Augustinus exponit, dominabitur, inquit, à
„ mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad ter-
„ minos orbis terrarum.

ANALYSIS.

Illa est vera Ecclesia quæ vbique est. Quare vbique esse ratione loci est signum Ecclesiæ. Item, Si Ecclesia est à Christo instituta vt ad salutem necessaria, & vbique homines salui fiunt: ergò sit etiam vbique Ecclesia necesse est Item. Apostoli Domino nostro Iesu Christo sunt obsequuti: At Christus præcipit vt Euãgelium vbique prædicarent: Igitur Apostoli vbique prædicarunt: & ratione consequutionis ea vera est atque Apostolica Ecclesia quæ vbique diffunditur.

REFVTATIO.

Multa hîc sunt quæ requiram. In primis Catholicæ atque vniuersalis Ecclesiæ vocabulo significationem nouam, in hac quidem disputatione affingit. Nam Ecclesia Catholica minimè illa est, quæ vbique simul est diffusa, quamuis nec diffusionem repudiamus (si cum veritate

veritate Scriptutarum apertè consentiat) sed quæ, vt tu ipse ex Vincentio Lyrensi refers, amplectitur & tenet quod semper, quodque ab omnibus creditum est. Quam certè notam magnopere commendare solemus. Hoc verò & semper, & ab omnibus creditum est, quod Apostoli docuerunt, antiquæ & orthodoxæ Ecclesiæ sunt professæ, martyres suo sanguine consignarunt, quodque, vt verbo complectar omnia, electi ab ipso Deo amanuenses literis prodiderunt ad perpetuam Ecclesię confirmationem & consolationem. Neque video cur adeò præcisè vrgeas vniuersitatem Ecclesiæ ratione loci, quæ certè nota si recipiatur, næ ab ipsis etiam Apostolis fundatæ & gubernatæ Ecclesiæ, de Ecclesiarum Catalogo erunt delendæ. Quamobrem? Quia certè quod ad locum attinet, minimè vniuersales fuerunt. Nam & si consideremus quod est alienum à veritate, Apostolorum temporibus Euangelium fuisse vbique promulgatum: nihilominus efficeretur, quum illa promulgatio successiuè facta sit, eas demum Ecclesias pro veris & germanis esse agnoscendas, quæ Catholicam Euangelij promulgationẽ essent consequutæ: quod quam sit absurdum, nemo non videt: tollerentur enim primæ illæ Ecclesiæ de numero earum quæ verè sunt orthodoxæ. Itaque notam illam esse ἀσιώδη falsum est, qua deprehenduntur Ecclesiæ caruisse, quibus ne ipse quidem Pinellus autoritatem abrogare possit. Deinde quum sit Ecclesia mutationibus penè infinitis

obnoxia, vniuersitas illa & imaginaria diffusio semper obtinere nequit. Nequevelim obiiciat Pinellus post aduentum Messiæ promissam esse perpetuam Ecclesiæ amplificationem, & vt Pontificio verbo vtar, diffusionem, quę nullis Satanæ tyrannorum atque hæreticorum artibus & vesania tardari aut interrumpi possit. Fatemur certè promissionem de conseruanda deque amplificanda Ecclesia longè firmissimam esse, vt quæ nitatur sapientissimo, æterno, adamantino denique & inuiolabili Dei optimi maximi decreto: sed pernegamus illam esse ita explicandam vt arbitratur Pinellus. Nec desunt testimonia ex nouo etiam fœdere deprompta, quibus sententiam nostram confirmemus. 2. Thess. cap. 2. ver. 3. *Ne quis vos seducat vllo tempore. Non enim aduenier dies Christi, quin venerit defectio prius, & retectus ille fuerit homo sceleratus, filius inquam illeperditionis, sese opponens & efferens aduersus quicquid dicitur, Deus aut numen, &c.* & ibid. versicu. 11. *Propterea mittet illis Deus efficaciam deceptionis, vt credant mendacio, vt dammentur omnes qui non crediderunt veritati, sed acquieuerunt in iniustitia.* Matth. capi. 24. versic. 24. *Excitabuntur enim pseudochristi & pseudoprophetæ: & edent signa magna & miracula, ita vt seducant, si fieri possit, etiam electos. Ecce prædixi vobis.* Apoc. capit. 12. versic. 13. *Quum igitur vidisset draco se proiectum esse in terram, persequutus est mulierem quæ pepererat masculum. Sed datæ sunt*

sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volet à conspectu serpentis in desertum, in locum suum vbi alitur per tempus, & tempora, & dimidium temporis, &c. ibid. cap. 13. versi. 7. *Sed & datum est ei bellum gerere cum sanctis & data est ei potestas in omnem tribum, & linguam, & gentem. Itaque adorabunt eam omnes incolæ terræ, &c.* & versicul. 15. *Datúmque est ei vt animaret imaginem bestiæ, vt etiam loquatur imago bestiæ, & faciat vt quicunque non adorauerit imaginem bestiæ occidatur. Sed & facit vt omnes parui & magni, diuites, & pauperes, liberi & serui accipiant characterem in manu sua dextra, aut in frontibus suis, &c.* 2. Timoth. capit. 4. versic. 3. *Nam erit tempus quum sanam doctrinam non tolerabunt, sed auribus prurientes, ipsi sibi secundum suas peculiares cupiditates coaceruabunt doctores: Et à veritate quidem duces auertent, ad fabulas verò conuertentur.* Ex quibus & infinitis penè huiusmodi testimoniis euidentissimè confirmatur, non ea ratione, quam excogitauit Pinellus, intelligendam esse perpetuam Ecclesiæ continuationem & diffusionem. Nec melior est quærendus interpres promissionis Christi, quàm ipse Christus. *Et prædicabitur*, inquit, *Euangelium regni in vniuersa terra, vt sit testimonio omnibus gentibus: & tunc veniet finis.* Non restringit ergò ad tempus Apostolorum prædicationem Euangelij, quæ futura est in vniuerso terrarum orbe, antequam ipse aduenial vlti-

mo ille suo & glorioſiſſimo aduentu : ſed ab ipſis Apoſtolis exorſus illam extendit, ad conſummationem vſque mundi. Malè tu ergò Pinelle, Catholicæ atque vniuerſalis Eccleſiæ nomen interpretaris, quæ ſi recipiatur expoſitio, vereor vt Catholicam Eccleſiam ad noſtra vſque tempora in orbe terrarum extitiſſe, docere poſſis. Itaque tuum in te argumentum ita retorqueo. Si ea tantum vera eſt Eccleſia quæ vbique diffuſa eſt, & nulla in orbe terrarum Eccleſia, vbique ad noſtra vſque tempora fuit propagata : Ergò nulla fuit ad noſtram ætatem in orbe terrarum genuina Eccleſia. Neque tuam rationem audio, quæ ipſi ſacrarum literarum veritati, atque experientiæ aduerſatur. Deus, inquis, vult omnes ſaluos fieri. Cur igitur omnes ſalutem æternam minimè conſequuntur? Quis Dei voluntati poteſt vnquam reluctari? & vt reliqua noſtrorum hominum argumenta diſſimulem : Cur Euangelium vbique non prædicatur? Nemo neſcit legem vni populo fuiſſe quondam à Deo traditam, & breuibus Paleſtinæ limitibus incluſam. Ea autem Euangelij eſt ratio, vt nullius vel gentis, vel orbis terrarum finibus & terminis concludatur : ſed nihilominus non efficitur ſemper vbique annuntiandum eſſe Euangelium : propterea quòd quemadmodum ipſæ ſatis ſuperque docent hiſtoriæ, ſuo arbitrio Deus, & cùm illi placuit, & quibus viſum eſt, & quandiu decreuit beatum illud ſalutis æternæ nuntium impartitur. Matth. capit. 10. verſ. 5. *In viam gentium ne abieritis, & in vrbem Samaritanorum ne ingrediamini : Sed proficiſcimini potiùs ad oues perditas domus Iſraelis.* Acto. Apoſt. cap. 14. verſ. 16. *Quique præteritis ætatibus ſiuit omnes gentes ſuis ipſarũ viis incedere. Quanquam non paſſus eſt ſe eſſe expertem teſtimonij, bona tribuendo, &c.* ibid. cap. 17. verſ. 30. *Temporibus igitur iſtius ignorantiæ comminentia diſſimulatis, Deus nunc denuntiat omnibus vbique hominibus, vt reſipiſcant.* ibid. capit. 16. verſ. 6. *Phrygia autem peragrata & Galatica regione, prohibiti à Spiritu ſancto loqui ſermonem in Aſia. Quum veniſſent in Myſiam, tentabant ire verſus Bithyniam, ſed non ſinit eos ire Spiritus Ieſu.*

THESIS LXXIII.

Tertium ſignum eſt vt ſit Apoſtolica, quod ex iiſdem locis Mathæi & Marci, paulò antè citatis manifeſtè colligitur. Chriſtus enim Iudææ fines non eſt prætergreſſus : ſed legem gratiæ ouibus Iſraelis, ad quas ſe à patre miſſum dicebat, promulgauit. Quare Apoſtolus vocat eum miniſtrum Circumciſionis, quod idem eſt ac ſi diceret, Chriſtum fuiſſe doctorem Iudæorum. Ad conſtituendas verò Eccleſias apud Gentes, miſit ſuos Apoſtolos quum dixit, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Vnde manifeſtum eſt eam veram eſſe Eccleſiam, quæ Apoſtolis ſuam doctrinam ac fidem acceptam re-

„ fert. Quare & Apostolica dicta est. Id quod e-
„ tiam D. Paulus expressit, quum dixit, Eccle-
„ siam esse superædificatam super fundamẽtum
„ Apostolorum & Prophetarum.

THESIS LXXIIII.

„ Quam Ecclesiæ conditionem & signum
„ concilij Niceni patres multis ante seculis tra-
„ diderunt in Symbolo, vbi Ecclesiam non so-
„ lùm Catholicam, sed etiam Apostolicam esse
„ fatentur. Hieronymus quoque in ea Ecclesia
„ manendum monet, quæ ab Apostolis fundata
„ est: & si cubi, inquit, audieris eos qui dicuntur
„ Christiani, non à Domino Iesu Christo, sed à
„ quocunque alio nuncupari vt puta Marcioni-
„ stas, Valentinianos, Montenses, scito non Ec-
„ clesiã Christi, sed Antichristi esse synagogam.

ANALYSIS.

„ Christus non docuit extra Iudeam, ergò il-
„ læ sunt veræ Ecclesiæ, quæ sunt Apostolicæ:
„ quemadmodum testimoniis & patrum & scri
„ pturæ confirmatur.

REFVTATIO.

„ Quum Apostoli ἀμέσως ad prędicandam ve-
„ ritatem à Deo fuerint excitati, edocti, excel-
„ lentissima denique Spiritus sancti virtute præ
„ diti, nemo inficiari potest, nisi admodũ Theo-
„ logiæ rudis & imperitus, eas demum esse veras
„ & genuinas Ecclesias, quæ sunt Apostolicæ:
„ modò illud vocabulum, vt in hac quæstione
„ opor-

„ oportet, sincerè candidéque interpretemur, ne
„ homonymia lectoribus imponat. Nam Eccle-
„ sia dicitur Apostolica tribus minimum modis.
„ Illa enim Ecclesia, quæ doctrinam & Sacra-
„ mentorum administrationem, vt ab ipsis Apo
„ stolis accepit, purè ac sincere conseruat, optí-
„ mo iure vocatur Apostolica. Etsi enim appel-
„ latio illa in sacris literis non extat, nihilomi-
„ nus sacrarũ literarum autoritate commẽdatur:
„ quemadmodum locus ille Pauli, de quo me-
„ ministi obiter, luculentissimè comprobat. Si
„ quidem ea ratio est inter Deum & Prophe-
„ tas, Christum & Apostolos, vt sine Dei con-
„ temptione Prophetæ, sine Christi iniuria A-
„ postoli repudiari nõ possint. Quos enim Deus
„ excitat, vt hominibus legem cœlitus patefa-
„ ctam, primi omnium promulgent, eos tam il-
„ lustribus & planè diuinis χαρακτῆρσι commen
„ dat & insignit, vt de istiusmodi hominum cœ-
„ lesti vocatione ambigere non liceat. Vnde ef-
„ ficitur idem esse omninò Mosi, Prophetis, &
„ Apostolis parere, ac ipsi Deo morem gerere:
„ quia illi non vt homines considerantur à no-
„ bis, sed vt ipsius Dei nuntij, quorum minis-
„ terio eius voluntatem purè & inuiolatè publica-
„ tam edisc imus. Igitur si Ecclesiæ Apostolicæ
„ nomen in hac significatione vsurpas, concedi-
„ mus nullam esse habendam pro vera Ecclesia,
„ quæ se Apostolicam esse non doceat & fatea-
„ tur. Sed obiter admonendus es, te perperam
„ Christum Apostolis opponere. Quum enim
„ Ecclesiæ dicantur, & sint Apostolicæ, propter-

cà quòd Christi Euangelium Apostoli prædicauerunt, multò magis appellandæ sunt Christianæ, quemad modum & qui Antiochiæ crediderunt, primi appellati sunt Christiani. At Christus in Iudæa Euangelium promulgauit, Apostoli autem fœliciſſimum illud nuntium Gentibus annuntiarunt. Quasi verò miniſtri potius quàm Regis nomen & titulum ferre nos oporteat. Sed hac de re plus satis. Deinde numero multitudinis Ecclesiæ vocantur Apostolicæ, in quibus ipsi, dum inter homines agerent Apostoli docuerunt: vt verbi gratia, Ecclesia Hierosolymitana, Philippensis, Antiocena, Ephesina, Corinthiaca, &c. Verumenimuerò si duntaxat illæ habeantur Ecclesię Apostolicæ, vereor vt nomen illud quod anteà inter Christianos maximam obtinuit autoritatem, non suo quidem, sed hominum vitio, & donorum Dei abusu obsolescat. Quid enim fiet Græcis? Quid verò Asiaticis? quid etiã illis, quæ in Africa floruerunt Ecclesiæ? An hodie pro Apostolicis habendæ sunt, eò quòd Euangelij nascentis temporibus doctores inuenerint Apostolos? An Apostolicæ sunt illæ, quondam Ecclesiæ beatiſſimæ, nunc verò minimè quidem Ecclesiæ, sed vt ita dicam, proiecta & corruptiſſima Ecclesiarum cadauera? Neque enim Ecclesia hæretica, vel potius sine fide, aut explicari, aut intelligi potest. Ad extremum Ecclesia vocatur Apostolica, Ecclesiæ status ille, qui Apostolorum temporibus permulta habuit peculiaria, quæ cum Euãgelij doctrina

doctrina non trãsierunt ad successores. Itaque quum status ille fuerit temporalis, ac penè si cum perpetuitate cõferatur Ecclesiæ momẽta neus: ex illo certè non sunt Ecclesię diiudicandæ: vt vel inter Apostolicas recẽseantur, vel ab iis quæ nominantur Apostolicæ excludantur. Illud etiam tibi concedo, Antichristi esse Synagogam quæ non à Domino Iesu Christo appellatur, sed alicuius hominis nomen præfert: quum vnum & doctorem, & magistrum habeamus in cœlis, nempe filium Dei à cuius ore nospendere contemptis hominum fabulis & mendaciis penitus oportet. Et de nomine quidem Ecclesiæ Apostolicæ hactenus dictum sit.

THESIS LXXV.

Quartum, Ecclesiæ signum ac superiori affine est traditio Apostolica, à qua hæretici nostri temporis plurimum abhorrent: quàm verò sine causſa, ostendendum est paucis. Ac primùm fuisse aliqua ab Apostolis tradita nec scripta, testatum reliquit Areopagita Apostolorum discipulus his verbis. Primi illi, inquit, nostri sacerdotalis muneris Duces, in iis quæ nobis sunt familiaria summa illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus suis nobis tradiderunt. Et Basilius, dogmata inquit, quæ prædicantur quædam habemus è doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto tradita recepimus

„ mus. Et Epiphanius, aliqua, inquit, in scriptu-
„ ris, aliqua in traditione sancti Apostoli tradi-
„ derunt. Et Chrysostomus. Hinc patet inquit,
„ quod non omnia per Epistolam tradiderunt,
„ sed multa etiam sine literis. Eadem verò fide
„ digna sunt illa, quàm ista. Quod etiam vna vo-
„ ce vnáque confessione reliqui patres constan-
„ ter asseuerant.

THESIS LXXVI.

„ Ex quibus facilè quilibet videre potest, v-
„ tris potiùs credendum sit: hæreticísne, qui vix
„ heri nati, & in perpetuò Ecclesiæ Catholicæ
„ odio nutriti, traditiones Apostolicas reiiciũt,
„ an antiquis sanctísque patribus, qui vel fuerũt
„ ab Apostolis instituti, vel eorum temporibus
„ proximi, eas defenderunt.

THESIS LXXVII.

„ Quid quod Paulus ita clarè hoc aperit, vt
„ nisi quis impudens sit, in contraria sententia
„ liceat reperire neminem? State, inquit Apo-
„ stolus, & tenete traditiones quas didicistis, siue
„ per sermonem, siue per Epistolam nostram.
„ vbi Theophylactus, vel hinc etiã perspicuum
„ est, inquit, quod pleraque etiam sine scriptis
„ per sermonem, id est, viua voce tradiderint,
„ non solùm per Epistolam. In eadem Epi-
„ stola hortatur Apostolus Thessalonicenses, vt
„ subtrahant se ab omni fratre ambulante inor-
„ dinatè, & non secundum traditionem, inquit,
„ quam acceperat à nobis. Ioannes quoque te-
statur

statur, nec scripta esse omnia quæ fecit Iesus
nec scribi potuisse.

THESIS LXXVIII.

Eant nunc Caluiniani & dicant traditiones
esse Pharisaicas, ac otiosorum hominum inuen
tiones calumnientur. Non ita sancti Patres,
qui eas non minus religiosè (vt par erat) quàm
quæ scripta sunt acceperunt. Vnde Augusti-
nus: Illa, inquit, quæ non scripta sed tradita cu-
stodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ser
uantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis,
vel plenariis conciliis, quorum est in Ecclesia
saluberrima autoritas commodata atque sta-
tuta retineri.

THESIS LXXIX.

Quod autem traditio Apostolica veræ Ec-
clesiæ certum signum sit, ex eo probari potest
quòd Apostolicam traditionem, nonnisi Ec-
clesia Apostolica tenet ac seruat. Quò fit vt
quemadmodum traditio ex Apostolis ad nos
permanauit, ita deducat nos ad eam Eccle-
siam, quæ instituta fuit ab ipsis Apostolis: vt
riuus ad fontem à quo decurrit, sequentem se
deducit.

ANALYSIS.

Illa vera est habenda Ecclesia, quæ conser-
uat & tenet ea, quæ ipsi Apostoli tradiderunt:
Atqui Apostoli, vt ex patribus, & Scriptura
confirmatur, traditiones non scriptas Ecclesiæ

tradiderunt: Ergò illa est habenda pura putáque Ecclesia, quæ Apostolorum traditiones nõ scriptas, cõseruat & retinet. Itẽ illud est signum Ecclesiæ Catholicæ, quod in Ecclesia tantùm Catholica inuenitur. Traditiones Apostolicæ in Ecclesia tantùm Catholica inueniuntur. Quare Apostolicæ traditiones pro signo Ecclesiæ Catholicæ sunt habendæ.

REFVTATIO.

Obiiciebas nobis, quum vera & certa Ecclesiæ signa proponeremus, nimirum Dei verbum sincerè annuntiatum, & legitimam sacramentorum administrationem: ista nimium obscura esse signa, propterea quòd apertiùs sacræ literæ de Ecclesia, quum de istiusmodi signis loquerentur: quod quàm falsum sit nemo non videt: tamen expectabam quî tu clariora & illustriora Ecclesiæ symbola proponeres: vt à te hoc saltem haberemus, nempe claram & perspicuam veræ Ecclesiæ falsæque diiudicationem. Quum verò ad rem ventum est, à luce verbi diuini profugus in obscurissimo & maximè tenebricoso traditionum angulo delitescis. Atque vt signum illud à te nobis oblatum excutiam, confitendum est, velis nolis, hanc veritatis astruendæ rationem, Christo & Apostolis fuisse incognitam, qui perpetuò ex scriptura suam doctrinam comprobant: Sacerdotibus autem & Scribis & Pharisæis admodùm familiarem: quibus in oppugnanda Dei veritate adminiculo humanarum traditionum

speciosis coloribus & titulis fucatarum successistis. Sed dic obsecro, Pinelle, an vt ais, de traditionibus Apostolicis clariùs sacræ literæ, quàm de Ecclesia tibi loqui videntur? Minimè profectò. Quî enim traditiones Apostolicas vrgerent Scripturæ, quemadmodum traditionis vocabulum explicatis, quæ ad se nos vbique reuocant. Postea quis non animaduertit, hac quidem ratione, vt nobis etiam exprobras, signa signorum esse requirenda. Sit enim vt Pinello gratificemur, Apostolica traditio signum Ecclesiæ. At quodnam signum erit tandem Apostolicæ traditionis? Nemo ambigit veteres olim hæreticos, quum Scripturis sua dogmata confirmare non possent, ad traditiones Apostolicas recurrisse. Et perpetuò est in Ecclesiâ dubitatum de traditionibus Apostolicis, quarum, vt verbi, non modò interpretatio in dubiũ reuocari potest, & quotidie reuocatur: sed etiam fides atque autoritas. Deinde si traditiones Apostolorũ admittimus, tanquam verum Ecclesiæ signum, in confesso est, illam demum fore germanam Ecclesiam, quæ non vnam aut alteram, sed omnes Apostolorum traditiones advnguem obseruabit. Catalogus ergo Apostolicarum traditionũ erit contexendus: & quæstio de illarũ autoritate & numero ad exitũ perducenda: & ipsæ traditiones Apostolicæ in gratiã cum scripturis reuocandæ: antè quàm veram Ecclesiã à falsa illæ traditiones diiudicare possint. Quæ vt cõficiãtur, infinita signorũ signa Pinello, &

ingenioſis, excogitanda relinquo. De tota autem traditionum controuerſia, quæ ſit noſtrorum hominum ſententia, & ſcriptis & cõcionibus teſtata, nemo ambigit. Quàm autem ſit vera, & ſacris literis conſentanea videamus. Si paulò attentiùs intueamur, quæ cauſſa fuerit, cur Deus ſcripto verbo Eccleſiam vti voluerit, abundè conſtabit eos qui traditiones ἀγράφους tantopere vrgent, & Dei conſilio, & ſuæ etiam conſcientiæ reluctari, & in abſurda multa incidere ex quibus emergere nulla induſtria, nullis ſophiſmatũ adminiculis poſsint. Neq; velim Ieſuitã Pinellũ, in hac quidẽ cõtrouerſia Patribus admodũ cõfidere: ex quorũ monumentis, quæſtio facillimè poſſet ad exitũ perduci, & Ieſuitam ipſum ſuæ audaciæ grauiter accuſare: ſi in Theologicis tractationibus decreuiſſem vti hominũ teſtimonio. Sed quum ipſe mihi cancellos circundederim, ex quibus egredi non liceat, ſcripturarum autoritate vincendum eſt, aut cadendum. Igitur ſi antiquum fœdus excutiamus, innumerabilia occurrent teſtimonia quæ nos vetent ſupra verbum ſapere: ſi verò ad nouum quæſtionem traducamus, eadem doctrina exactiſsimè diligentiſsiméque prodita & commendata reperietur. 2. Tim. cap. 3. verſ. 10. *Tota ſcriptura diuinitùs inſpirata, & vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in iuſtitia: vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Heb. cap. 1. verſ. 1. *Multis vicibus, multisq; modis olim Deus loquutus eſt patribus in Prophetis, vltimis*

mis diebus hiſce loquutus eſt nobis in Filio. Ioan. cap. 20. verſ. 31. *Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis Ieſum eſſe Chriſtum filium Dei & credentes vitam habeatis per nomen eius.* Eſ. cap. 8. verſ. 20. *Ad legem & teſtimonium, ſi non dixerint iuxta verbum hoc nihil habent lucis.* & alia huiuſmodi. Sed audiamus quid reſpondeat Pinellus, & qua tandem ratione, traditiones Apoſtolicas tueatur. Primùm dicit quædam fuiſſe ab Apoſtolis tradita, quæ non ſunt literarum monumentis conſignata. Si ratione ac via diſputare vellet, illi eſſet in veſtibulo quæſtionis explicandum quid nomine traditionis ſignificetur. Fieri enim nequit vt rectè diſſeramus, niſi & rem de qua quæſtio inſtituitur eſſe in natura poſitã, exploratũ perſpectúmq; habeamus, & quid vocabulis deſignetur intelligamus. Itaq; duo maximi momenti probãda Pinello incũbunt: nempè Apoſtolicas eſſe traditiones, & quid ſibi traditiones illæ velint: quibus tertiũ addere poſſumus, videlicet, an traditiones Apoſtolicæ vniuerſalis Eccleſiæ ſignũ eſſe poſſint. Quod ad nos verò attinet, ſi doctrinã Euãngelij cõſideramus, omninò pernegamus traditiones Apoſtolorũ eſſe vllas poſſe: præter eas quę in verbo ſcripto accuratè nobis explicatæ cõtinẽtur: ſin verò appellatione traditionum, ritus ab ipſis Apoſtolis in Eccleſia vſurpatos, vt omnia rectè atque ordine fiant, intelligamus: facilis eſt controuerſiæ deciſio. Nempè eos ritus eſſe pro Apoſtolicis agnoſcendos, qui puritati doctrinæ nihil derogant,

& cum Euangelij atque Eccleſiæ caſtitate & moderatione optimè conſentiunt. Neq; vnquam Pinellus aliam eſſe traditionem Apoſtolicarum naturam atque rationem, ex ſacroſancto diuinarum literarum gazophilacio confirmauerit. At ſibi egregiè Pontificium errorem probare videtur ex loco Apoſtoli deprompto ex 2. Theſſal. cap. 2. verſ. 15. State, inquit Apoſtolus, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolã noſtram. Ergò hinc etiam perſpicuum eſt, inquit, quòd pleraque etiam ſine ſcriptis per ſermonem, id eſt, viua voce tradiderint, non ſolùm per Epiſtolam. Hîc primùm peccant Pontificij, quemadmodum eſt ab eruditiſsimo viro, & ſummo Theologo animaduerſum ὥδε γὰρ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. In his enim Pauli verbis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram: & vt in Græco habẽtur εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς ἡμῶν: particulam εἴτε volunt eſſe omninò diſiunctiuam: quod nequaquam perpetuò verum eſt: in ſcriptis enim Apoſtolicis hæc particula εἴτε copulat potiùs quàm diſiungit: 1. Cor. cap. 13. verſ. εἴτε δὲ προφητεῖαι καταργηθήσονται, εἴτε γλῶσσαι παύσονται, εἴτε γνῶσις καταργηθήσεται: id eſt, ſed & prophetiæ inutiles reddentur, & linguę ceſſabunt, & cognitio. ibid. cap. 15. verſ. 11. εἴτε οὖν ἐγὼ εἴτε ἐκεῖνοι οὕτω κηρύσσομεν: id eſt, & ego igitur & illi prędicamus. & Col. cap. 1. verſ. 20. εἰρηνοποιήσας διὰ τοῦ αἵματος τοῦ σταυροῦ αὐτοῦ, εἴτε τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, εἴτε τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς: hoc eſt, reconcilians omnia ſibi tùm

tùm quæ in terra, tùm quæ in cælis. Quamobrem locus ille Pauli hunc in modum explicandus videtur. Nempè igitur perſtate fratres, ac retinete traditam doctrinã, quam edocti eſtis, tùm per ſermonem, tùm per epiſtolam noſtrã. Deinde quum ſic argumentatur Pinellus, non animaduertit ſe multis etiam modis ὃ ἐστι τὸ ἐπόμενον decipi. Neque enim ſequitur neceſſariò, ſi Paulus non ſcripſit Theſſalonicenſibus doctrinam Euangelij vniuerſam, nullibi eam perſcriptam & literarum monumentis conſignatam extare. Itaque perinde colligit, atque ſi doceremus, in Epiſtolis ad Theſſalonicẽſes, integram, & ſuis omnibus numeris & partibus abſolutam Euangelij cognitionem eſſe quærendam. Deinde confundit etiam tempora, & quod eſt ab officio & conſuetudine Prophetarum & Apoſtolorum penitùs alienum efflagitat. Prius enim prædicandũ fuit Euãgeliũ, quàm literis prodendum: & quo melius & accuratiùs Apoſtolica ſcripta perlegerentur, & memoriæ mandarentur, illis fuit modus adhibendus, ne ſi creuiſſent in immenſum capere illa mundus non poſſet. Ioan. c. 21. v. 25. Locus poſterior ex eadem epiſtola petitus nõ ad doctrinam fidei, ſed ad mores duntaxat pertinet, ideóque non videtur eſſe pluribus explicandus. Ioannes autem nihil te ſubleuat, ſi enim omnia quæ fecit Ieſus nequaquã ſcripta ſunt, propterea quòd ea mundus capere nõ potuiſſet, igitur neque tradi potuerũt, quod infiniti nulla eſſe poſsit doctrina & cognitio.

THESIS LXXX.

» Quintum signũ est vnitas. Scriptura enim
» docet,vnam esse Christi Ecclesiam.Prophetauit,inquit Ioannes, quod Iesus erat moriturus
» pro gente,& non tantùm pro gente, sed vt filios Dei,qui erant dispersi congregaret in vnũ.
» Paulus quoque idem significat, vbicũque Ecclesiam cum corpore humano confert. Sicut
» corpus,inquit,ad Corinthios,vnũ est & membra habet multa, omnia autem membra corporis quum sint multa, vnum tamen corpus
» sunt: Ita & Christus,&c. Sponsus denique in
» canticis idem clarius asserit,quum ait, Vna est
» columba mea,perfecta mea,vna est matri suæ,
» electa genitrici suæ.

THESIS LXXXI.

» Idẽ verò ratio hæc manifesta cõfirmat: Quũ
» enim fides quæ est fundamentum Ecclesiæ, ex
» Pauli sententia vna sit: caput etiam vnum sit
» nempe Christus: Finis denique ad quem vniuersa tendit Ecclesia vnus sit: quis non videt
» ipsam quóque Ecclesiam vnam esse debere.
» Vnde Chrysostomus breuiter quidem,sed verè de Ecclesia dixit. Si Dei est,vna est. Et Hieronymus ad Agerudiam: Si Eua, inquit, vna
» mater cunctorum viuentium, & vna Ecclesia
» parens omnium Christianorum.

THESIS LXXXII.

» Rursum si plures essent Ecclesiæ inter se diuersæ

uersæ,fieret profectò vt Christus,qui caput est " Ecclesiæ,vel discerperetur,vel certè caput esset " plurium corporum inter se pugnantiũ. Vtrunque quàm sit absurdum, norunt etiam imperiti. "

THESIS LXXXIII.

Consistit porrò huiusmodi vnitas in eo, vt " qui in Ecclesia sunt,eadem credant,& eundem " inter se cultum, eadem sacramenta habeant. " Ad quam vnitatẽ Apostolus Corinthios hortatur, quum dicebat. Obsecro vos fratres per " nomẽ Domini nostri Iesu Christi vt id ipsum " dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: " sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Quæ vnio perfectior erit, si " charitas perfectionis vinculum accesserit. Quã " vnionem Christus nobis precatus est,quum dixit,Pater sancte serua eos in nomine tuo,quos " dedisti mihi vt sint vnum sicut & nos. "

THESIS LXXXIIII.

Quamuis autem particulares Ecclesiæ mul- "
tæ sint, quia tamen omnium eadem est fides, "
eadem sacramenta,idémque cultus,vnam Ec- "
clesiam,ac vnum Christi regnum efficiũt. Vn- "
de pulchrè Cyprianus. Ecclesia,inquit,vna est, "
quæ in multitudinem latiùs incremento fœ- "
cunditatis extenditur. Quomodo solis multi "
radij,sed lumen vnum, rami arboris multi,sed "
robur vnum tenaci radice fundatum. Et quum "

„ de fonte vno riui plurimi defluunt, numerosi-
„ tas licet diffusa videatur exundantis copiæ lar-
„ gitate, vnitas tamen seruatur in origine: Sic &
„ Ecclesia, &c. pulchrè quoque Epiphanius. Hãc
„ fidem, inquit, Ecclesia adepta, quanque per to-
„ tum mundum dispersa conseruat, quasi vnam
„ domum inhabitans, & similiter his credit, ve-
„ lut vnam animam, & idem cor habens, & cõ-
„ sonè hæc prædicat, & docet & tradit, velut vno
„ ore prædita.

THESIS LXXXV.

„ Neque verò quod in Sacramentorum vsu,
„ & ceremoniis sit aliquod tenue discrimen, pro
„ temporum, vel regionum, vel personarum di-
„ uersitate, sunt censendæ diuersæ Ecclesiæ, quũ
„ in præcipuis rebus omnes conueniant. Quem-
„ admodum licet hominum alij sint albi, alij
„ nigri, alij acutiores, alij hebetiores, omnes ta-
„ men eiusdem naturæ sunt.

THESES. LXXXVI.

„ An autem vt Ecclesia dicatur vna, vnus in
„ terris monarcha Christi vices tenens esse de-
„ beat (vt vult Cyprianus, quum ait, Non igno-
„ ramus vnum Deum esse, vnum Christum, vnũ
„ Spiritum sanctum, vnum Episcopum in Ec-
„ clesia esse debere. Et alio loco: Ideò ait
„ ortas esse hæreses, quòd vnus sacerdos in
Eccle-

Ecclesia ad tempus iudex vice Christi non a- «
gnoscatur non disputamus. Illud verò inpræ- «
sentiam asserimus: Ecclesiæ vnitatem seruari «
minimè posse, nisi vnus iudex in ea sit, cuius «
sententiam in iis, quæ ad fidem moréque spe «
ctant, omnes sequantur. «

ANALYSIS.

Quum Ecclesiã esse vnam necesse sit, quod vnus sit Christus, fides vna, vnus Spiritus, constituit Ecclesię notam vnitas. Ea autem dici debet vnitas Ecclesiæ, quum omnes eadem credant, Sacramenta similiter habeant, eundémque cultum diuinum, &c. Item, vnitas illa conseruari non potest, nisi sit vnus iudex cuius autoritatem in rebus quæ ad fidem moréque spectant omnes audiant & sequantur.

REFVTATIO.

Vnitas si per se consideretur non est nota Ecclesiæ: sed omninò requiritur fidei & doctrinæ vnitas. Nam si hominum vnitatem & consensionem duntaxat, pro vnitate Ecclesiæ admitteremus, proferri possent infinitæ hæreticorum sinagogæ, quæ quamuis à fide turpiter atque periculosè aberrarent, concordiam inter se nihilhominus colebant & dogmatum vnitatem amplectebantur. Itaque si de fidei vnitate loquetur Pinellus, iam suæ sententiæ renuntiauit, séque adiunxit ad nostram: sin autem de conuenientia tantum & consensione, quæ inter homines intercedit, quum eiusdem sint o-

pinionis atque sententiæ: hanc certè vnitatem Ecclesiæ notam esse vehementer inficiamur, nisi fortè Pinellus doceat verum germanúmque & intimum Ecclesiæ Catholicæ signum esse eiusmodi, vt cum blasphemis hæreticorum synagogis communicari possit. Atque video hîc à me, vt difficultatem huiusce disputationis amoliar, omninò efflagitari, vt breuiter expendam, quatenus dissensiones cum Ecclesiæ nomine atque ratione cohærere possint. Quamobrem vt rectè atque ordine procedat disputatio, in ipso tractationis vestibulo constituendum est imperitè illos facere omninò, & sine Theologia, Theologicè velle disserere: qui cùm suæ infirmitatis atque ignorantiæ immemores, tùm Ecclesiasticæ historiæ rudes atque ignari, eam inter homines vnitatis perfectionẽ imaginãtur, quæ numquam diuturna fuit, aut etiam esse potuit. Neque nobis longè petenda sunt exempla, quibus nostram sententiam extra omnem dubitationem collocemus: Siquidem in ipsa Ecclesiæ nascentis origine adeò illustria & splendida inueniuntur, vt ne tu quidem inficiari possis. Quum enim vetustissima illa & apud vos etiam in multis renouata disceptatio de ceremoniis Mosaicis retinendis, & cum Euangelio coniungendis, multùm denique Christianam Ecclesiam exercuit? Quàm luctuosa fuit illa, & penè funesta inter occidentales orientalésque Ecclesias, de celebrando die Paschatis contentio: quum vester etiam Episcopus Romanus, cui sua semper ambi-

ambitio & imperandi cupiditas optabilior visa est, quàm Ecclesiarum concordia importunissime camino ardenti oleum suffunderet? Quàm denique tristis & calamitosa extitit de baptizandis hæreticis pugna & conflictatio. Attamen Dei gratia contigit vt pacatis controuersiis, tandem Ecclesiæ in vnam eandémque fidei & charitatis vnionem mutuò sibi occurrerent: quibus etiam dum in nonnullis vacillarent, nomen atque ratio Ecclesiæ integra incolumísque conseruata est. Quamobrem? Quia certè charitas non patitur, nec in sacris literis commendata & præcepta moderatio, vt de fratribus, tam temerè, támque inconsideratè iudicemus. Admonendi sunt qui errãt, & scripturæ autoritate conuincendi: neque illa ratio semel adhibenda est, sed tandiu repetenda, donec planum sit atque perspicuum, si non ad meliorem frugem redeat qui malè sentit, non tam ignorantia, quàm improbitate, & malitia, & contradicendi studio, Euangelicæ doctrinæ illum aduersari. Neque Pinellus ipse à nostra est sententia, si modò secum ipse consentiat, alienus. Quum enim negaret legitimam verbi diuini prædicationem, & administrationem Sacramentorum esse notas Ecclesiæ: hanc etiam rationem afferebat, quòd Galatarum & Corinthiorum Ecclesiæ in verbo Dei & administratione Sacramẽtorum lapsæ: nihilominus agnoscerentur à Paulo esse veræ germanæque Ecclesiæ. Itaque quantum disputationis breuitas ferre visa est, cõperimus eam

demum esse vnitatem Ecclesiarum habendam quam humana conditio & infirmitas recipit: ne dum exactam, & perfectam, & suis omnibus numeris absolutam conquirimus, tandem frustra defatigati nullam inueniamus. Itaque vt ad Pinelli sophismata breuiter nostro more & accuratè respondeamus: discutienda est homonymia, quæ in voce *vna* insidias contra veritatem collocauit. Fatemur esse vnam Ecclesiam, quæ propter capitis, & fidei, & Spiritus, & charitatis, & beatitudinis ad quam omnes toto animo ferri debemus rationem, Ecclesia esse non potest, nisi vnitatem & cum Christo, & cum eius membris omnibus teneat, & conseruet, & colat. Sed quum tanta sit humanæ conditionis fragilitas, vt persæpè in iudicando, maximè quum ad hypothesim delabimur, aberremus: fit nescio quo modo, vt quos in Christo fratres, quas particulares Ecclesias diligimus & amplectimur: non rarò decepti quũ seorsim vel hos vel illos consideramus pro veris aut fidelibus, aut Ecclesiis non agnoscamus: quamuis vt puri putíque & Christiani, & Ecclesiæ, ad coagmentationem atque complementum corporis Christi pertineant. Quamobrem: Quia si Christiani sumus, ardentissima charitate complectimur eos omnes qui sunt in Christo insiti nobiscum, & vna fide, ac spe ornati à sancto Spiritu ad eandem æternæ vitæ coronam euolare contendunt: sed quum sæpe vsuueniat, vt nos in aliquibus quæ ad fidem spectant fallamur: aut alij aberrent, qui tamen

tamen propterea Christianæ pietatis fundamenta minimè conuellant, nisi à temeraria & præcipiti consuetudine iudicandi temperemus, procul dubiò erit periculum, ne potiùs Ecclesiarum pacem & tranquillitatem funditùs euertamus: quàm spes vt doctrinam Euangelij sartam tectámque tueamur. Quod certè luctuosissima tristissimáque Græcarum Ecclesiarum experientia in omnium Christianorum mentibus atque oculis collocat: & tamen Ecclesiæ illæ nulli magis suam defectionem acceptam referre debent, quàm Pontifici Romano: vt vel iure constare possit, quàm iudex ille sit accommodatus, ad conseruandam vnitatem. Sed quoniam incidimus in quæstionem de Papatu, explicandum est, an Ecclesiæ vnitati conducat, vt sit, quemadmodum loquuntur Pontificij, caput visibile in Ecclesia. Qui contradictionis partem aientem tueri susceperũt, illud in primis vrgent, si nullum iudicem inueniamus qui controuersias quæ ad fidem spectant, discepter: fore miserrimam & calamitosissimam Ecclesiarum conditionem, vt quę inter se, de fide atque moribus perpetuò sint digladiaturæ atque conflicturæ. Respondeo antiquissimam Ecclesiam remediis salutaribus, ab ipsorum vsque Apostolorum temporibus accersitis, Ecclesiarum paci consuluisse: multò antè quàm Episcopi Romani ambitio Ecclesia sibi parere coegisset. Nimirum mos erat si quæ necessitas incidisset, huiusmodi conuocari consilia, quæ non vt seculis, quæ posteà conse-

quuta sunt, sibi omnia impotenter & falsò arrogarent, & supra Dei verbum sapere vellent: sed quæ ex monumentis Propheticis atque Apostolicis, exortam in Ecclesiis controuersiam componerent. Vester autem Pontifex quomodo Ecclesiarum paci consulit? Nempe si quæ oriantur Ecclesiæ paulò cæteris oculatiores, quæ illius ambitionem, tyrannidem, idolomaniam, luxum, sæuitiam, impietatem, & vt omnia verbo complectar, ἀθεότητα ferre non possint: eas scilicet horrendis anathematum fulminibus ex arce Tarpeia vibratis exterminat: vt tandem ab vniuerso terrarum orbe per Dei gratiam illuminato, & suam ipsius cæcitatem abominante, solus in Adriani busto relictus, verè vnitatem colat. Sed dic mihi, bone vir, an vester ille iudex ac fidei moderator, errare in fide non potest? Nam si possit in rebus ad salutem necessariis decipi: quænam erit obsecro hæretica illa fidei vnitas? aut potius quænam fuit quum Liberius Arrianus, Honorius Eunomianus, Anastasius Photianus, Marcellinus idololatra, Ioannes XXII. qui animarum immortalitatem negare ausus est, toti Ecclesiæ præfuit? An vt fidei vnitatem Ecclesiæ colerent quæ illorum Pontificum temporibus extiterunt, ad hæreticorum blasphemias ab istiusmodi Papis approbatas se adiungere debeant? An Episcopi Romani delirantis atque adeò blasphemantis Ecclesias omnes illas oportebat nutum & sententiam sequi? At si hoc illis dedecus oblatum fuisset, quinam cum veteri

teri & orthodoxa Ecclesia vnitatem fidei atque religionis coluissent. Denique qua tandem ratione Pontifex Romanus conseruator esse potest fidei, quam suis omnibus machinis & artibus conuellere molitur: vt quum mentis nostræ oculos confixerit, nobis proarbitrio imperet, séque, vt est vaticinatus Apostolus, quasi Deus esset, adorandum præbeat.

THESIS LXXXVII.

Sextum signum est sanctitas: In symbolo enim sanctam confitetur Ecclesiã, Petrus quoque populum Christianum gentem sanctam appellat. Et Paulus propterea ait Christum se tradidisse pro Ecclesia, vt illam sanctificaret, lauando lauacro aquæ, per verbum vitæ, vt esset sancta & immaculata.

THESIS LXXXVIII.

Ac quidem decebat vt sponsus sanctus sanctam haberet sponsam, quæ sanctos quoque filios per Baptismum generaret. Deinde Ecclesiam esse domum ac Templum sanctissimæ Trinitatis scribit Augustinus quum ait. Rectus concessionis ordo poscebat vt Trinitati subiungeretur Ecclesia, tanquam habitatori domus, & Deo templum suum, & conditori ciuitas sua. At Dei templum sanctum esse affirmat Apostolus. Templum Dei, inquit, sanctum est quod estis vos.

THESIS LXXXIX.

Neque verò quo minus sancta sit Ecclesia

„ impedire poteſt, quòd ipſa ſit hominum fide-
„ lium collectio, quos omnes peccare, ac ita ſan-
„ ctos non eſſe, vt omni culpa vacent ſacræ te-
„ ſtantur literæ. Nam quum Eccleſiam eſſe ſan-
„ ctam dicimus, minimè volumus omnes qui in
„ ea ſunt ſanctos eſſe: ſed ſi qua planè ſanctitas
„ inter homines ſit, eam in Eccleſia eſſe profite-
„ mur. Iam licet non omnes, quos ea continet
„ ſancti ſint, quia tamen plerique in ea ſanctè
„ piéque viuũt, ſancta meritò appellatur. Quem-
„ admodum ciuitas nobilis vel opulenta dicitur,
„ quòd ciues permultos nobiles ac opulẽtos ha-
„ beat. Iã leuia peccata illa, de quibus Scripturæ
„ loquũtur, ſanctitatẽ nec tollunt nec impediũt.

THESIS XC.

„ Quòd verò ſponſus dicit in Canticis. Tota
„ pulchra eſt amica mea, & macula non eſt in te,
„ vel de triumphante Eccleſia intelligendum
„ eſt, vel ſi de militante Eccleſia accipiatur, exi-
„ ſtimandum eſt à ſponſo ob vim & magnitu-
„ dinem amoris dictum. Amor enim facit, vt a-
„ mans in re quam amat, nonniſi quod placet
„ videat: vitia verò rei amatæ, amor quodammo
„ do tegit, & ab amantis oculis ſubducit. Vnde
„ à Petro, charitas multitudinem peccatorum o-
„ perire dicitur. Sunt tamẽ qui non ineptè hunc
„ locum de anima iuſti intelligant, quæ libera
„ eſt grauioribus peccatis, quæ propriè maculæ
„ dicuntur.

THESIS XCI.

„ Sed abs re minimè erit breuiter iam audire, quomodo

quomodo antiqui Patres ſanctam eſſe Eccle- "
ſiã intelligant. Putat enim Optatus Milèuita- "
nus Eccleſiam dici ſanctam, quia habet ſacra- "
menta quæ ſanctificant, & quia omnia confert "
ad ſanctitatẽ acquirendam neceſſaria. Ruffinus "
verò ob ſanctitatem doctrinæ, vult ſanctam "
dici Eccleſiam. Alij ſanctam dicunt, quia "
Deo dicata eſt, quemadmodum veſtes & va- "
ſa templi olim etiam ſancta dicebantur. Qua- "
re in primordiis Eccleſiæ omnes Chriſtiani "
ſancti vocabantur, quoniam Deo, diuinoque "
cultui conſecrabantur. Ac vt Auguſtinus ex- "
ponit in Baptiſmo Chriſtum induebant. "

THESIS XCII.

Septimum Eccleſiæ ſignum eſt firmitas ac "
conſtantia, non tantùm in fide, ſed etiam in "
perſequutionibus. Cur enim Arrianorum, Pe- "
lagianorum, Donatiſtarum, aliorumque hæ- "
reticorum ſectæ euanuerunt: niſi quia nulla il- "
larum vera erat Eccleſia, ſupra firmam petram "
conſtituta, ſed potius quod nunquam ſeneſcit "
mendacium, ſuper erroris arenam poſitum? "
Vnde ventis ac procellis irruentibus, omnes "
illicò collapſæ ſunt, ſic vt nec tenuia hodie ex- "
tent veſtigia. Id quod Chriſtus prædixit quum "
dixit, omnis plantatio quam non plantauit pa- "
ter meus cœleſtis eradicabitur. At Chriſti Ec- "
cleſia ſupra petram ædificata eſt, quæ quem- "
admodum adhuc nulla tempeſtate obrui po- "
tuit, ita ad mundi exitum integra permane- "

„ bit. Fortè, inquit Augustinus, ista ciuitas
„ quæ mundum tenuit, aliquando euertitur?
„ Absit. Deus fundauit eam in æternum. Si er-
„ go Deus fundauit in æternum, quid times ne
„ cadat firmamentum? Et exponens alium psal-
„ mum. Non vincetur inquit Ecclesia, non era-
„ dicabitur, nec cedet quibuslibet tẽtationibus,
„ donec veniat huius seculi finis.

THESIS. XCIII.

„ Huius autem signi notæque scriptura me-
„ minit quum refert, Christum promisisse Ec-
„ clesiam ædificaturum, aduersus quam ne infe-
„ rorum quidem portæ prævalere possent: quod
„ multò antè prædixit Daniel. Suscitabit in-
„ quit, Deus cæli regnum, quod in æternum
„ non dissipabitur. Id quod etiam tot ærumna-
„ rum & persequutionum exitus ostendit, in
„ quibus Ecclesia non solùm non est extirpata,
„ sed potiùs altis subnixa radicibus, magis ma-
„ gisque confirmata. Vnde non minus pul-
„ chrè quàm verè Hilarius de Ecclesia hæc scri-
„ bit. Hoc Ecclesiæ proprium est, inquit, vt
„ tùm vincat quum læditur, tùm intelligat
„ quum arguitur, tùm obtineat quum deseri-
„ tur. Iustinus verò & Nanzianzenus ob eam
„ caussam, Ecclesiam cum vite comparant, quæ
„ tunc profert vberiores fructus quum falce pu-
„ tatur. Tertullianus quoque sanguinem marty-
„ rum, vocat semen in persequutionibus fusum,
„ eo quòd sicut semine genus humanum, sic
Chri-

Christianorum sanguine Ecclesia multiplica- „
ta propagatur. Quod eleganter explicans Leo: „
Non minuitur inquit, persequutionibus Eccle „
sia, sed augetur: Et semper dominicus ager „
segete ditiori vestitur, quum grana, quæ singu- „
la cadunt, multiplicata nascuntur. „

THESIS XCIIII.

Ex his quoque fit vt non tantùm Ecclesia „
non omninò extingui, sed nec ipsa Ecclesiæ „
fides tolli mutariue possit. Ecclesia enim cum „
Christo fide coniugata & consociata est, vt „
Oseas dicit: At si fides quæ Ecclesiam coniun- „
git cum Christo labefactaretur, iam arctum „
illud diuini matrimonij vinculum solueretur. „
Quod solui non posse idem propheta vatici- „
natur, quum dicit. Et sponsabo te mihi in „
sempiternum. Id quod etiam vtriusque con- „
jugis promissio confirmat. Christus enim qui „
sponsus est, ait, Ecce ego vobiscum sum o- „
mnibus diebus vsque ad consummationem „
seculi. Ecclesia verò quæ sponsa est dicit e- „
tiam, tenui eum, nec dimittam. „

THESIS XCV.

Deinde Christi regnum quod est Ecclesia, „
fide tanquam fundamento nititur, fide re- „
gitur, fide munitur. Quare si fides defi- „
ceret, regnum Christi rueret, quod ta- „
men aut labefactari, aut euerti non posse, „

Universidad de Deusto
Biblioteca

„ scriptura persæpè testatur. Angelus enim di-
„ xit Christum regnaturum in domo Iacob in
„ æternum, & regni eius nullum fore finem.
„ Dauid quoque cecinit. Hic est Deus noster in
„ æternũ ipse nos reget in secula.

THESIS XCVI.

Sed dicet fortasse quispiam, in passione
„ Christi discipulos, in quibus erat Ecclesia, fi-
„ dem perdidisse. Vnde Augustinus explorans
„ illud Dauidis. Defecerunt oculi mei. A latro-
„ ne, inquit Apostoli victi sunt, qui tunc credi-
„ dit quando ipsi defecerunt. Quod etiam Chri-
„ stus indicauit, quum eis incredulitatem & du
„ ritiem cordis exprobrauit. Idem denique Ec-
„ clesia confirmare videtur in hebdomada san-
„ cta, quum præter vnam cæteras candelas extin
„ guit, significans vt nonnulli volunt, præter-
„ quam in vna virgine, in omnibus extinctam
„ esse fidem.

THESIS XCVII.

„ Sed ista nos minimè mouere debent. Nam
„ etsi faciamus omnibus Christi discipulis de-
„ fuisse fidem, nihil tamen id nobis obest. Ec-
„ clesia enim quæ tunc erat, nondum spiritum
„ acceperat, nondum erat omninò stabilita.
„ Nam Apostoli quidem Ecclesiæ duces atque
„ pastores designati erant, nondum tamen con-
„ stituti. Sed tunc vnus erat Pastor Ecclesiæ
„ Christus. At postquam Apostoli munere pasto-

pastorum, post acceptum spiritũ sanctum fun- "
gi cœperunt, in anem hominum ventum, vitæ "
que amorem, Christianæ charitati postposue- "
runt, vnde in magna illa persequutione post "
sancti Stephani martyrium orta, cæteris Chri- "
stianis fugientibus, Apostoli palam constan- "
terque fidem professi sunt. "

THESIS XCVIII.

Neque verisimile est omnes Christianos "
tunc defeciſse à fide, alioqui nulla fuisset Eccle "
sia: quæ quum sit multorum collectio, non po- "
test (vt illi dicebant) in vna persona seruari. "
Nam non omnes qui credebant in Christum "
interfuisse eius passioni probabile est. Quare "
hi vel nullam dubitandi occasionem habue- "
runt, vel prius de Christi resurrectione, quàm "
de eius passione audiuerunt. Quanquam nec "
omnes qui affuerunt, de fidei veritate dubitas- "
se necesse est.

THESIS XCIX.

Quin quod Apostoli vel fugerint, vel Chri "
stum negarint, factum est, quòd charitas il- "
lis ac fortitudo deesset. Vndè non rectè col- "
ligi potest eos etiam fidem amisisse: sed tan- "
tùm fidei confessionem eis defuisse. Ac ita in- "
telligi potest ceremonia illa Ecclesiæ. Can- "
delæ enim extinctæ Apostolos designant, qui "
timore victi Christum reliquerunt vel nega- "
runt. Quæ verò ad breue tempus absconditur, "

Christum qui tribus diebus fuit in sepulchro. Quamuis non desunt qui dicant, candelas extinctas significare prophetas à Iudæis occisos, accensam verò Christum.

THESIS C.

„ Incredulitas autem quam Christus suis
„ exprobrauit, in rebus ad fidem spectantibus
„ minimè fuit, sed quia vt idem Euangelista i-
„ bidem asserit, aliqui non crediderunt iis, qui
„ eum resurrexisse viderunt, idque nuntiaue-
„ runt. Sed neque omnes annuntiantibus mu-
„ lieribus resurrectionem Christi increduli fue-
„ runt. Nam Petrus & Ioannes ea audita euesti-
„ gio ad monumentũ cucurrerunt. At si non cre
„ didissent, quomodo cucurrissent.

ANALYSIS.

Ecclesia vbique in scripturis sancta dicitur: Ergò sanctitas est signum Ecclesiæ, vocatur autem sancta, vel quòd in ea multi sint sancti, vel quòd habeat sacramenta quæ eam sanctificant, vel propter sanctitatem doctrinæ, vel quòd Deo dicata sit, vel quòd omnia confert quæ ad sanctitatem acquirendam sunt necessaria. Item, sacræ literæ firmam esse Ecclesiam prædicant: Ergò firmitas est signum Ecclesiæ, firmitas autem Ecclesiæ probatur euidentissimis & Patrum & scripturæ testimoniis.

RE-

REFVTATIO.

Mirum est Pinellum Iesuitam, adeò effræni audacia in reprehensionem notarum Ecclesiæ, quas Doctores nostri proposuerunt inuehi: quum ipse in vitia illa quæ falsò in nobis accusat, verissimè atque euidentissimè prolabatur. Verbi diuini puram & sinceram prædicationem, & sacramentorum administrationem, quasi essent obscuræ & incertæ notæ, quibus Ecclesiam orthodoxam ab hæretica diiudicare possemus, contumeliose paulò antè repudiauit. Quænam verò ipse reponit Ecclesiæ symbola? sanctitatem nimirum & firmitatem. Sed quæ obsecro illa est sanctitas? Quæ verbo Dei, & sacramentis accepta ferenda est. Igitur si sanctitas verum est atque genuinum Ecclesiæ signum: & illa petenda est à verbo Dei & sacramentis, profectò magis etiam Dei verbum & sacramenta erunt Ecclesiæ certa & immutabilia symbola, quàm sanctitas: quod vel illa peruagatissima logicorum regula te docere potuit. Illud est magis tale, propter quod aliquid est tale. En cur nos vexet Iesuita Pinellus, qui quum rectè ordinata & disposita verterit atque euerterit, neque vbi pedem figat, inueniat, tandem cogatur vi veritatis nostræ sententiæ suũ addere calculũ. At sanctitas est signũ Ecclesiæ, quia in symbolo sanctam Ecclesiam nos credere profitemur. Egregium sanè argumentũ. Sed

oblitúsne es θεωρήματος illius ἀναλυτικωτάτου, nempe verbum Dei ab Ecclesia esse audiendum, antequam illo ad ipsius Ecclesiæ diiudicationem vtamur. Deinde quot tandem inueniẽtur Ecclesiæ notæ, si ex omnibus Ecclesiæ attributis argumentari volumus, quæ quamuis pleraque omnia certa sint, atque eiusmodi vt excidere nequeant: nequaquam sunt tamen accommodata, vt obuiis quibuslibet Ecclesiæ attributis veram à falsa Ecclesiã præcisè diiudicemus. Siquidem non patitur mentis humanæ infirmitas, & profunda etiam Dei sapientia, quæ admirabiliter in gubernanda & administranda Ecclesia effulget, vt dum in terris versamur, absolutam atque perfectam eorum attributionum cognitionem & intelligentiam habeamus. Nec tu ipse si te exaudias, id est si quam tu tibi aduersere consideres multum recedis à nostra sententia. Quum enim supra expenderes quomodo Ecclesiam & videamus & credamus sanctitatem Ecclesiæ sub aspectum cadere posse, vlloue sensu corporeo percipi negabas. Itaque quî erit sanctitas Ecclesiæ nota, quum eam intueri nequeamus. Neque potes excipere illam mente atque intelligentia comprehendi, propterea quòd Deus est vnus qui hominum corda scrutatur, in quibus demùm solis suam fidem collocauit sanctitas. Vides igitur Pinelle, quò te tua sophismata miserum abripiant, dum veritati frustra repugnare, quàm te vltro illi adiungere satius esse opinaris. Sed vrgea-

vrgeamus sophistam ἀδύνατῳ. Si nota Ecclesiæ conspicua esse debet atque illustris, & sanctitas est huiusmodi vt sensum hominis atque adeò intelligentiam effugiat, ergò sanctitas Ecclesiæ nota esse non potest. Item, Si verbum Dei & sacramenta Ecclesiam sanctificant, & sanctitas est habenda pro certa & immutabili Ecclesiæ nota. Ergò verbum Dei & sacramenta sunt magis Ecclesiæ notæ quàm sanctitas. Item, Si sanctitas illa quæ percipitur ex verbo Dei & communione sacramentorum soli Deo est conspicua, & symbola Ecclesiæ hominibus cognita esse debent atque illustria: Ergò sanctitas illa quæ percipitur ex Dei verbo, & communione sacramentorum, nequaquam est recipienda pro certa & immutabili Ecclesiæ nota. Et vt compendiosè de tota re pronuntiem, sic habeto. Quamuis Ecclesia & sanctitas inter se reciprocentur, & ea demum vera sit sanctitas quæ est in Ecclesia, & vicissim ea tantùm sit Ecclesia quæ sancta est: nihilominus Ecclesia est potius nota sanctitatis, quam sanctitas Ecclesiæ: quòd hæc sit quàm illa clarior & illustrior. Et vtrisque tum sanctitate tùm Ecclesia, fides ac Dei verbum: ita vt tandem quum sit nos acerrimè omnibus contumeliis persequutus Iesuita Pinellus, in gratiam nobiscum, atque adeò cum ipsa veritate, quàm à se frustra oppugnatam intelligit, redire cogitur.

Firmitas, quam septimam Ecclesiæ notam

Pinellus esse voluit, eadem omninò cum stabilitate atque perpetuitate, quibus primum locum in enumerandis Ecclesiæ symbolis attribuit: vt negare non possit se notam cum prima septimam ineruditè confundere: ideoque mea breuior futura est sophismatum Pinellicorũ dissolutio. Firmitas seu perpetuitas seu magis placet stabilitas, nominibus enim abundat Iesuita, esse nota Ecclesiæ non potest. Nam in primis nota esse debet huiusmodi, vt nulla sit Ecclesia orthodoxa, cui nota Ecclesiæ non conueniat, nulla autem hæretica cui conueniat: deinde vt non sit opus ad notam illam cognoscendam ex illiusque absentia vel presentia, germanam & adulterinam Ecclesiam diiudicandam infinita secula morari, vt tanquam vinum, ita Ecclesia commendetur vetustate. Illud enim certissimum est, simulatque Dei Ecclesia extitit, eam suis veris, propriis, essentialibus, & ἀμεταλλήτοις notis & symbolis exornatam fuisse: vt hac ratione posset ab hæreticorum cœtibus Ecclesiæ titulum & dignitatem ementitis verè & propriè diiudicari. At si temporibus Apostolorum nati fuissemus, ex doctrina Pinelli expectandum nobis multum diuque fuisset, antequàm de firmitate & perpetuitate Ecclesiæ fieremus certiores. Deinde quum suprà demonstrauerimus Ecclesiæ perpetuitatem atque firmitatem aspectum effugere, neque semper Ecclesiam, vt falsò asserit Iesuita, in luce versari, spontè sua concidit nota illa & signum ad

ad discernendam & diiudicandam Ecclesiam ineptè comparatum. Nolo in præsentia excutere locos scripturæ, huic quæstioni à te perperam accomodatos: de tuis tantùm ceremoniis te breuiter admonendum esse existimaui: vt paulò attentius quid illę vobis prosint consideres, quum sint ab hominibus contra Dei verbum institutæ, neque inter vos etiam constet, quænam sit earum caussa & ratio, & quid tandem sibi velint. Sed de hac re aliâs σὺν θεῷ pluribus agemus.

THESIS CI.

Octaui signi locum tenent miracula in Ecclesia frequenter edita, quibus tanquam sigillo quondam ac chirographo, religionis nostræ mysteria confirmata sunt. Id autem maximè consentaneum fuit. Dogmata quippè Christianæ religionis, quum excedant naturam creatam, naturali ratione demonstrari non possunt. Quare diuina autoritate opus fuit, quæ per miracula nobis representatur. Ex quo fit vt illa sit vera Ecclesia, in qua Deus edidit miracula. Quo argumento ad hoc quidem probandum sæpè Augustinus vtitur.

THESIS CII.

Esse autem miracula certum Ecclesiæ signum ex eo colligimus, quòd Christus natu-

cula inter eos, qui verè crederint, fore prædixerit: vbi autem est vera fides, ibi necesse est esse Ecclesiam. Signa, inquit Christus, eos qui crederint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent &c. cuius signi crebrò scriptura meminit.

THESIS CIII.

» Sunt & alia Ecclesiæ signa, vtpote sancto-
» rum communio, quam etiam in symbolo fa-
» temur: Dogmatum consensio: efficacia de-
» nique doctrinæ in adducendis ad fidem Ethni
» cis. Sed ne disputatio longior sit quàm par est,
» consultò omittimus.

ANALYSIS.

Christus inter eos qui erant credituri fore miracula prædixit: Ecclesia autem sine fide esse non potest: miracula igitur signa sunt Ecclesiæ. Item, Doctrina Euangelij captum hominum superat, ideoque miraculis est confirmanda: Ergò miracula sunt habenda pro certis Ecclesiæ notis.

REFVTATIO.

Maximam Ecclesiæ Christianæ autoritatem à miraculis planè diuinis atque cælestibus esse conciliatam eruditi omnes & pij Theologi confitentur: ita vt, si quemadmodum penitus oportet, miracula, vel ab ipso Christo, vel ab Apostolis, Apostolorumque successoribus edita vsurpas, nimirum quò magis ac magis in fide Christiana, quæ fidei nomen sola meretur, adolescamus & confirmemur: nos plane habiturus es optimè tecum aut potiùs cum veritate consentientes. Sin autem miracula commentitia, & à malè feriatis hominibus ad expugnandam verbi diuini autoritatem, falsò & impudenter confícta obtrudere conaris: non deerunt iis, qui verè sunt & fideles & Christiani, fortissima & planè Analytica argumenta, quibus ineptam omnium Iesuitarum loquacitatem retundant. Sic autem disputatio de miraculis breuissimè & facillimè ad exitum perduci posse videtur. Proponis, tanquam Ecclesiæ notam immutabilem & perpetuam, miracula. Quod quidem Theorema si tibi concedamus, efficietur necessariò, ex relationis natura quæ inter notam & nota notatum intercedit: vt nulla sit habenda Ecclesia, quæ miracula sibi adiuncta perpetuò & inseparabiliter non habeat. Siquidem ea est ratio & natura signi, vt rem cuius esse signum dicitur, tandiu comprobet, quamdiu quum illa coniunctum est. At quum certum sit atque exploratum in Ecclesia perpetuò miracula non esse: profectò satis superque constat Ecclesiæ notam minimè peti debere à miraculis. Alioqui nullæ iam essent in vniuerso terrarum orbe Ecclesiæ, quum esse miracula desierint: quod quàm verè, quámque Theologicè dicatur, Pinello per otium excutere licebit. Deinde si notam

miraculorum sequeremur, ad diiudicationem Ecclesię, non rarò accideret, vt falsam pro vera comprobaremus. Ratio est, quia pseudò prophetæ & pseudochristi suam etiam doctrinam miraculis commendant. Deut. cap. 13. versicu. 1. *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnum vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum. Et euenerit quod loquutus est, & dixerit tibi, Eamus & sequamur deos alienos &c. Non audies verba Prophetæ illius &c.* Matth. cap. 24. vers. 24. *Excitabuntur enim pseudochristi & pseudo prophetæ: & edent signa magna & miracula, vt seducant (si fieri possit) etiam electos.* 2. Thess. cap. 2. versi. 9. *Cuius aduentus est ex efficacia Satanæ, cum omni potentia & signis, & prodigiis mendacibus.* Apocal. cap. 13. vers. 13. *Editque signa magna, adeò vt etiam ignem faciat è cœlo descendere in terram in conspectu hominum. Et seducit incolas terræ, propter signa quæ data sunt ei vt faciat in conspectu bestiæ &c.* ibid. cap. 16. vers. 14. *Sunt enim spiritus dæmoniorum edentes signa, &c.* ibid. cap. 19. vers. 20. *Et comprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta ille qui ediderat signa coram ea &c.* Respondebis, opinor, signa illa non esse vera, sed fallacia, ideóque ad demonstrandam Ecclesiam non posse adhiberi: optimè loqueris, quum illa signa quibus veritas oppugnatur, falsa esse concedis. Sed quodnam obsecro signum est falsi verique miraculi? Nullum profectò si analogiam fidei ex verbo scripto depromptam excipias. Igitur quemadmodum ipse

ipse Deus præcipit, propheta ille nobis est pro mendaci habendus, & repudianda illa miracula, quę nos à vero Deo, veróque Dei cultu, ad idola, & superstitiones abducere moliuntur. Quamobrem Christus ipse atque Apostoli multò sæpiùs atque euidentiùs contra Iudęos, de vera pietate & religione quũ differerent, suã doctrinam Mosis & prophetarum testimoniis, quàm operibus quæ conditionem humanam excederent, confirmarunt. Sed ne in re facili & perspicua diutius immorer, & Iesuitę illud opponam. Natio mala & adulterina signum requirit: & illud Pauli dictum, Iudæi signum quę runt: retorquere in caput Iesuitæ argumentum satiùs erit. Si perpetua esse debet nota illa qua veram Ecclesiam à falsa diiudicamus: & miracula perpetuò in Ecclesia non extant: igitur miracula minimè sunt habenda, pro vero Ecclesiæ symbolo. Item, Si diiudicatio miraculorum petenda est à verbo Dei, & miracula sunt Ecclesiæ signa: ergò diiudicatio signorum Ecclesiæ petenda est à verbo Dei, ἡ δυνάμει, τῆς ἀκολουθίας verbum Dei magis erit Ecclesiæ signum quàm miracula: quod nos quidem vrgemus, Pontificii autem enixę & tamen frustrà inficiantur. Cætera quæ affers signa, aut planè absurda sunt, aut ad vnitatem de qua disseruimus referenda sunt.

THESIS CIIII.

Deinceps vtrũ cõmemorata Ecclesiæ signa

» in Geneuensi congregatione insit, diligenter
» expendendum est: vt æqui ac boni rerum æ-
» stimatores iudicent, possitne illa vera Ecclesia
» appellari. Ac primum quidem signum fuit
» successio nulla intermissione temporum in-
» terrupta, sic vt illa sit vera Ecclesia, quæ ex
» quo fuit à Christo per Apostolos, vel eorum
» successores instituta, in hanc vsque diem per-
» seuerat. Quod si verum est, vt esse verum ex
» scriptura, & sanctis patribus probatum est, &
» aduersarij non negant: sequitur vt Caluinia-
» na secta, quæ paucis ab hinc annis incepit, fal-
» sa sit, vel certè dicant Caluiniani, vbi antè se-
» xaginta annos eorum Ecclesia erat. Vbi eo-
» rum doctrina ac religio in suo statu conserua-
» batur? penes quos erat antequam eam Lu-
» therus vel Caluinus in lucem euocaret?

THESIS CV.

» Huic autem argumento etsi commune sit,
» ac sæpius à Catholicis obiectum, quam benè
» illi respondeant paucis videndum est: Aiunt
» itaque ministri Caluiniani, in eodem tracta-
» tu de Ecclesia recens Geneuæ edito, Ecclesiam
» Catholicam siue vniuersalem ratione conse-
» quentis temporis appellari, eò quòd nō centū
» vel bismille annos durabit, sed q; semper in or
» be terrarum erit. Ineptè, sanè. Nam argumen-
» tum probat eam esse veram Ecclesiam, quæ
» vniuersalis sit, non solum consequentium, sed

Sed etiam antecedentium seculorum causſa, ita " vt postquam fuerit ab Apostolis fundata, huc " vsque perdurauerit. Illi verò Ecclesiam semper " futurā in posterū respōdent. Quasi verò Christi " Ecclesia nunc primùm vel esse omninò, vel " esse necessaria incipiat. Itaque dum volunt hac " inani spe consolari suos, quòd scilicet Gene- " uensis secta æternùm duratura sit. Antè nullā " fuisse Ecclesiam, ac ita in rebus ad salutem ne- " cessariis, Deum nobis defuisse tacitè asserunt. "

THESIS CVI.

Prudentiùs alij se respondere putant: Quum " dicunt suam Ecclesiam semper fuisse, quum sa " cræ scripturæ autoritate nitatur, licet nō sem- " per in aspectum hominū venerit, nec semper " fuerit cognita, ac palam solemni hominū cœ- " tu culta & honorata. Quæ sine dubitatione al- " tera est ineptia. Probatum est quippe Ecclesiā " Christi esse lucernam, non sub modio, sed su- " per candelabrum positam. Ecce ciuitatē super " montem collocatam, quæ abscondi nō potest. " Quare si fateantur Caluiniani suam sectā non " semper luxisse, nec semper fuisse cognitam, fa- " teantur etiam necesse est non esse veram Ec- " clesiam. Facilius est, inquit Chrisostomus, so- " lem extingui, quàm Ecclesiam obscurari. "

THESIS CVII.

Deinde petendum est ab eis, quo tempore " eorum secta in tenebris sepulta erat, vtrum "

„ Deus aliam Ecclesiam, in qua homines salua-
„ rentur, in illius locum suffecerit: donec Gene-
„ uensis in lucem prodiret. Illi verò ne dicant
„ Deum in necessariis rebus nobis defuisse, ad-
„ mittunt ab eo interim de Ecclesia Catholica
„ nobis fuisse prouisum. Sed hoc insulsè & con-
„ tra se dicunt. Nam palam vociferantur Calui-
„ niani, Ecclesiam Catholicam ante multa secu-
„ la fuisse superstitionibus ac innumeris errori-
„ bus inquinatam ac corruptam. Quod si verum
„ est, inops consilij fuerit Deus, qui Ecclesiam
„ errorum ac falsi cultus plenam, ad hominum
„ salutem ordinauit.

THESIS CVIII.

„ Ad hæc Ecclesiam Catholicam fuisse à Deo
„ institutã, vt ab ea homines intereà viam salutis
„ perdiscerent, & eam in fide erasse, pugnãt in-
„ ter se. Nam præterquam quod sequeretur, non
„ rectè Christum suam remp. ordinasse; Deus a-
„ pertè nos decepisset, iubendo vt ab ea Ecclesia
„ quæ versaretur in terris, viam ac beatitudinem
„ disceremus.

THESIS CIX.

„ Rursum ex horum doctrina sequitur. Quum
„ Ecclesia Catholica sit eadẽ, iam post ortã Ge-
„ neuẽsem, quæ fuit anteà, in ea etiã nunc homi-
„ nes salutẽ adipisci posse æternã. Nisi fortè ve-
„ lint dicere Caluiniani: Quũ primùm apparuit
„ noua hæc Geneuensis aurora, & nouũ sit iam
„ extructum ædificiũ: nõ amplius licere in nocte
„ versari, & in veteri à Deo abrogato domicilio
„ commorari. Sed dicant obsecro, qui hæc effu-
tiunt.

tiunt. Quonã pacto hoc Dei cõciliũ perspectũ habeãt? Quũq; asserant nihil esse affirmãdum, quod in scriptura non sit proditum, vbi scriptura hoc affirmet, ostendant. Et in quo eius loco de reprobatione Ecclesiæ Catholicæ agatur. Nusquam profectò. Quare meritò Catholici possunt dicere, manendum sibi esse in veteri ædificio, donec constet velle Deum, veteri relicto esse nouo vtendum.

THESIS CX.

Atenim inquiunt Caluiniani, nostra Geneuensis Ecclesia, non nouum, sed antiquum dici debet ædificium, quippe quod ab Apostolis ædificatum sit. Iam verò tantùm restauratum. Verùm hinc potius colligitur, huiusmodi sectam nullo modo esse Christi Ecclesiam. Nã si aliquo tempore hoc ædificium derutum fuit atque desertum, non est vera Ecclesia, aduersus quam vt Christus prædixit, nulla iniqua potestas præualet, & in qua Spiritus sanctus semper mansit ac manebit. Nã Christus suam sponsam, quam diligit, ac sibi in fide desponsauit in æternum, castigat quidem, sed non deserit ac repudiat.

ANALYSIS.

Si successio nulla intermissione temporum interrupta, quemadmodum demonstrauimus, verum est atque perpetuum Ecclesiæ symbolum: & secta Geneuensis interruptam

successionem non habet: profectò secta Geneuensis non est Ecclesia. Neque potest suis omnibus argumentis caussam suam adiuuare: vt nostra refutatione confirmamus.

REFVTATIO.

Antequam ad disputationem κατασκευαστικὴν accedat Iesuita, demõstrétque Romanam Ecclesiam, pro vera & legitima Ecclesia esse habendam: propterea quòd si examinetur ad omnes notas, in quibus explicandis & confirmandis egregiè sibi esse versatus Sophista Pinellus existimat: inter signum & rem signatam inuenietur admirabilis conuenientia & consensio: ad differendi rationem ἀναστευαστικὴν aggreditur, & probare contendit, cum symbolis quæ ipse proposuit nostras Ecclesias nihil habere commune: ideóque ex Catalogo Ecclesiarum esse delendas: nisi fortè velimus eam fateri Ecclesiam esse, cui vera genuináque signa Ecclesiæ accommodari non possunt. Et si totum illud differendi genus facilè prætermitterem, vtpote in superiorum Theseων diiudicatione satis superque refutatum: nihilominus ad vberiorem argumenti, quod tractandum suscepimus, explicationem Iesuitæ vestigia persequuti, hac etiam opera, in Theologiæ candidatorum gratiam, libentissimè defungemur. Itaque hoc in primis stabilitum sit atque fixum, notas Pinelli esse ineptas, & ad Ecclesiam demonstrandam pessimè comparatas: quod

quod spero mihi omnes concessuros, qui attentè & religiosè meam Pinellicorum signorum confutationem expenderint. Quamobrem, si Ecclesiis ex verbo Dei reformatis concederemus, signa illa, vt à Pinello explicantur, minimè conuenire: quòd ad diiudicandam Ecclesiam inepta sint: non video qua se tandem ratione posset expedire Iesuita, aut quibus artibus confidere: nisi ex Scriptura, quod nunquam est facturus euinceret, quas nobis Ecclesiæ notas inconsideratè & imprudenter obiecit, ad cognoscendam Ecclesiam perpetuò & necessariò flagitari. Sed ne Pinellum disputationis aditu arcere videamur, si tam enucleatè velimus hominis sophisticem excutere: agè audiamus quomodo signa commentitia Ecclesiis nostris extorqueat, & Romanæ synagogæ pro imperio adiudicet. Ac primum dissimulare non possum, te ad tantam cõtrouersiam aggredi non debuisse, quin saltem esses à cognitione aduersarij paratior: Quid enim hæc sibi verba volunt. Secta Geneuensis, Ecclesia Geneuensis, Caluiniani, &c. Vobis certè nulla fit iniuria, quum Romani sectarij, Papistæ, Pontificij appellamini, propterea quòd non erubescitis vnius corruptissimæ contaminatissimæque vrbis mœnibus, Ecclesiæ vniuersalis nomen atque rationem includere: & ab vnius hominis (at cuius hominis) sed tamen ab vnius imperio & nutu, in rebus quæ fidem religionémque constabiliunt pendere. Nos verò

neque Geneuam pro Hierusalem terrestri agnoscimus, neque ab vnius Caluini ore pendemus: quamuis & Geneuam pro Ecclesia singularibus Dei donis, velint nolint Pontificij, exornata: & Caluinum pro fidelissimo & doctissimo Dei seruo, libẽtissimè amplectamur. Sed tãdem audiamus quid obiicias. Successio nulla intermissione temporum interrupta, est signum Ecclesiæ: successione perpetua destituuntur Caluiniani: Ergò Caluiniani non sunt vera Ecclesia. Hîc multa sunt quæ requiram. Illud etiam pro signo Ecclesiæ vsurpas quod est longè obscurissimum: deinde non definis, quum successio & doctrinæ sit & personarum de quanam successione loquare: Adhæc principium petis, quum affirmas Ecclesiam ex Dei verbo repurgatam successione carêre. Postremò non satis accuratè & fideliter nostrorum hominum scripta vel laudare soles, vel expendere. Quæ omnia breuiter explicanda sunt. Successionem Ecclesiæ notam esse non posse suprà confirmauimus, quòd nulla sit Ecclesia, cui successio illa Episcoporum, & aspectabilis conseruatio, de qua certum est Pinellum reliquos sequutum Pontificios intelligere, promissa sit: quod in sacris literis ne apex quidem de nota illà extet: quódq; tota illius ratio pendeat à veritate atque integritate doctrinæ. Videmus enim quotidie orthodoxas Ecclesias deficere, & antiquis temporibus experientia comprobatum est, vniuersum gregem cum pastoribus ad hæresim posse delabi, eadem manente. aspectabilis Ecclesiæ forma exterior.

Quid tu obsecro Pinelle, fidelibus qui tunc erant consilij dedisses? An successionem personarum atque perpetuitatem Ecclesiæ considerandam esse præcepisses? Atqui facillimè isti hę retici personarũ successionem, & visibilis Ecclesiæ formam exteriorem, ab ipsis vsque temporibus Apostolorum repetitam, demonstrassent. An religionis & fidei, vt in re parũ Theologica parum Theologicè loquar, interregnũ denuntiasses, donec illæ tandem Ecclesiæ conciderẽt, itaque probarent se pro veris & orthodoxis nequaquam esse habendas? At primùm illud est à Christianæ fidei certitudine & firmitate vehementer alienum, & in Theologia nõ iam error sed flagitium. Deinde quàm misera fuisset eorum conditio, qui hæreses maximè impias in florentissimis Græciæ Asiæque ciuitatibus grassantes perpessi sunt. Itaque quum satis exploratum sit quemadmodum posteà tristissimo Ecclesiæ Romanæ exemplo demonstrabimus: personalem successionem certam & immutabilem non esse notam orthodoxæ illius Ecclesiæ, quam pro vera esse audiendam confitemur: propterea quod & probi pastores improbis, & improbi probis, & hæretici orthodoxis, & orthodoxi hæreticis succedere possunt: & greges ipsi vel pastores imitati, vel vt prophetat Paulus, coaceruantes sibi doctores secundùm peculiares suas cupiditates à veritate deficere: caussa non erat cur tantopere Pinellus personarum successionem vrgeret, à nostrisque Ecclesiis tanquam omninò

necessariam, & autoritate verbi diuini subnixam efflagitaret. Nec tamen intellig imus, ne fallatur Iesuita quum istiusmodi personarum successionem, à Pontificiis tam elatè támque magnificè laudatam & comprobatam repudiamus: nos Ecclesiam sine hominibus & omninò imaginariam cõstituere: quod cum est à veritate alienum,& contra Ecclesię naturam & rationem, ita longè à sententia nostra dissidet. Fatemur enim promissionem illam excellentissimam & maximè salutarem,hominibus esse factam: qua Deus se fœdus, quod nobiscum pepigit, semper atque inuiolatè conseruaturũ pollicitus est:verumenimuerò distinguenda est, quod minimè faciunt Pontificij, εἰδώλου Ecclesiæ forma & ratio: ab ea vt ita dicam figura & imagine quæ extrinsecus Ecclesiam vestit & adumbrat. Confirmauimus enim depromptis ex vtroque fœdere perspicuis & illustribus testimoniis: Ecclesiam intercidere non posse: aspectabilem autem Ecclesiæ formam, quæ prædicatione diuini verbi & administratione Sacramentorum continetur, Deo peccatis hominum irato, & mundi ingratitudinem atque impietatem seuerè vlciscente,nonnunquam interrumpi: quum tamen interea Deus, pro infinita sua & incomprehensibili sapientia electis prouideat extra ordinem, quod tibi non debet mirum videri, qui eos etiam,quos ab Ecclesia excludis, vt ad corũ cognitionẽ perueniãt, quæ sunt ad salutẽ necessaria,Dei prouidẽtię relinquis, Th. LXII.

Itaque

Itaque possum ex tua ipsius sententia euidentissimè contra te argumẽtari hunc in modum. Si promissio illa, quam tantoperè vrgetis de perpetua commoratione Spiritus inter homines, ad electos tantùm pertinet, quemadmodum causſa electorum facta est: & electi possunt esse extra Ecclesiam,vt in Thesi quam ciuimus ostendis: Ergo Ecclesiæ perpetua & interrupta successio,vt nobis semper adsit Dei Spiritus non est necessaria. Nos verò inerauditam istiusmodi formulam tibi relinquimus, nempe quosdam seruari posse extra Ecclesiam: sed visibilem & inuisibilem Ecclesiam,aut potius interiorem & exteriorem Ecclesiæ formam vt eos decet,qui Analyticè disputant,accuratè distinguimus. Quare notam Ecclesiæ à Pinello explicatam &comprobatam,huiusmodi esse cõcludamus necesse est, vt falsa sit, ἀθεόλογος,inepta,commentitia,& ad Ecclesiam demonstrandam minimè omnium accommodata. Et vt ordinem à nobis præfixum disputationi sequamur, ne ipse quidem Pinellus negauerit duo esse successionum genera: vnum doctrinæ, alterum personarum. Neque illud etiam reuocabitur in dubium à Pontificiis,doctrinę successionẽ pluris esse faciendã,quàm sit personarum successio. In re tam perspicua & illustri non est opus argũmentis,quæ si afferre vellemus non deficerent. Cur enim orthodoxæ dicuntur Ecclesiæ?cur earum vocem audire iubemur à Deo? Cur denique nobis est ad salutem necessarium pacẽ cum Ecclesiis colere?

piandum autem exitio æterno si ab illis deficiamus? Tantáne in hominibus est autoritas vt mortem sempiternam iis qui ipsi aduersantur instigat, vita autem æterna coronet eos qui ipsis morē gerunt & obtēperant? Minimé profectò. Sed pulcherrima istiusmodi encomia Ecclesiæ attribuūtur, propterea quòd salutis doctrinam prædicet, custodiat, obseruet, Sacramentis denique inter homines sanciat. Quamobrem efficitur necessariò in primis rationem doctrinæ habendam esse, vt vera Ecclesia iudicetur illa, cuius dogmata omnia cum Scripturarum veritate ad vnguem consentiunt. Ita vt meritò hanc disserendi & argumentandi rationem repudiare Pinellus non possit: nisi autoritatem sacrarum literarū euellere conetur. Sic ergò breuiter colligamus. Si doctrinæ successio præferenda est successioni personarum: & Ecclesiæ ad diuini verbi præscriptum reformatæ, successionem doctrinæ amplectuntur: Pontificij autem successionem personarum: certè successio quæ locum habet in Ecclesia ex Dei verbo reformata, pluris est facienda, quàm illa quæ obtinet inter Pontificios. Sin autem negas nos habere successionem doctrinæ, sunt in medio scripturæ, quibus istam controuersiam dirimere magis oportet, quàm de Ecclesia tot libris editis multùm diúque frustrà digladiari. Stat enim apud me, adeóque omnes Christianos sententia: illum minimè audiendum esse, qui scripturam sibi non putat esse audiendam. Restat vt excutiamus ea, quæ nostris

nostris çalumnioſe obiicis. Vbi ante ſexaginta annos, inquit, Caluinianorum Eccleſia erat? vbi eorum doctrina ac religio in ſuo ſtatu conſeruabatur? Vobis certè iſta opponere iure optimo, & facillimè poſſumus, qui nullam eſſe inter homines creditis Eccleſiam, niſi ſub aſpectum reliquóſque ſenſus veniat. Vbi enim veſtra deliteſcebat Eccleſia, priuſquàm fatalis Tranſſubſtantiatio è doctorum malè feriatorū diſputationibus emergeret? antequam Papa Eccleſiæ Dei iugum impoſuiſſet? priuſquam adoratio ſanctorum: miſſæ ſacrificium & oblatio: purgatorij flammæ: commentitia Sacramenta: meriti encomium: & cætera eiuſmodi penè infinita monſtra luctuoſiſſimo atque infœliciſſimo partu in lucem prodiiſſent? Vbi veſtra inquam mendacia, ſuperſtitiones, blaſphemiæ, ſacrificia docebantur? Impudenter facis omninò Pinelle, aut potius egregiè monachi perſonam & Ieſuitæ ſuſtines, qui Eccleſiæ noſtræ rationem à nobis repoſcas, quum tuæ non poſſis reddere. Nec minùs falſò doctoribus noſtris obiicis, eos nimirùm Eccleſiam Catholicam vocare, habita tantùm ratione conſequentis temporis: quæ antecedentia & conſequentia ſecula, vno tenore complexa, cū præſenti connectit. Quid enim? an diuini fœderis æternitatem non agnoſcimus? an Eccleſiæ Catholicæ autoritati derogamus? an denique, vt vos Pontificij ſoletis, ad vnius fidem vrbis, omnium quæ vbique ſunt Eccleſiarum dogmata exigimus? Noſtra igitur non eſt ſen-

tentia Ecclesiam vniuersalem consequentis duntaxat temporis ratione considerandam esse: quæ profectò Catholica non esset, nisi omnes omnium & temporum, & gentium fideles contineret. Sit ergò prima obiectio ψευδογράφημα Iesuiticum. Posteà responsionem illam exagitas, quæ inter visibilem & inuisibilem Ecclesiam distinguit. Quæ sine dubitatione, inquis, altera est ineptia. Probatum est quippe Ecclesiam Christi esse lucernam non sub modio, sed super candelabrum positam. At quibus argumentis? certè qui peccarent πρὸς τὸ πρὸς τὶ ἁπλῶς λεγόμενον. Locus enim Matthæi ad Apostolos præcipuè referendus est, qui erant à Domino excitati extra ordinem, vt orbem terrarum longè latéque illustrarent. Hi profectò latere non potuerunt, sed omnino erat necesse vt clarissimum & splendidissimum Euangelicæ doctrinæ iubar vbique diffunderent. Nec tamen inficiari possum quibuslibet munus illud impositum fuisse à Deo, vt pro ratione vocationis suæ dēt operam, ne pristinus Ecclesiæ splendor hebescat: sed imperitè omnino faciunt qui florentis, & vt ita dicam arescentis Ecclesiæ conditionem distinguere aut nolunt, aut non possunt. Itaque non benè colligit Pinellus, aut semper luxit Ecclesia, aut Ecclesia semper non fuit. Exterior enim forma non tollit naturam Ecclesiæ. Nam verum quidem est, splendidam & illustrem esse non posse Ecclesiam, nisi ipsa sit in primis Ecclesia: sed falsum est, non posse Ecclesiam esse nisi splendida

dida sit & illustris, & vt Pontificij sentiunt, & loquuntur, in omnium oculis & aspectu collocata. Ratio est quia nullum est accidens nisi in subiecto: subiectum autem esse potest sine multis accidentibus. Splendor autem & visibilitas, est accidens Ecclesiæ, non ipsa substantia. Quî fit vt sua spontè concidat μυκτηρισμὸς ille potiùs quàm συλλογισμὸς. Petendum est ab eis, quo tempore eorum secta in tenebris sepulta erat, vtrum Deus aliam Ecclesiam in qua homines saluarentur suffecerit, donec Geneuensis in lucem prodiret. Bona verba Pinelle. Non ij sumus qui aliam Ecclesiam efflagitemus à vobis, quàm Apostolicam. Cur inuidiosè nos traducis, tanquam si veteribus neglectis & contemptis, noua & recentia conquireremus? sed quibusnam obsecro mendacium antiquitatis honore commendatur, veritas nouitatis dedecore conspergitur? Manebit tamen, velitis, nolitis, certa, immutabilis, æterna, prophetarum & Apostolorum monumentis consignata veritas. Neque vt Romana Ecclesia cōcidat, quemadmodum iusto Dei iudicio, vestras superstitiones atque blasphemias seueriſsimè vlciscente, propediem illam esse ruituram speramus & optamus: Deo vnquam defutura sunt instrumenta, quibus constitutum atque definitum, ante iacta mundi fundamēta electorum numerum, ex omnibus seculis & gentibus colligat. Idem est igitur error qui suprà, nempe quid ditatis ipsius Ecclesiæ, cum exteriori forma confusio. Deinde non solemus

dicere Catholicam Ecclesiam in fide errasse, sed Romanam duntaxat. Nec vera est obiectio Pinelli, vniuersam Ecclesiam se ad Romanam adiunxisse, quum nemo esse possit, qui vt iam dixi, sæpenumero propter vniuersalis rationem atque naturam, hac de re compertum habeat & exploratũ. Vrget adhuc Pinellus: Deus, inquit, apertè nos decepisset, iubendo vt ab ea Ecclesia quæ versaretur in tenebris viam ad beatitudinem disceremus. Facilis est atque obuia responsio. Quandiu Ecclesia verbum Dei docet, audienda est: quum verò se à verbo Dei seiungit, nulla est illius autoritas. Neque enim nos Deus præcisè voluit à iudicio pendere aut pastorum, aut Ecclesiarum, aut denique Synodorum quantumlibet generalium: sed normam sui verbi omnibus proposuit, ad quam dicta factáue omnia seuerè exigerentur. Itaque qui nos iubet Christus audire Pharisæos super cathedram Mosis sedentes: idem præcipit vt à fermento Scribarum & Pharisæorum abstineamus. At Pharisæi docebãt in Ecclesia: verum id quidem est, sed Dei autoritatem, quæ ex ipsius verbo petenda est, longè autoritati & pastorum & Ecclesiæ anteponere debemus. Sed hominibus quid fiet, ais, & quomodo Deus ipse inops consilij nõ fuerit, quum Ecclesia quam constituit ad salutem, ipsa nobis caussa sit exitij. Non te pudet blasphemiarum Pinelle, quas quidem si matura & seria pœnitentia non deprecaris, non sinet inultas esse Dominus. Sed ad rem. In hoc argumento, Ecclesiæ

clesiæ nomen designat eum à Deo constitutum ordinem, quo & ipsius verbi & Sacramentorum fiamus participes. Accidit autem hominũ vitio vt ille ordo planè diuinus, & maximè salutaris interdum corrumpatur, & falsa doctrina in locum veræ succedat, vt singulis ferè vniuersalis Ecclesiæ periodis vsuuenisse, à nostris hominibus accuratè probatum est. Hîc tu quid accusabis? ordinémne à Deo ad salutem generis humani præscriptum & stabilitum: an potiùs extremam hominum ingratitudinem & malitiam? Igitur si te audiamus, Deo nefas erit, ne pactum violet si homines sacrosancto ipsius verbo insolentissimè abutãtur mysteria cœlestia ex tam profanis manibus erepta in libertatem asserere. At contradictionis alteram partẽ esse verã illustribus exemplis confirmatũ est, vt hac de re dubitari nõ possit. Error est: ὧδέ τὸ πρὸς τι ἁπλῶς λεγόμενον: Item, ψευδὸς σόφισμα in Theologia. Deus enim nõ præcepit vt vel Pastori, vel Ecclesiæ morẽ geramus ἁπλῶς, sed καθ' ὅτι, nempe quatenus à Deo sunt instituti ad veritatem Euangelij promulgandam, & suo munere fungentes, arcana cœlestia inuiolatè conseruant. Perstat Pinellus. Quum eadem sit Ecclesia Catholica, inquit, quæ fuit antequam secta Geneuensis oriretur, ex horum doctrina sequitur, in ea etiam nunc homines salutem adipisci posse æternam. Cur aduersus vmbram tuam digladiaris Iesuita Pinelle? Quis enim nostrûm inficiatus est vnquam, homines in Ecclesia Catholica salutem

olim esse consequutos, & nunc etiam consequi? Nósne Pontificem imitati Romanum, quotidiè multiplices figimus & refigimus æternæ salutis adipiscendæ leges? Nósne vniuersalem Ecclesiam sempiterno addicimus exitio, nisi vnius homunculi doctrinam approbare velit, & blasphemi pectoris scrinium, tanquam si oracula cœlitùs effunderet, adorare? Sed nimirum nulla tibi esse videtur Ecclesia Catholica, si Romanam exceperis: quæ quidem si Apostolicam & orthodoxam fidem coleret, particularis tantùm Ecclesia & esset & haberetur: nunc autem fide violata, & contempto Dei verbo, Ecclesiæ nomine indigna est. Itaque quidquid de nouo & veteri ædificio garris, meræ sunt ineptiæ.

THESIS CXI.

„ Alterum signum ante scripturâ probatum „ est, vt Ecclesia sit vbique. Quod est esse Catho „ licam siue vniuersalem ratione loci. Qua nota „ sectam Geneuensem carere, non est difficille „ probare: quum manifestum sit eam esse ex pau „ cis exulibus, & profugis conflatam, & in terræ „ angulo delitescere. Vnde ineptè clamant, pe„ nes se tantùm esse Christi Ecclesiam. Quibus „ illud optimè cõuenit, quod olim Optatus Mi„ leuitanus Donatistis idem de se iactantibus „ obiecit. Ergò in particula Africæ inquit, in an„ gulo paruæ regionis erit, in Hispaniis, in Ita„ lia, in Gallia, vbi vos non estis, non erit. Vbi „ ergo erit proprietas Catholici nominis, quum inde

inde dicta sit Catholica, quod sit rationabilis, " & vbiq; diffusa? Itaq; si penes Caluinianos esset " Ecclesia, nõ benècõsultũ esset Gręcis, Ægyptiis, " Afris, & Indis, cæterísque nationibus, quibus " nondum Euangelium Geneuense innotuit. "

THESIS CXII.

Verumenimuerò illi vt ostendant suam sec- "
tam esse longè latéq; propagatam, aiunt eam "
à Lutherana quæ est in Germania nihil dis- "
crepare. Egregiè sanè, quasi verò propterea Ca "
tholica dici debeat. Nam nec Germania tota "
infesta est hæresi, nec Lutherani pro fratribus "
Caluinianos agnoscunt. Iam licet vtrunque ve "
rum esset, non tamen eorum secta Catholica "
dici posset. Non enim Germania vniuersum "
orbem efficit, à quo sancti patres Ecclesiam "
dictam esse Catholicam volunt. Si Dei est, in- "
quit Chrysostomus, vna est non Corinthi so- "
lùm, sed vniuersi orbis. Theodoretus quoque "
vna quidem inquit, per totum orbem atque "
mare est Ecclesia. Augustinus denique ac alij, "
quos in præcedenti capite citauimus, idem af- "
firmant. "

THESIS CXIII.

Alia verò ratione idem ministri argumen- "
tum hoc dilui putarunt. Ecclesiam nempè dici "
Catholicam siue vniuersalem, ratione loci, eo "
quod nulli certo loco, vrbi, vel prouinciæ sit "
alligata: sed eatenus dicitur sparsa per totum "
mundum, quatenus Christus in cœlo & in ter- "

„ ra, sibi datam potestatem esse dixit. Verùm ne
„ que hoc facit, vt Ecclesia sit vbique siue Catho
„ lica. Nam rex quidpiam quod nulli loco, vrbi,
„ vel prouinciæ sui regni sit affixus, posítque in
„ qua regni parte collibuerit commorari, non
„ ideò ratione suæ personæ, in omni regni sui
„ parte esse dicitur. Neque quod Christo data
„ sit potestas in cœlo & in terra, facit vt Eccle-
„ sia vbique sit vel Catholica, sed efficit tantùm
„ vt possit vbique esse. Ex quo manifestum est,
„ sectam Geneuensem nec esse nec dici posse
„ Catholicam.

ANALYSIS.

Ecclesiæ signũ est vt ea sit vbique: Secta Geneuensis non est vbique. Igitur secta Geneuẽsis non est Ecclesia. Item, Lutherani & Caluiniani inter se dissentiunt. Ergò vbi sunt Lutherani, Caluinianos esse minimè existimandũ est. Item, Germaniæ portio, & angulus terræ, quem Lutherani & Caluiniani occupant, non est orbis vniuersus. Item, falsò interpretantur Caluiniani nomen Ecclesiæ Catholicæ, quasi illa demum esset Catholica Ecclesia, quæ non reuera per totum orbem terrarum esset diffusa, sed quæ diffundi posset.

REFVTATIO.

Controuersia de diffusione vniuersalis Ecclesiæ, ad exitum facillimè perduci potest si expendamus qua tandem ratione Pinellus Catholicam Ecclesiã vbique diffusam esse velit.

Tunc

Tunc enim fiet manifestum, quàm nota illa, vt leuissimè dicam, parum sit accommodata, ad veram germanámque Ecclesiam demonstrandam & arguendam. Itaque in vestibulo disputationis, quænam sit Pinelli sententia, eius inter se scriptis conferendis aperiẽdum est. Nobis opponit in primis Ecclesiam in qua & docemus & viuimus, minimè esse Catholicam ratione loci. Quamobrem obsecro? Quia, inquit, vbique diffusa non est. Igitur si Pinellum audiamus, ea demum habenda est Catholica Ecclesia, quæ vbique diffusa est. Adhæc vniuersalem diffusionem illam pro nota Ecclesiæ constituit: vt nulla iure haberi possit Ecclesia, quæ per totum terrarum orbem non sit propagata. Nimis profectò confidenter ab Ecclesia notam exigit Pinellus, quam ex Scriptura demonstrare non potest. Si enim petimus ab homine, qua tandem autoritate sacrarum literarum Ecclesiæ notam à se tantoperè cõmendatam fulciat: verba illa Christi laudabit: Euntes in mundum vniuersum prędicate Euangelium omni creaturæ. Item, ex Dauidis Psalmo, In omnem terram exiuit sonus eorum, &c. Atqui testimonia illa demonstrant quidem annuntiandum esse vbique terrarum Euangeliũ: sed diffusionem illam Euangelij semper in toto orbe absque vlla interruptione mansuram minimè probant. Imò si Christum exaudiamus apud Matt. cap. 24. de hac re differentem, diffusio Euangelij per vniuersam terram, & finis seculorum inter se copulanda sunt. Itaque

contra Pinelli ratiocinationem hunc in mo-
dum argumentari possumus. Si Christus qui
est ipsa veritas, tunc demum venturam esse
consummationem seculorum prædixit, quum
Euangelij prædicatio vniuersum terrarum or-
bem fuerit emensa: & vt Pinellus existimat,
nulla est habenda vniuersalis Ecclesia, nisi quæ
ratione loci totum orbem terrarum complexa
sit: Ergò nulla est habenda vniuersalis Ecclesia
ante consummationem seculorum: Et vi con-
sequentis, cùm nulla fuit ad nostram vsque æ-
tatem Ecclesia Catholica, tùm diffusio illa,
quã vrget Pinellus esse nequit genuinæ verę-
que Ecclesiæ nota & symbolum. Præterea
non animaduertit Sophista, se dum illam loci
vniuersalitatem vrget, ipsius Ecclesiæ Catho-
licæ incunabula tollere. Quæramus enim à
Pinello: Num Hierosolymitana Ecclesia, quæ
prima Petrum docentem audiit: num Antio-
chena, cui nomen Christianorum suam origi-
nem debet: num Corinthiaca, vbi excellentis-
simus ille Gentium Apostolus Euangelium
magnificentissimè promulgauit, habenda sit
Ecclesia Catholica? num veris & illustribus
Ecclesiæ notis exornata & insignita fuerit?
At nondum Euangelij prædicatio vniuer-
sum orbem terrarum peruaserat. Deinde sa-
tis superque hodierna experientia compro-
bat, infinitas penè nationes inueniri, quæ
si ratio Pinelli obtineat, vniuersalitatem
Ecclesiæ refellant. Metitur enim Ecclesiam
Pinel-

Pinellus forma exteriore ac visibili, quæ pro-
fectò semper vbique non extitit: quemadmo-
dũ & noua orbis descriptio, & ne longiùs ab-
eam, Græci Asiaticique & Africani populi lõ-
gè latéque dispersi, abundè testantur. Sit igi-
tur hoc vitium ψευδεπιγραφία vocabulorum Ec-
clesiæ & Catholicę. Postremò sibi etiã & Pon-
tifici Romano Pinellus adulatur, qui existimat
Ecclesiam ex verbo Dei, à sordibus quas & mo
nachi & papæ inuexerant perpurgatam, adeò
breuibus circunscribi terminis, vt in aliquot
Germaniæ oppidis & Geneuę tantùm recepta
sit. Attolle oculos Iesuita, & si potes intuere
Galliam, Germaniam, Scariam, Sarmatiam,
totam denique Europam: vbi complures flo-
rentissimæ per Dei gratiam & misericordiam
Ecclesiæ superstitiones Põtificémque ipsum detestantur: votisque ardentibus
efflagitant à Deo, vt immane illud idolum,
quod aduersus Euangelij doctrinam insurgit,
tandem corruat.

THESIS CXIIII.

Quod autem neque Apostolica sit, quæ erat « tertia Ecclesiæ nota, iam ostendendum est. « Dicant igitur noui isti Christiani: vnde eam « Apostolicam esse norunt. Nam si Tertullia- « no, si Irenæo, si Optato, si Augustino, a- « liisque sanctis ac doctis patribus credendum « est, vnica via, eáque certissima ad hoc pro- «

„ bandum est pastorum in eadem fide suc-
„ cessio.

THESIS CXV.

„ Age verò cui successit Beza, qui pastorem
„ Geneuæ recens illuminatæ & esse & habe-
„ ri vult? Caluino dicent. Rectè quidem. Sed
„ Caluinum quis antecesit? Nisi Lutherum
„ in medium afferant, commemorare poterunt
„ neminem, neque si alios recenserent caus-
„ sam suam confirmarent. Non enim persona-
„ rum sola successio, est certa Ecclesiæ Apo-
„ stolicæ nota, sed successio personarum ean-
„ dem fidem & doctrinam profitentium. At
„ pastor Geneuensis Ecclesiæ, ante sexaginta
„ annos longè aliam profitebatur fidem.

THESIS CXVI.

„ Verùm ad hoc argumentum ex successio-
„ ne ductum, respondent ministri Caluini eo
„ argumento Patres contra Donatistas &
„ alios hæreticos esse vsos, iam verò id non
„ habere vim contra se, qui (vt de se testan-
„ tur) non nisi verum affirmant. Cuius certè
„ responsionis vehementer eos puderet, si sci-
„ rent, quid sit petere principium, & quàm
„ turpe sit & indoctum inter disputandum
„ illud erroris genus. Argumentum enim san-
„ ctorum Patrum probat eam non esse veram
Eccle-

Ecclesiam in qua non est pastorum in eadem «
fide successio: illi verò respondent hoc argu- «
mentum non valere contra se, eò quòd sint «
veri pastores & Ecclesiam veram habeant. «
Quid absurdius dici poterat?

THESIS CXVII.

Reliqua est vna illis elabendi via, vt dicant «
suam religionem dici Apostolicam, eò quòd «
ad formam Apostolicam instaurata sit, Apo- «
stolorúmque doctrinam ac mores retineat, «
id quod passim iactare solent. Verùm ita «
simplices & incauti non sumus, vt ista no- «
bis persuadeant. Apostoli enim in Spiritu «
sancto, qui in eis loquebatur, & vitæ exem- «
plo, absque vllo bellorum tumultu Euange- «
lium promulgarunt ac populos conuerterunt, «
conuersásque ciuitates in potestate domino- «
rum reliquerunt, ægrotos curarunt, pluri- «
mósque vita defunctos ad eam reuocarunt. «
At postquam cœpit hæc secta Caluini, quot «
sunt excitati tumultus? quot ciuitates non «
tantùm peruersæ, sed etiam vel penitus e- «
uersæ, vel suis dominis ereptæ? Non ita «
Isaias & Michæas, qui non bellum sed pa- «
cem Christi Euangelij signum esse volue- «
runt. Conflabunt, inquiunt gladios suos in «
vomeres, & lanceas suas in falces. Paulus «
quoque eos qui fuerint aliquo delicto præ- «
occupati, monet in spiritu lenitatis esse in- «

„ ſtruendos. Itaque qui iſta ſciens viſum te-
„ neat, audiens Caluinianos velle Apoſtolicos
„ haberi, quum eorum facta Apoſtolorum fa-
„ ctis ſunt omninò contraria?

THESIS CXVIII.

„ Denique Apoſtoli imagines ad pietatem
„ Chriſtianam retinendam & augendam fieri
„ voluerunt. Caluiniani verò magis auro & ar-
„ gento imaginum, quàm imaginibus bellum
„ inferentes, palàm eas eſſe idola vociferan-
„ tur. Sed faciamus eſſe idola (quæ tamen mi-
„ nimè ſunt) num vi armorum & fanorum di-
„ reptione frangendæ ſunt? An hoc lex cha-
„ ritatis quæ benigna eſt iubere poteſt? Nón-
„ ne Apoſtoli in ciuitatibus idolorum plenis
„ fidem prædicarunt? Nunquid ipſi vi armorum
„ vel templa diripuerunt, aut idola commi-
„ nuerunt? Nónne Paulus Athenienſium vr-
„ bem idolorum plenam reperit? Nunquid
„ furioſo quodam, & veſano impetu in ea ir-
„ ruit: & non potius egit rationibus validis, mi-
„ tíque adhortatione eos ab idololatræ ſuper-
„ ſtitione reuocare inſtituit? Non hic fuit
„ Apoſtolorum ſpiritus, non hi mores, ſed
„ Spiritus ſancti & verbi diuini efficacia ad
„ fidem idololatræ conuertebantur, qui con-
„ uerſi per ſe ipſi ſua idola comminuebant.
„ Vnde pulchrè Auguſtinus. Multi pagani, in-
„ quit, habẽt iſtas abominationes in fundis ſuis,
nunquid

nunquid accedimus & confringimus? prius e-
nim animus, vt idola in cordibus eorum con-
ſtringamus: quando Chriſtiani & ipſi facti fue
rint, aut inuitant nos ad tam bonum opus, aut
præueniunt nos. Modo eſt orandum pro illis,
non iraſcendum illis. Hæc Auguſtinus. Quare
ſecta hæc Apoſtolica nullo modo dici poteſt.

ANALYSIS.

Ea demum Eccleſia eſt Apoſtolica, quæ ſuc
ceſſionem habet ab ipſis Apoſtolis continua-
tam: ſecta Geneuenſis ciuſmodi ſucceſſione
caret. Igitur ſecta Geneuenſis non eſt Apoſto-
lica Eccleſia. Item, Apoſtolica Eccleſia imita-
tur doctrinam & mores Apoſtolorum: ſecta
Geneuenſis neque doctrinam imitatur, neque
mores Apoſtolorum. Igitur ſecta Geneuenſis
non eſt Apoſtolica Eccleſia.

REFVTATIO.

De perſonarum ſucceſſione purgauimus,
quam neque vt ſuo loco demonſtrabimus, qui
eam vrgent maximè, habent Pontificij: tùm
quòd à doctrina Euangelica mirum in mo-
dum diſcrepent: tùm quòd inter ſe mini-
mè omnium conſentiant. Itaque tuum illud
πῦσμα, quod tu vehementiſſimum arbitraris,
ſua ſponte cõcidit. Quæris cui ſucceſſerit Beza?
cui Caluinus? cui Lutherus? cui eruditiſſimi illi
& ſingulari tùm pietate, tùm modeſtia, tùm
zelo præditi homines ſucceſſerint, quibus

ad profligandam veſtram idolomaniam Deus eſt ad hodiernum vſque diem vſus admirabili & virtute & potentia. Quaſi verò inter nos conſtet ſucceſſionem perſonarum in Eccleſia perpetuò eſſe,& non Pinellus, quum ad probandam complexionem illud aſſumat, quod eſt maximè controuerſum, τὸ ἐν ἀρχῇ poſtulet. Aduerſus obiectionem,quam ex Patribus depromitis, noſtri homines accuratè & diligenter occurrerunt: quorum veſtigia ſi perſequi vellem, nę facilè oſtenderem te illis,dum iſto modo diſputas,facere iniuriam,quę diſſimulari non poſſit. Sed quos ipſe mihi circundedi cancellos, non eſt animus egredi : præſertim quum teſtimonia ex ſacris literis ſuppetant, quibus firmiſſimè noſtra cauſſa innititur. Cæterùm quamuis per Dei gratiam noſtræ Eccleſiæ morum ſanctitate & præſtantia longè veſtris antecellant, neque recuſemus quin comparatione inſtituta inter noſtram veſtrámque Eccleſiam diſceptetur,quęnam vberiores fructus Euangelij proferat: nihilominus ex doctrina Eccleſiæ quam ex moribus diiudicari, & certius poſſunt & facilius. Itaque ſi Euangelium à noſtris hominibus & ſcriptis & concionibus expoſitum & publicatum,ad normam Euangelij ab ipſis Apoſtolis annuntiati ſeueriſſimè exigatur,ſpero fore vt omnes intelligant quænam noſtra ſit in prædicando Dei verbo diligentia & integritas. Nec te tui Pontificis pudet Pinelle,quum nobis ea quæ in diſſenſione ciuili contigerunt obiicias? Nos ſcilicet

cet in Tiberim coniectis Petri clauibus, enſe Pauli euaginato Italiam, Hiſpanias, Galliam, totum denique orbem terrarum incendio,ſanguine,cadaueribus impleuimus. Nos reges potentiſſimos, ſi obſequi recuſent exautoramus. Nos vt in ſuos Principes coniurationem faciant,populos exhortamur. Nos ad imitationem Apoſtolicæ humilitatis atque modeſtiæ in ſoliũ euecti gemmis auróque radiantes,potentiſſimos Reges & Monarchas contumelioſe ad oſculum pedum adigimus. Et ne ſingula perſequar,tanquam ſi eſſemus Dij,nos pro arbitrio, legem cœlitus acceptam figimus & refigimus. Veſtri ergo veſtri Papæ ambitioſo faſtu crepantes,idolomaniæ turgidi, homicidæ, impij, latrones, libidinoſi, lurcones, ἄθεοι neque Apoſtolorum doctrinam curant, neque mores imitantur. De ciuilibus armis,quum voles diſputabimus,quæ certè nulli quàm veſtro Pontifici, vobiſque adeò monachis accepta ferenda ſunt. Idolorum euerſionem minimè probamus,niſi vt quondam docebat Auguſtinus, autoritate publica, ſuſcipiatur. Ad extremum tibi incumbit,vt demonſtres Apoſtolos imagines in Eccleſia eſſe voluiſſe,quæ quidem Apoſtolorum tempora longo interuallo conſequutæ ſunt.

THESIS CXIX.

Quartum Eccleſiæ ſignum Apoſtolorum « eſſe traditionem probauimus. Non eſſe autem « huiuſmodi notam,in ſecta Geneuenſi liquido « cognoſcetur, ſi quæ ſint Apoſtolorum tradi- «

„ tiones explicetur. Areopagita eorum discipu-
„ lus,& Tertullianus inter traditiones Apostо-
„ licas,præcationes,quæ fiunt ad altare,& obla-
„ tiones pro defunctis numerant. Hieronymus
„ Quadragesimam.Sic enim ad Marcellum scri-
„ bens,ait. Nos vnam quadragesimam secũdum
„ traditionem Apostolorum tempore nobis
„ congruo iciunamus. Ambrosius & Chrysosto-
„ mus ritus celebrandę missæ.Augustinus festo-
„ rum dierum celebrationes. Damascenus ado-
„ rationem ad orientem,crucis venerationes, &
„ aliarum imaginum, quarum honorem proto-
„ typi esse honorem ab Apostolis acceptum re-
„ fert. Quorum omnium nihil esse in secta
„ Geneuensi manifestum est, atque vltrò ipsi
fatentur.

THESIS CXX.

„ Quintum,vnitatem esse diximus non loci
„ vel rationis,sed fidei & diuini cultus. Quæ v-
„ nitas in hæreticorum sectis nullo modo ines-
„ Illis enim nihil esse familiarius,quàm nũquam
„ de fidei articulis inter se conuenire,præter ex-
„ perientiam docent sancti Patres : vt Irenæus
„ de Marcionistis,& Valentinianus,Augustinus
„ de Donatistis,Hilarius de Arrianis. Quod e-
„ tiam hac nostra ætate vsuuenire perspicimus,
„ in qua tot sectas cuique licet intueri : quæ ex
„ vno veræ religionis desertore Luthero, ortæ
„ sunt & propagatæ. Et ne in re clara immore-
„ mur,satis erit in vna re vnicum exemplum af-
„ ferre.Ecclesia Catholica quatuor illorum ver-
„ borum, Hoc est corpus meum:quam primum
ab

ab Apostolis sententiam accepit,eandem sem „
per vnanimi consensu retinuit. Postquàm ve- „
rò Lutherus & Caluinus,nouas erigere Eccle- „
sias cœperunt,ea tã variè ipsi eorúmque secta- „
tores exposuerunt:vt Christophorus Rasper- „
gerus, ducentas interpretationes diuersas col „
legerit,quũ tamen quatuor illa verba per se sa „
tis clara sint.Notum enim est hæreticos inGer „
mania in dies contra se nouos edere libellos. „
Id quodEsaias prædixit futurum his verbis.Et „
concurrere faciã Ægyptios aduersus Ægyptios, „
& pugnabit vir contra fratrẽ suum: & vir con- „
tra amicum, suum ciuitas aduersus ciuitatem, „
& disrumpetur spiritus Ægypti in visceribus „
eius. Quin vt verè dixit Hilarius,fidem illi no „
strã,dum inter se altercãtur,confirmant.Nam „
bellum hæreticorum pax est Ecclesiæ. „

THESIS CXXI.

Iam si ex vnitate fidei & doctrinæ de vera „
Ecclesia sententia ferenda est : quis non videt „
eam esse nõ posse inter sectarios istos, quippe „
qui sexaginta annorum spacio, quatuor illa „
verba ad veritatem fidei & Sacramentorum „
spectantia,ducentis erroribus corruperint, & „
inquinarint.Quare verissimum est illud Bedę. „
Vnde benè inquit,in Babylonis constructione „
linguarum vnitas per spiritum superbiæ scissa: „
Ita Hierosolyma est per gratiam Spiritus san- „
cti linguarum varietas adunata,& illa confusio „
hæc visio pacis interpretatur. Qua videlicet e- „
lectos in pluribus linguis & gentibus,vna fides „

„ ac pietas toto orbe pacificando confirmat, re-
„ probos autem plures sectæ quàm linguæ disso
„ ciando confundunt.

THESIS CXXII.

„ Sed nunquam quiescit autor hæresewn dæ-
„ mon, quosque suos hæreticos ad Atheismum
„ deducat, tanquam ad vltimam hæresewn erro-
„ rúmque omnium metam. Quemadmodum e-
„ nim qui turrim & ciuitatem ædificabant, post
„ linguarum perturbationem ab incepto cessa-
„ runt: ita hæretici tandiu de fide contendunt,
„ quoad tantam sectarum confusionem intuen-
„ tes, omnem fidem abiiciant. Quod Hilarius
„ breuiter quidem, sed benè explicauit. Dum fi-
„ des inquit, plures fiunt, ad hoc deueniunt vt
„ nulla sit.
„

THESIS CXXIII.

„ Quod autem dęmon etiam atque etiam co-
„ netur homines ad Atheismum pellicere, ex eo
„ nasci videtur quod Atheismus summus super-
„ bię gradus est. Atheista enim plus se scire opi-
„ natur, quàm Salomonem, Patriarchas, Prophe
„ tas. Apostolos, Doctorésque omnes, & quàm
„ Socratem, Platonem, cęteróque Philosophos,
„ qui de Deo, animæ immortalitate, & futura
„ vita præclarè senserunt. Ac proinde præter se
„ eos omnes hallucinatos esse existimat: & mira-
„ cula vel fabulas, vel ficta mendacia esse asserit.
„ Historiis quæ de rebus diuinis agunt assentien
„ dum nullo modo putat. Ecquę verò est superbia

bia cum hac conferenda? Quo fit vt quum ipse
diabolus superbus superbia lapsus sit, nitatur
etiam homines per superbiam prosternere.

THESIS CXXIIII.

Sextum signum fuit sanctitas, quam non
esse in secta Caluini, inde probari potest. quòd
veræ sanctitatis fundamentum fides est, sine
qua placere Deo impossibile est: quum in ea
secta vel nulla sit fides, vel non integra, sit vt
neque sit vera sanctitas. Deinde quæ sanctitas
apud eos esse potest, qui Sacramenta, ad no-
stram sanctificationem à Christo instituta su-
stulerunt? qui templa & altaria ad diuinum
cultum retinendum, & nostram sanctitatem au
gendam euerterunt?

THESIS CXXV.

Septimum Ecclesię signum fuit firmitas. Ac
quidem Ecclesiæ Catholicæ firmitas, in prete-
ritorum seculorum persequutionibus abunde
satis probata est, ac aliis manifestata: in quibus
non modò non ipsa succubuit, & obscurata
est, verum magis magísque confirmata ac illu
strata. Quid autem sit quod Caluini sectam
stabilem firmámque esse ostendat, non vide-
mus: Imò quòd instabilis ea sit, quódque pro-
pè sit vt pereat & dissoluatur, cùm multa per-
suadere debeat, tùm maximè quod de præci-
puis fidei articulis sit inter eos ac Lutheranos
summa dissensio, omne verò regnum in se di-
uisum tandem desolabitur.

THESIS CXXVI.

„ Deinde si ex historiis præteritorum tempo-
„ rum aliquid conjectari licet, omnes alias se-
„ ctas, quæ contra Ecclesiam Catholicam ortæ
„ sunt, tandem desiisse, & ad nihilum recidisse
„ animaduertimus: quum tamen quælibet illa-
„ rum se veram esse Ecclesiam, ac perseueratu-
„ ram vsque ad finem mundi prædicaret. Eun-
„ dem verò sectæ Caluinianæ fore exitum breui
„ confidimus. Id enim omnibus hæreticis com-
„ mune est, vt quando Ecclesiam Catholicam
„ oppugnare desinunt, tum inter se, vsque ad ex-
„ tremum exitium dimicent.

THESIS CXXVII.

„ Ad miracula iam veniendum est quod erat
„ octauum Ecclesiæ signum, quæ nunquam ab
„ hæreticis fieri potuisse referunt antiqui patres:
„ Egesippus de Simone mago: Epiphanius de
„ Manichæis: Sexta Synodus de Polychronio
„ monothelita. Et meritò. Nam Deus nun-
„ quam mendacia, sed veritatem quando neces-
„ se est, miraculis confirmare solet. Lutheri verò
„ nullum miraculũ aut legimus, aut accepimus,
„ nisi quod ipse miraculum appellat, quum mo-
„ nialis illa, se autore & consultore aperto ostio
„ fugit. Et nisi fortasse miraculum dicatur, quod
„ cum è puella quadam dæmonem vellet eiicere
„ in sacrario ipse fuerit inclusus, vt necesse fuerit
„ ad exeundum securi fores perfringere. De
„ Caluino etiam illud legimus, quod viuus qui
„ se mortuum finxit, vt à Caluino suscitari vide-
retur,

retur, reuera mortuus repertus est: verum quia
vltrò Caluiniani se nulla habere miracula cõ-
fitentur, non est quod pluribus hunc locum
vrgeamus.

ANALYSIS.

Signa sunt Ecclesiæ Apostolica traditio, vnitas, sanctitas, firmitas & miracula: Ecclesiæ autem Caluinianæ Apostolicam traditionem, vnitatem, sanctitatem, firmitatem & miracula non habent: ergò Ecclesiæ Caluinianæ habendæ non sunt pro veris Ecclesiis.

REFVTATIO.

Ne patientia lectorum abuteremur, Ecclesiæ Pontificiæ notas omnes reliquas, semel exponere satius esse duximus, quàm in singulis explicandis & refellendis multum diuque immorari. Traditionem Apostolicam Pinellus constituit pro vera & genuina Ecclesiæ nota, neque animaduertit se in obscuritatem signorum delabi, quam in nobis tantoperè accusat. Quî enim ego, cui ad salutem vera Ecclesia cognoscenda est, traditionem Apostolicam diiudicare possum, ab ea traditione, quam obtrudunt hæretici? Quî etiam traditiones verbo scripto illustriores atque clariores habendæ sunt, de quarum numero, interpretatione, autoritate, ne inter ipsos quidem Pontificios qui traditionibus maximè

gloriantur, compertum est ? Quod ad nos attinet fusè comprobauimus Apostolorũ nullas esse traditiones articulorum fidei, neque etiam esse posse, (nisi verbi scripti naturam atq; rationem subuertas) quarum sententia in sacro sanctis monumentis non extet. Quamobrem ? Quia certè in verbo diuino desideraretur perfectio: neque vt reliqua præteream, quum traditiones incertæ sint, nostra fides, quemadmodum penitùs oportet, extra omnem dubitationis aleam esset constituta. Quibus enim fundamentis traditiones quas tantoperè admiramini fulciuntur ? Patrum scriptis, autoritate Ecclesiæ, conciliorum decretis. De patribus verè possum obiicere, quod & me probaturum esse si opus sit profiteor, inter se quum de traditionibus agitur sæpenumerò dissentire: neque autoritatem illius Ecclesiæ moramur, neque concilia suspicimus, quæ aduersus Dei veritatem impotenti audacia insurgunt. Et vt verbo finiam, vobis ante conuincendæ sunt nostræ pro verbo Dei argumentationes, quàm de traditionibus Pontificiis, pro Ecclesiæ nota obtrudendis cogitetis. Ita igitur corrigamus ineptissima Iesuitæ Pinelli sophismata. Si vera est illa Ecclesiæ, quæ ab vnius Dei verbo pendet, nec traditiones hominum mente atque intelligentia deprauatorum recipit, quocunq; tandẽ illę titulo commendentur: & Ecclesiæ reformatæ ab vnius Dei verbo pendent, nec traditiones hominum recipiunt. Ergò Ecclesiæ reformatæ habendæ sunt pro veris Ecclesiis.

Ad vnitatem suprà respondimus, nempè illam demum esse agnoscendam inter Christianos vnitatem, quæ sit & religionis & fidei, obiicit autẽ Pinellus nostras nobis de Cæna Domini controuersias. Primum sophisticè omninò agit, qui ex priuatorum hominum scriptis, de nostra doctrina iudicet. Legat vnanimi consensu editas de fide confessiones nostras: & tunc nos magis concordes inueniet, quàm Pontifici Romano expediat. Deinde exemplo Galatarum & Corinthiorum suprà ipse docuit Pinellus, non omnem fidei controuersiam & dissensionem Ecclesiæ naturam & rationẽ tollere, ita vt neque illa quam omninò requirit vnitas, signum Ecclesiæ possit esse: neque si in explicatione verborum quæ in administratione Cœnæ Dominus adhibuit, inter nos dissentiamus, efficiatur nostras Ecclesias, de earũ numero quæ veræ sunt Ecclesiæ eximi debere. Postremò se Pinellus imperitum ostendit antiquitatis, & hominum fragilitatem satis attentè non examinat, dum eam vnitatẽ Ecclesiarũ efflagitat, quæ nunquã esse potuit, neq; etiã futura est, vt experientia cõprobat diuturna. Etenim dũ in mundo versabimur, aliquid semper erit q̃ ignoremus, quæ tamen ignorantia, modò Christianæ pietatis fundamenta inuiolatè maneant, non est impedimento quominus, tũ verè simus fideles, tum veram Ecclesiæ rationem habeamus. Itaque retorquendum videtur in caput Iesuitæ argumentum. Si vnitas est nota Ecclesiæ vt nulla sit habenda Ec-

clesia nisi quæ quum reliquis omnibus exactè consentiat: & istiusmodi consensus nunquam inter homines aut extitit, aut fuit diuturnus: ergò nulla inter homines ad hodiernum vsque diem fuit Ecclesia, aut saltem diu non permansit.

Sanctitas & firmitas ex Dei verbo petendæ sunt, ita vt si clarius & apertius loqueretur Iesuita nobiscum optimè conueniret. Miracula autem perpetuò in Ecclesia non esse probatum est, eaque de caussa Ecclesiæ signa, quidquid tandem garriat Pinellus, esse nõ possunt.

THESIS CXXVIII.

„ Age verò postquam secta hæc Geneuen-
„ sis, omni veræ Ecclesiæ caret indicio, eius fun-
„ damenta expendamus, & quàm firma ea sint
„ videamus. Primum igitur quum à Caluinia-
„ nis percontamur, quis eos ad hanc vineam ex-
„ colendam miserit (non enim cuiusuis est o-
„ perarios in vineam domini mittere, sed hoc
„ episcoporum, qui Apostolis succedunt munus
„ est) Respondent illi quando Ecclesiæ status
„ corruptus est, Deum aliquos sibi fideliter ob-
„ sequentes, ad iuuandam Ecclesiam excitare so
„ litum: quæ dicitur extraordinaria vocatio, vti
„ suscitauit Eliam, quando totus ferè Israel ido-
„ lolatria inficiebatur, cuiusmodi esse suam vo-
„ cationem ac missionem affirmant.

THESIS CXXIX.

„ Quod si rursum petatur, quomodo hanc Dei

Dei vocationem potius quàm dæmonis fraudem esse nouerint (nam vt vocatio extraordinaria certa sit, scripturis vel miraculis confirmari debet) respondent se manifesta scripturę testimonia habere: Quale vnum est illud de vinea, quæ Christo probante, danda erat aliis agricolis, qui fructum suo tempore redderent. Hoc inquiunt iam impletum videmus in Papatu, in quo Episcopis, quia suo ipsi munere non fungebantur, ablata est vinea, ac nobis data excolenda.

THESIS CXXX.

Egregium sanè fundamentum ac tali ædificio dignum. Nam parabolam illam de translatione Ecclesiæ ex Iudæis ad Gentes esse intelligendam, ac eam iampridem esse in morte Christi impletam, ex eo intelligitur, quòd eodem loco scriptura dicat, huiusmodi mutationem veniente Christo esse futuram: postquam nimirum Iudæi quasi improbi agricolæ, Christum patrisfamilias filium interfecissent. Imò ita manifestè eo loco de transferenda vinea à Iudæis agitur, vt à quouis facilè imperita Caluinianorum malitia deprehendi possit, subiungit enim Euangelista, quum audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas eius, quòd de ipsis diceret, & quærentes eum tenere, timuerunt turbas. En ministris quod ipsi iniqua interpretatione corrumpunt, etiam Pharisæi exponũt. Apertè nãq; illud de vinea, de se

» à Christo dictum esse, affirmant. Adde quod
» ex quo cœpta est ab Ecclesiasticis doctoribus
» exponi scriptura, nemo vnquã hunc locum ali
» ter interpretatus sit, quàm de translatione quę
» tempore Apostolorum euenit.

THESIS CXXXI.

» Sed concedamus Caluinianis, vt videant quã
» turpiter hallucinentur, in scripturis aliam trã-
» slationem Ecclesiæ fuisse prædictam. Non
» inde tamen quod volunt efficiunt. Nam quum
» sint aliæ sectæ quæ de se idem affirmant, pro-
» bandum eis esset, se esse nouos illos operarios,
» quibus excolenda danda erat vinea, de qua rę
» ne verbum quidem est in scriptura. Verùm
» nullam fore amplius Ecclesiæ translationem
» prædixit Daniel quum ait, sciscitabit Deus re-
» gnum, quod in æternum non dissipabitur, &
» regnum eius alteri populo non tradetur.

THESIS CXXXII.

» Neque minus ineptum est illud Cauluini,
» cum ait, Ismaelem licet seniorem Isaac & cir-
» cuncisum, fuisse tamen eiectum, ac proinde
» Catholicos licet antiquiores Caluinianis esse
» tamen eiiciendos. Apostolus enim Ismaelem
« repræsentare vetus testamentum asserit, in
» quo Iudæi, vt serui timore pœnæ legi obtem-
» perabant. At vetus Testamentum post mor-
» tem Christi abrogatum est. Isaac verò signifi-
» care nouũ Testamentum, in quo Christiani vt
filij

filij, legi patris obsequerentur. Iam quemad- «
modum hæreditas non fuit ex Isaac in alium «
translata, ita nec nouum Testamentũ, siue Ec- «
clesiã esse ad alios transferendam significat. «

THESIS. CXXXIII.

Alterũ testimonium quo vtuntur ministri «
Caluiniani in Apocalypsi est, in qua dicuntur «
excitandi duo testes amicti saccis, veluti duæ «
oliuæ, & duo candelabra, qui prophetabunt «
diebus mille. Quod si sciscitaris ab eis, ecqui- «
nam sunt duo isti testes? Lutherus, inquit, «
Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, & antè «
hos Viclef & Ioannes Hus. Quod sanè per- «
ridiculum est. Nam an suo Caluino ministri «
iniuriam fecerint, quòd eum in hunc specioſa «
rum oliuarũ campũ non inferuerint, non quæ- «
rimus. Sed illud tantum impresentiarum con- «
tendimus, hunc scripturæ locum ne per sum- «
mium quidẽ, posse de commemoratis sectariis «
intelligi, quorum nec saccos vidimus, nec pro- «
phetias, de quibus ibi mentio fit, audiuimus. «
Deinde eadem scriptura ait, eos testes multa «
miracula edituros, gladio mortem oppetitu- «
ros, ac eorum corpora mansura in plateis tres «
dies & medium sepultura & funeris honore «
carentia, eosque tandem miraculo in vitam «
redituros, ac suis inimicis videntibus in cœlũ «
ascensuros. Quæ omnia sicut reliqua, quæ de «
eis ibi scribuntur, hæreticis tribui non posse, «
nemo est qui non videt. «

THESIS CXXXIIII.

Tertium testimonium est, quo Caluiniani
" vehementer nituntur: quippè quod & certius
" & apertius esse aiunt. Id verò est in Actis Apo-
" stolorum, vbi Philippus, quum esset Diaconus
" extraordinariè vocatus dicitur, ad prædicandũ
" Samariæ Christi Euangelium, in cuius persona
" sese etiam extraordinariè vocatos, gloriantur.
" Sed id argumenti genus perleue est & vanum.
" Non enim si Philippus extraordinariè vocatus
" est, statim efficitur Caluinianos esse quoque à
" Deo extraordinariè missos. Alioqui temerè
" quoduis ex quouis liceret colligere. Hæc sunt
" præclara Caluinianæ sectæ fundamenta, ex qui
" bus quale sit reliquum ædificium facilè quis-
" que animo concipiet.
"

THESIS CXXXV.

" Quod verò ad miracula attinet, quibus vo-
" catio extraordinaria confirmari solet, fatentur
" se nulla habere. Et vt Catholicorũ argumen-
" tis satisfaciant ita respondent. Dicant Catho-
" lici inquiunt, quænam miracula ediderunt
" Esaias, Amos, Abdias, aliíque Prophetæ qui
" etiam extraordinariè à Deo sunt excitati? Ine-
" ptè profectò. Nam hi Prophetæ se ab Eccle-
" sia Hierosolymitana minimè segregarunt, ne-
" que sibi nouam synagogam erexerunt, quem-
" admodum Lutherum & Caluinum fecisse con
" stat: sed tantum hominum improbitatem sce-
" leraque arguerunt: quod si etiam isti fecissent
iam

iam hæretici minimè haberentur. "

THESIS CXXXVI.

Illud etiam nouis istis ministris intelligen- "
dum est, Eliam & duos illos testes, quibus suam "
vocationem similem faciunt, Deo iuuante, vt "
testatur scriptura, multa miracula edidisse. Quã "
quam nec modus ille argumentandi valet. "
Multa enim fecerunt sancti & ipsemet Chri- "
stus, quæ tamen scripta non sunt. Quare non "
valet, aliqui non leguntur fecisse miracula, i- "
gitur nulla fecerunt miracula. Denique Pro- "
phetę illi ita inter se concordes extitere, vt hoc "
ipso ostenderent se à Deo missos. At Vicleſ, "
Ioannes Hus, Lutherus, Caluinus, eorúmque "
sectatores, ita inter se dissident, vt hoc vno de- "
clarent se esse à dæmone discordiarum paren- "
te excitatos. Non est inquit, Apostolus dissen- "
sionis Deus sed pacis. "

THESIS CXXXVII.

Sed aiunt Caluiniani se in iis, quæ ad essen- "
tiam religionis spectant, à Lutheranis non di- "
screpare. Lutherani verò Caluinistas appellãt "
hæreticos, ac nullo modo tanquam fratres a- "
gnoscunt. Vnde Brentius ex publicis testimo "
niis Lutheri, Melanchtonis, & aliorum, Luthe "
ranos omninò à Caluinis dissentire probat. "

THESIS CXXXVIII.

Ac demus ita esse vt Caluiniani ministri fin- "

» gunt. Verùm hinc etiam ostẽdemus, quam pa-
» rum illis sua mendacia adiumenti afferant. Nã
» fatentur Caluiniani, se à Lutheranis in sacra-
» mento Cœnæ dissentire, ac proinde dicunt nõ
» se, sed eos hac in parte errare. Igitur ex eorum
» doctrina sequitur, apud Lutheranos nõ esse ve
» rã Ecclesiã, quũ in ea non sit rectus vsus sacra-
» mentorũ. Hoc enim est apud Caluinianos iã-
» pridẽ receptũ axioma. Vbi non est verus vsus
» sacramentorum, ibi verã nullo modo esse Ec-
» clesiam. Quod si Ecclesia Caluiniana in essen-
» tialibus cum Lutherana nõ conuenit, sequitur
» neutram esse veram Ecclesiam.

THESIS CXXXIX.

» Rursum si vna & adem est Caluinianorum
» rum & Lutheranorum Ecclesia, eò magis à
» vera Christi Ecclesia distat, quæ vna est, &
» vbique terrarum in articulis fidei nullam pla-
» nè assensionem & repugnantiam admittit. At
» inter Lutheranos de præcipuis religionis ca-
» pitibus, vt de peccato originali, de iustifica-
» tione, de Cœna, innumeræ, discrepantes sunt
» opiniones: & eò plures in dies erunt, quo iis
» habenæ magis laxantur. Hæretici enim (vt
» quidam verè dixit) volunt viuendi docendi-
» que licentiam, & in his omnibus impunita-
» tem, volunt sine capite corpus, vt neque pes
» neque mens suum officium faciant, volunt
» sine pastore vno oues, vt quum lupi ipsi sint,
» pastores esse videantur, volunt sine iudice li-
» tes, vt dissidiorum nullus sit finis. Atque ita
quum

quum amoto arbitro aduersus doctos dimi- "
cent, victores à turba iudicentur. Turbari "
demum omnia volunt, quoniam turbatum "
flumen piscatorum est lucrum.

ANALYSIS.

Si ex legibus extraordinariarum vocationum secta Geneuensis non est vocata vt Ecclesiam Catholicam extraordinem reformet, nullo iure sibi extraordinariam vocationem arrogat: Atqui ex legibus extraordinariarum vocationum, ad Catholicam Ecclesiam repurgandam non est vocata extraordinem: ergò sine fundamento extraordinariam vocationem sibi arrogat. Maior sua luce lucet: minor probatur testimoniis scripturæ: valet igitur complexio.

REFVTATIO.

Antequam de pastorum nostrorum legitima vocatione pluribus disseram, excutiendum est, an sit vlla inter Pontificios legitima vocatio: qua ex disputatione tertia illustrabitur quæstio: nempe, an nostris temporibus extraordinariæ vocationi locus esse potuerit? Atq; in primis constituendũ est omnes Pontificias vocationes ab vnius Pontificis Romani nutu & imperio, & vt dicã ꝙ res est libidine pẽdêre. Iã quũ tot disputationibus & libellis vltrò citroq; editis, demonstrare nõ potuerint autoritatẽ sui Pontificis esse, vt aiũt, diui-

ni iuris, efficitur necessariò, quæ ab illo deformi & cadaueroso capite manant ordinationes irritas esse, vtque melius & clarius meam exprimam sententiam planè contra institutum ab ipso Deo Ecclesiasticum ordinem administratas: vrgent enim sacræ literæ, quarum inuiolata esse debet autoritas, eius qui est ad Episcopatū accersendus, in primis doctrinam esse considerandam. At nemo apud Pontificios episcopi personam suscipit, nisi cōceptis verbis se Antichristo, aduersus Dei filium, & veritatem Euangelij addicat. Papa enim se Deum vocari & gaudet & præcipit, omnes in sua verba Episcopos iurare cogit, Euangeliū abrogat prout visum est, nouas quotidie leges conscientiis fabricatur, denique ostentat se illum esse ἀντικείμενον καὶ ὑπεραιρόμενον ἐπὶ πᾶν τὸ λεγόμενον θεὸν ἢ σέβασμα de quo disserit Paulus. Itaque qui ordinantur ab illo Episcopi, minimè quidem ad Euangelium Christi publicandum ordinantur (quis enim Euangelium à mutis, sapientiam ab insciētissimis, Dei legem ab idololatris vnquam expectauerit) sed vt ambitioso, profano, latroni, blasphemo, impudico suo terrestri Deo seruiant. Et ne sigillatim corruptiones Pontificiarum ordinationum persequar, quis episcopus creatur nisi pretio numerato atque etiam constituto? quis absque fauore principum? quis nisi deprauatissimę contaminatissimæque vitæ, moribus perditis, bonarum artium imperitus? quis denique cum ad Episcopatum euectus est suo munere fungitur, aut etiam

etiam fungi potest? Quamobrem satis superque constat inter Pontificios nullas esse ordinationes, nisi fortè velimus eo titulo exornare nundinationes Romanas, ipso iure diuino nec non Pontificio abrogatas. Relinquitur ergò quum nulla sit ordinaria vocatio, aut extraordinariæ locum esse, aut Ecclesiam Dei esse deserendam, vel potiùs è mundo planè tollendam. Nec tamen, vel ordo quem Deus in Ecclesia constabiliuit, & inuiolatè obseruandum præcepit corrumpitur, vel quibus oculos Deus aperuit, quosque ad suum opus virtute admirabili, & vt euentus demonstrat, omninò cœlesti euocare solitus est, illi sibi munus in Ecclesia docendi arripiunt: sed Deum vocantem sequuti, à populo quem ad veritatem Euangelij ab idololatria reuocauerunt, approbātur. Verùm agè audiamus quid obganniat Pinellus. Quis vos inquit ad hanc vineam excolendam misit? Respondē primùm Iesuita. Quis vestrûm Papam Ecclesiæ vniuersalis caput esse voluerit? quis cornutos Episcopos Ecclesiæ præfecerit? An ille à Deo missus est qui sibi munus & cōmentitium & Antichristo planè dignum arrogat? qui contra ipsius Dei veritatem bellum gerit? qui pecunia Episcopatum redimere cogitur? qui gregem neque pascit neque ad pascendum est idoneus? quem denique populus sibi nec pastorem agnoscit, nec experitur, nec elegit? Et ne vos negligere videamur an tot & veterum & recentium monachorum phalāges, *quàm variæ linguis, habitu tā vestis & armis,*

à Deo sunt ad debellandos hæreticos excitatę? Non te tui pudet Iesuita, qui de tua vocatione quum respondere non possis, nostræ rationem à nobis exigas? Ne tamen tuam obiectionem quantumlibet futilem negligere magis quàm refellere nos existimes, cuiusnam illa sit momenti paulò accuratiùs consideranda esse videtur. Quæris vndenam nostra sit vocatio? quis nos ad vineam excolendam miserit? Respõdemus Christum dedisse nobis lapidem lydiũ certissimi atque admirandi iudicij, quo veros à falsis prophetas diiudicare possumus. Matt. cap. 7. versicul. 15. *Cauete*, inquit, *vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos cum vestimentis ouium, sed intrinsecus sunt lupi rapaces. A fructibus eorum agnoscetis eos. Num colligunt ex spinis vuam, aut ex tribulis ficus? Ita omnis arbor bona fert fructus bonos, mala autem arbor fert fructus malos.* Primus autem fructus boni verique pastoris, est doctrina cum sacrarum literarum veritate ad vnguem consentiens. Itaque quum Pontificiam doctrinam ex innumerabilibus & fabulis & blasphemiis conflatam intuemur, Christi sententiam sequuti pronuntiamus Pontificem Pontificiósque omnes malas esse arbores, pseudoprophetas sub ouium pellibus oberrantes, à quibus nos cauere si præceptorem nostrum audiamus oportet. Contrà quum eorum vocem qui nostra memoria Ecclesiam repurgarunt à Pontificiis sordibus, cum verbo diuino planè consen-

sentientem agnoscimus, necesse est fateamur eos esse veros germanósque pastores, quibus audiendis nos etiam atque etiam in veritate scripturæ confirmari debemus. Neque in tantis tenebris clarum Euangelij lumen effulgere potuit, nisi Deus è cœlo in cordibus hominum, nostra quoque memoria illud accendisset. Siquidem animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: & caro & sanguis nostræ fidei arcana reuelare non potest: vnus est Deus qui pro sua misericordia quibus visum est ea detegit, quæ ad salutem electorum ipse ordinauit ante iacta mundi fundamenta. Quid torpes Pinelle? quid moraris? seuerè ad verbum Dei examina Pontificiine, an illi quos & quidem falsò Caluinistas appellatis bonos fructus proferant: quam differendi methodum si semel ingressus fueris, næ vereor, vt nos in germanorum pastorum locum, vos autem in pseudoprophetarum & luporum ordinem, sitis & quidem optimo iure collocandi. Quapropter sponte sua concidit tua hæc interrogatio, qua videlicet à nobis percontaris quomodo esse nos à Deo vocatos potiùs, quàm à dæmone in fraudem coniectos intelligamus. Respõsio est facillima. Deus effundit spiritum in cordibus eorum, quibus veritatem aperit, quo duce tùm quæ sit Dei sapientia cognoscunt: tùm de illius certitudine atque firmitate compertum habent atque

exploratum 1.Cor.cap.2.ver.10. *Nobis ea Deus reuelauit per ſpiritum ſuũ: ſpiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates Dei.* Rom.cap.8. verſ. 16. *Spiritus teſtatur vnà cum ſpiritu noſtro nos eſſe filios Dei.* Prætereà ne & ipſi & fallamus & fallamur, ſunt in medio ſcripturę, in quibus tãquam in ſpeculo ſpiritus præſentiam intueri poſſumus. Dæmon autem nos à ſcripturis aberrare cogit, cuius etiam præcepta cum analogia fidei nunquam conſentiunt. Qui fit vt, ſi noſtra omnis doctrina cum ſcriptis Prophetarũ & Apoſtolorum comparata, vna eademque inueniatur, non ſimus quemadmodum Pinellus nobis exbrobrat à dęmone faſcinati, ſed à Deo illuminati: contrà autẽ Pontificii non veritatis ſed erroris habeant ſpiritum. 1.Tim.ca.4.ver.1. *Spiritus autem diſertè dicit, fore vt poſterioribus temporibus deſciſcant quidam à fide, ſpiritibus deceptoribus attendentes, doctrinis dæmoniorum, Per hypocriſim falſiloquorum, quorum conſcientia cauterio reſecta eſt, Prohibentium contrahere matrimonium, iubentium abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad participandum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem* & 2. Tim. cap.4.verſ.3. *Nam erit tempus, quum ſanam doctrinam non tolerabũt, ſed auribus prurientes, ipſi ſibi ſecundũ ſuas illas peculiares cupiditates coacernabunt doctores: Et à veritate quidẽ aures auertẽt, ad fabulas vero conuertentur.* Hic duo ex Paulo habemus digniſſima quæ adnotentur. Vnum eſt ſanã doctrinam retineri debere, alterum eos perſtringit, ac ſuis etiam ornat coloribus, qui

qui proceſſu temporis, à fide erant defecturi. Quamobrem ſi ſanam vt præcipit Apoſtolus, Euangelij doctrinam retinemus, certè accuſandi non ſumus defectionis illius, quam tanto ante tempore Dei ſpiritus Paulivoce atque ſcriptis publicandam curauit. Sed quinam obſecro illi ſunt qui prohibent nubere? qui cibis abſtinẽdum eſſe ſub pœna peccati, vt loquuntur, mortalis præcipiunt? qui Franciſci, Dominici, aliorúmque huiuſmodi nebulonum fabulas, pro fidei articulis obtrudunt? qui denique coaceruant ſibi doctores ſecundum ſuas peculiares cupiditates? quænam eſt illa impudiciſsima Sodoma, vbi ſanctiùs eſt atque religioſiùs ſexcentas educare meretrices, quàm vnius eſſe vxoris virum? in qua Epiſcoporum, Cardinalium, Abbatum, Prælatorum, Monachorum denique turpiſsima atque effœminatiſsima cohors verſatur tanquam in totius orbis terrarum execrando lupanari? in qua minùs eſt capitale hominem occidere, quàm die veneris carunculam deguſtare? Optimè verò Pinellus, vocatio, inquit, extraordinaria, vel ſcripturis, vel miraculis confirmari debet. Quid audio? An Ieſuitæ nobiſcum certare volunt autoritate ſcripturæ? Ecquid tandem magis habemus in votis, quàm ad huiuſmodi præclaram, & Theologo maximè dignam diſſerendi rationem aduerſarios adigere? Scripturam nobis fers iudicem Pinelle. At ſi tu Scripturam audias, neceſſe eſt vt fateare illos à Deo eſſe miſſos, qui erranti mun-

do, primi omnium veritatem aperiunt. A quonam enim præceptore illam didicissent, quũ animalis homo non percipiat ea quæ sunt Spiritus Dei. Sed obiicies nos veritatem non docere. Prima igitur quæstio instituenda est de probatione dogmatum, quam si obtineamus, næ vestra illa Pontificia successio, longa quidem, sed elumbis & mala fide vsurpata nobis molesta non erit. Locus autẽ ex 21. cap. Matth. ad disputationem quam in manibus habemus tibi non videtur pertinere. Cur ita obsecro? Quia de Iudæis loquitur Christus. Benè profectò. Ratio tamen parabolæ non est propria Iudæis, sed omnibus populis & Gentibus cõmunis. An Deus igitur si Euangelium in sceleratos incidat, illud ab istiusmodi hominibus in libertatem asserere non poterit, & ad alios transferre? At tùm Paulus in altera Thessalonicensi, tùm in Apocalypsi Ioannes, de vniuersali apostasia loquuntur adeò clarè & perspicuè, vt ne tu quidem inficiari possis. Deinde, num tot Græcæ Asiaticæ, Orientales, Africanæ, Occidentales denique Ecclesiæ quondam florentissimæ perierunt, ex quibus Euãgelij prædicationem Deus ad alios transtulit? An Deus etiam tantùm est vltor & vindex peccatorum quæ in Iudæa olim̃ commissa sunt, & non etiã reliquis nationibus seuerè quidẽ, sed iustè irascitur? Profectò experientia, quæ magistra stultorũ optimo iure dicitur, te docere potuit, Deum minimè omnium esse προσωποληπτην, sed quemadmodum illis arcana cœlestia re-

stia reuelat qui ipsum timent: ita & ab eorum intelligentia remouet, qui effrænata audacia & quæ penitùs dissimilari nequeat, sancta profanáque omnia sus déque habent, modò suæ tum libidini, tùm auaritiæ, tùm ambitioni obsequantur: quod quum vestris Põtificibus Romanæque adeò Synagogæ vsuuenerit, non debet mirum videri iusto Dei iudicio in tantam deuenisse cæcitatem, vt ne nunc quidem ad splendidissimos erumpentis veritatis radios, lucem verbi diuini, salutísque omnibus expositæ intueri possit. At non probamus nos esse nouos illos operarios quibus excolendam vineam Deus attribuit. Probamus certè si ex operibus de operario, & de arbore quemadmodum præcipit Christus ex fructu iudicium ferre in animo habent. Vrget adhuc Pinellus. At nulla futura est amplius Ecclesiæ translatio. Quamobrem? Quia vt Daniel vaticinatus est Christi regnum est æternum, atque huiusmodi vt dissipari nequeat. Egregia certè probatio. Sed an ideò regnum Christi æternum esse desiit, & dissipationis expers si Euangeliũ à Pontificiis ad Christianos trãsferat? Bellè profectò & vt Iesuitam decet de regno Christi sentis & disputas, quod perinde atq; si de Romuli sceptro ageretur agnoscere non potes, nisi Romanæ vrbis mœnibus includatur. Locum ex Apocalypsi quoniam est lubricus, excutere non libet in præsentia. Ad Philippum quod attinet non argumentamur tã imperitè quàm existimat Pinellus: sed tantùm ex eo efficimus

extraordinarias vocationes nõ esse repudiãdas, modò necessitate atq; vtilitate commẽdentur. De miraculis respõdemus falsum axioma postulari à Pontificiis: occurrit tamen Pinellus. Non omnia, inquit, quæ sancti fecerunt scripta extant. At illa scripta sunt quæ necesse est nos vt sciamus. Itaque quum extraordinarias vocationes Prophetarum in sacris literis deprehendamus sine miraculorũ mentione, quærenda non sunt miracula in extraordinariis vocationibus. Atque vt in sophistam suam ipsius argumentationem retorqueamus, non efficitur si quædam extraordinariæ vocationes sint miraculis confirmatæ, reliquas omnes hunc in modum fuisse sancitas. De dissensionibus autẽ abũdè satisfecimus: quæ certè si Ecclesiæ ratio nẽ tam facilè tollerent, quã vult Pinellus, non esset nunc differendum quænam habenda esset pura putáque Ecclesia, quum iamdiu in terris nulla existeret, neque etiam existere posset.

THESIS CXL.

» Superest vt in hoc capite disputetur, num » octo illa Ecclesiæ signa, scripturis & ratione in » quarto capite confirmata, in Ecclesia Romana » reperiantur. Ac eam quidem fuisse à principi- » bus Apostolorum Petro & Paulo constitutam » asserit Anacletus quum ait. Adhibita est etiam » societas in eadem Romana vrbe beati Apostoli Pauli, qui vno die, vno quoque tempore » glorioſa morte, cum beato Petro sub principe » Romano angonizans, coronatus est, & ambo sanctam

sanctam Romanam Ecclesiam consecrarunt. “ Asserit Irenæus, longum est, inquit, omnium “ Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ “ & antiquissimæ à gloriosissimis duobus Apo- “ stolis, Petro & Paulo fundatæ & constitutæ “ Ecclesiæ indicantes, confundimus eos, &c. As- “ serit Tertullianus, Quid etiam Romani, in- “ quit, de proximo sonent, quibus Euangelium “ Petrus & Paulus sanguine quoque suo signa- “ tum reliquerunt. Asserunt alij seculo illi quàm “ proximi, qui Romanam Ecclesiam Petri Ca- “ thedram appellãt. Perseuerasse autem in præ- “ sentẽ vsque diem, quod erat primum Ecclesiæ “ signũ manifestum est omnibus. Retinuisse ve- “ rò eandẽ fidem, quã ab Apostolis accepit pau- “ lò post probabitur. Ex quibus apparet quàm “ impudẽs sit quorundã hæreticorũ ignorantia, “ & ignaua impudentia, qui Petrũ nunquã fuis- “ se Romæ asserere non reformidãt, quũ præter “ superiores autores idẽ Clemens Romanus A- “ postolorum discipulus, & reliqua veneranda “ antiquitas grauiter asseuerent. “

THESIS CXLI.

Ecclesiam deinde Romanam veram esse di- “ cique Catholicam quod erat secundum Eccle- “ siæ signum facilè ostendetur, si prius insulsæ “ quorundam calumniæ occurratur. Aiunt enim “ Caluiniani eo nomine abuti Romanos, quum “ suam Ecclesiam esse Catholicam dicunt, quòd “ non vniuersalis, vt nomen Catholici significat, “ sed particularis sit. Quasi verò Ecclesiam Ro- “

„ manam esse omnem Ecclesiam Catholicam
„ quisquam nostrûm asseueret. Eò enim asseri-
„ mus Catholicam appellari, quod omnium Ec-
„ clesiarum Catholicarum caput, princeps, &
„ magistra sit. Quo fit vt nemo vnquam fuerit
„ verè Catholicus, vel Christianus, qui non Ec-
„ clesiam Romanam sequutus sit, eique non fi-
„ deliter obtemperauerit. Accedit eodem quod
„ eam fidem profitetur, quæ per totum terrarũ
„ orbem per Apostolos propagata est.

THESIS CXLII.

„ Sed vt ad rem nostra disputatio redeat. Se-
„ ctam Caluini non esse Catholicam, ex eo pro-
„ batum est, quod fides quam profitetur, Gene-
„ uæ & paucis aliis vrbibus concluſa sit. At fides
„ Ecclesię Romanę totum Christianum orbem,
„ atque adeò vtramq; Indiam peruagatur. Quo
„ fit vt meritò ratione loci Catholica, siue vni-
„ uersalis nuncupetur: vnde Apostolus ad Ro-
„ manos, Gratias, inquit, ago Deo meo per Ie-
„ sum Christum pro omnibus vobis, quia fides
„ vestra annuntiatur in vniuerso mundo.

THESIS CXLIII.

„ Sancti quoque patres idem confirmant: Cy-
„ prianus qui Romanam Ecclesiam radicem &
„ matricem Ecclesiæ Catholicæ appellat. Am-
„ brosius, aduocauit, inquit, Episcopum, per-
„ contatúsque ex eo est, vtrumnam cum Epiſco
„ pis Catholicis, hoc est cum Romana Eccleſia

conueniret. Augustinus, quæ tenenda est, in- “
quit, vrbis Christiana religio, & eius Ecclesiæ “
communicatio, quæ Catholica est, & Catho- “
lica nominatur, non solùm à suis, verùm etiam “
ab omnibus inimicis. Et huius temporis hæ- “
retici non audent suam, sed tantùm Romanam “
Ecclesiam vocare Catholicam. “

THESIS CXLIIII.

Quod etiam Ecclesia Romana sit Apostoli- “
ca, quæ tertia Ecclesiæ nota fuit, facilè ex his “
quæ iam dicta sunt colligi potest. Minimè ta- “
men propriæ desunt probationes. Ac primùm “
Ecclesiam Romanam fidem Apostolorum ac- “
cepisse (vnde potissimum Ecclesia dicitur A- “
postolica) testatur Paulus qui ad Romanos “
scribens sic ait. simul consolari in vobis per eã, “
quæ inuicem est fidem vestram atque meam. “
Quod autem eadem fides vsque ad sua tempo- “
ra salua permãserit, testatur Irenæus, qui caus- “
sam explicans, quamobrem ad Romanam se- “
dem sit rerum ad religionem spectantium de- “
ferendum iudicium. Quia ih ea, inquit, sem- “
per ab his qui sunt vndique conseruata est ea, “
quæ est ab Apostolis traditio. Testatur Ter- “
tullianus, Fœlix Ecclesia, inquit, de Romana “
loquens, cui totam doctrinam Apostoli cum “
sanguine profuderunt. “

THESIS CXLV.

Quid quod sola perpetua Episcoporum in “
sede Romana ab ipsis Apostolis succesio, satis “

„ superque eam Apostolicam esse confirmat.
„ Hæc enim ratio apud antiquos Patres tantùm
„ roboris & momenti semper habuit, vt ea po-
„ tissimùm hæreticos sui temporis expugnarint.
„ Fuisse autem in Romana sede huiusmodi suc-
„ cessionem probat Irenæus à Petro vsque ad
„ Eleutherum, qui sua ætate Ecclesiam regebat.
„ Probat Optatus Mileuitanus vsque ad Syri-
„ cium, qui suo tempore summus Pontifex erat.
„ Probat, vt alios omittamus, passim Augustinus.

THESIS CXLVI.

„ Hanc successionem quum Caluinus nec ne-
„ gare, nec calumniavel simulatione leuare pos-
„ set, argumentum ex ea ductum hoc modo co-
„ natus est infirmare. Ait enim in Græcia adhuc
„ successionem Episcoporum permanere, tamẽ
„ Ecclesiam Græcam iampridem in errore fuis-
„ se. Caiapham etiam per veram successionem
„ fuisse Pontificem, eo tamen tempore veram
„ non fuisse Ecclesiam. Vana igitur, inquit Cal-
„ uinus, est successio, vbi veritas Christi à poste-
„ ris incorrupta non retinetur. Quasi verò sancti
„ Patres qui eo argumento vsi sunt, veritatem
„ fidei à successione Pontificum Romanorum
„ seiunxerint. Non seiunxerũt, neque nos seiun-
„ gimus, quod sancti patres hæreticis hoc ipsum
„ sibi obiicientibus responderunt, videlicet à
„ Diuo Petro vsque ad Gregorium XIII. qui
„ hodie Ecclesiam regit conseruatam esse fidem
„ Apostolicam. Quin verò dicimus falsum esse,
„ tempore Caiaphę veram non fuisse Ecclesiam,
alio-

alioqui nõ dixisset Christus, super Cathedram “
Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæ “
cunque dixerint vobis seruate & facite. Quare “
si Christus illis morem geri voluit, fuisse Ec- “
clesiæ prælatos manifestum est. Græci autem “
quia de orthodoxa eorum doctrina deflexe- “
runt veram Episcoporum successionem non “
habent. “

THESIS CXLVII.

Quartum signum traditiones Apostolicas “
continens esse in Ecclesia Romana, probatio- “
nis non eget. Est enim cuiuis notum in Roma “
na Ecclesia oblationes pro defunctis fieri. Ieiu- “
nium quadragesimale retineri. Missam cele- “
brari. Hæc inquam & id genus alia esse ab A- “
postolis per manus nobis tradita, ex sanctis “
Patribus probatum est. Quæ quò magis hære- “
tici nostri temporis respuunt, eò nos magis “
complectimur, ac vt dogmata, ab Apostolis tra “
dita, veneramur. “

THESIS CXLVIII.

Iam Ecclesiam Romanam esse vnam, quod “
erat quintum Ecclesiæ signum, sic probari po “
test. Nam vnitatem Ecclesiæ in eo positam es- “
se diximus, vt omnes eidem credant, eadem Sa “
cramenta, eundem cultum, eandem fidem ha- “
beant. Ac septem esse Sacramenta, gratiam “
conferentia, bona opera esse ad salutem neces- “
saria: purgatorium esse: sanctos esse inuocan- “
dos. Hæc & alia Ecclesiæ dogmata, non solùm “

„ Romæ, sed in Galliis, Germania, Hispaniis,
„ Indiis, & vbicunque sunt veri Christiani cre-
„ duntur.

THESIS CXLIX.

„ Semper deinde Romanam Ecclesiam idem
„ credidisse, asserit Irenæus, qui post numeratam
„ in Ecclesia Romana pontificum successionem,
„ hæc verba subiungit. Et est plenissima hæc o-
„ stensio vnam & eandem viuificatricem fidem
„ esse quæ in Ecclesia ab Apostolis vsque nunc
„ sit conseruata & tradita in veritate. Huius e-
„ tiam rei fidem facit sexta synodus, in qua ex e-
„ pistola Agathonis hæc publicè lecta sunt & ap
„ probata: Apostolica hæc Ecclesia nunquam à
„ via veritatis in qualibet erroris parte deflexa
„ est. Et paulò pòst. Hæc est enim veræ fidei re-
„ gula, quam & in prosperis & in aduersis vera-
„ citer tenuit ac defendit, quæ per Dei omnipo-
„ tentis gratiam à tramite Apostolicæ traditio-
„ nis nunquam errasse probabitur, nec hæreticis
„ nouitatibus deprauata succubuit. Cyprianus
„ deniqueRomanam fidem ob constantiam ve-
„ hementer laudat, ac eandem esse in posteris,
„ quæ olim fuit in primis illis Romanis ab Apo
„ stolis conuersis asserit.

THESIS CL.

„ Quid plura? quùm Ecclesia Romana etiam
„ nunc omnia fidei decreta quæ in legitimis
„ consiliis declarata sunt à primordiis Ecclesiæ,
„ ad nostra vsque tempora retineat ac defendat,

quis non manifestè videt, eadem iam credi & te « «
neri, quę ab initio Ecclesiæ credita sunt, ac fi- « «
dem semper illesam permansisse? « «

THESIS CLI.

De sexto Ecclesiæ signo quod in sanctitate « «
positum est, idem prorsus quod in quarto ca- « «
pite dicimus Romanam nempe Ecclesiam ap- « «
pellari sanctam, non quod omnes, qui in ea « «
sunt, sancti sint, sed quia nunquam in ea probi « «
sanctíque viri desint, vel, vt Optatus Mileui- « «
tanus dicebat, quia in ea sunt Sacramenta, quæ « «
sanctificant animam, vel vt Ruffinus propter « «
doctrinæ sanctitatem. Quæ verò obiiciunt hæ « «
retici, vt sanctitatem Ecclesiæ Romanæ con- « «
taminent ac labefactent, paulò pòst dicemus. « «

THESIS CLII.

Esse etiam Romanam Ecclesiam firmam & « «
stabilem, quod erat septimũ Ecclesiæ signum: « «
vel inuitis hæreticis videmus & gaudemus. Ac « «
si vt experientia docet, quidquid mendacio « «
falsitatéque nititur, pugnantibus viris doctis « «
ac potentibus, certè temporis diuturnitate per « «
se ruit. Profectò fatendum est, Romanam Ec- « «
clesiam veram esse, contra quam tot potentis- « «
simi Imperatores, tot barbari, tot Hæresiar- « «
chæ dimicarunt: ita vt vsque ad Caluini tem- « «
pora, ducentæ fere hæreses eam exagitarint, « «
semper tamẽ illa superior fuit, & hostibus suis « «
quasi sub iugũ missis, victoriæ gloriam adepta « «

» est singularem. Hæc igitur illa Ecclesia est, » aduersus quam portæ inferi prævalere mini- » mè potuerunt.

THESIS CLIII.

» Quare illud Gamalielis hîc locum habet: si » consilium hoc, inquit, ex hominibus est, hoc » opus dissoluetur, si verò ex Deo est, non pote- » rimus dissoluere. Ducentæ nimirum illę sectę, » quę vnam Romanam oppugnarunt Ecclesiam » dissolutæ sunt: Romana verò firma etiamnum » restat. Hæc igitur ex Deo Spiritu sancto auto- » re orta est, illæ ex hominibus dæmone insti- » gante, profectæ sunt.

THESIS CLIIII.

» Quid quum multi sancti patres locupletiſ- » simis confirment testimoniis, tùm in primis » Chrysostomus, qui à quàm multis, inquit op- » pugnata est Ecclesia, nec vnquam tamen victa? » Quot tyranni, quot duces, quot Imperatores » Augustus, Tyberius, Caius, Claudius, Nero, » homines literis ornati, potentes tot modis op » pugnarunt recentem ac teneram, at non deie- » cerunt. Quin potius ij qui oppugnarunt, silen- » tur obliuioni traditi, illa verò oppugnata cœ- » lum transcendit.

THESIS CLV.

» Postremò Romanam Ecclesiam claruisse » miraculis, quæ diximus esse octauum Ecclesiæ » signum, præter historias multi sancti patres refe-

referunt: Augustinus, Hieronymus, Paulinus, « Seuerus, Sulpitius, Palladius, Theodoretus, « Bernardus, Beda, aliique permulti. Quare si « Ecclesiæ Romanæ falsa esset doctrina, nun- « quam tot argumentis ac miraculis fuisset con- « firmata. Quin aliquo modo cum Richardo « possemus dicere: Si error est, Domine à te de- « cepti sumus, nam ista in nobis iis signis & pro- « digiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri « potuerunt. «

THESIS CLVI.

Verùm Caluinus in præfatione suarum in- « stitutionum, ad Franciscum primum Galliæ « regem, videns in sua secta nullum nec factum « esse, nec fieri potuisse miraculum, hoc argu- « mentum ex miraculis dictum eludere conatus « est. Ait enim miracula quæ à nobis afferuntur « ridicula esse ac ficta, quod vt probet, præter « suam nullius momenti autoritatem, nihil af- « fert. En tibi impudentem temeritatem. Men- « titi igitur sunt tot tantique patres, falsæ sunt « tot grauissimorum autorum historiæ, vene- « randæ antiquitati nulla fides tribuenda est. «

THESIS CLVII.

Addit verò ille miracula quæ nostri iactant, « non solùm falsa miracula, sed etiam magorum « præstigias fuisse. Decepti igitur sunt sancti illi « Doctores, vtpote simplices ac stupidi, & solus « Caluinus acutè vidit. Sed hoc minimè nouum « est. Idem enim Iudæi Christo, Ethnici Apo- «

» stolis,& antiqui hæretici sanctis patribus obie
» cerunt,vt referunt Hieronymus, Ambrosius,
„Augustinus. Quòd verò eiusmodi sunt nostra
„ miracula,vt non ab impostoribus,quasi in cir-
„ culis ope dæmonum, sed à viris sanctis diuino
„ auxilio fretis, patrari potuerint, facilè confir-
„ mari potest.vt enim ex multis vnum afferatur,
„ reuocare ad vitam mortuos dæmon nec re ipsa,
„ nec ferè fictè & in speciem potest, quod ta-
„ men in Ecclesia Romana à plerisque sæpè sa-
„ ctitatum esse,memoriæ proditum est,

ANALYSIS.

Ea demum vera est Ecclesia,cui omnia Ecclesiæ veræ signa conueniunt:Ecclesiæ Romanæ omnia veræ Ecclesiæ signa conueniunt: Igitur Ecclesia Romana est vera Ecclesia. Maior est in promptu. Minor confirmatur inductione signorum : tenet ergò firmissimè complexio.

REFVTATIO.

Quum signa excogitauerit Iesuita Pinellus, quemadmodum & reliqui Pontificij,quæ illi optimè conuenire cum Romana Synagoga existimarent:profectò mirum videri deberet,si suis ipsi notis & symbolis repulsi, à vera Dei Ecclesia turpiter aberrarent.Qua de caussa,merito Iesuiticam differendi methodum & rationem repudiaremus,vt quæ fragili,& commentitio,& ad demonstrandum Papatum excogitato fundamento nitatur.Verumenimuerò vt hominibus istis concedamus,quod iure legitimo & suo nunquam obtinere possent,si Pinellus quæ ipse in medium attulit Ecclesiæ signa, verè atq; analyticè ad Romanam synagogam accommodauerit,quantum quidem in me est, volo vincat. Romanam Ecclesiam in hodiernum vsque diem perseueraſse confirmat Iesuita.Quibus argumentis obsecro? omnibus, inquit manifestum est.Siccine ἀποδείκνυσιν tuam sententiam probare in animo est Pinelle? Ergò Ecclesiam Romanam digito demonstrare te posse putas, & ita omnes qui de illius stabilitate ambigunt refellere.At ego didiceram Ecclesiæ rationem atque naturam animo tantùm & intelligentia posse concipi, aspectum autem reliquósque sensus effugere. Tu verò nouus demonstrator Papam mihi sedentem in solio sublimi & aureo, purpureis vndiquaque septum Cardinalibus ostentas, Episcopos mitrâ insignes, Prælatos vestibus sericis conspicuos,Abbates luxu & otio diffluentes,Presbyteros in diem misero victitantes crustulo,greges denique monachorum versicolores: quibus tandem enumeratis efficitur Romanam Ecclesiam ab ipsis fundatam Apostolis, in hodiernum vsque diem perseuerare.Quod ad me attinet,nolo quæstionem mouere,An Petrus Romæ docuerit, an cum Paulo sub Nerone mortem cum vita martyrio commutauerit, vt qui existimem nihil hæc ad rem, de qua disserimus,pertinere.concedamus,quoniamPinellus id à nobis efflagitat, Euangelium Romæ

publicatum à Petro fuisse, Romæ Petrum diem suum obiisse: Romanam denique ciuitatem martyrio Apostolorum esse cruentatam: nihil ex ea re colligēt amplius Pontificij, quàm habendam esse Romā in loco vrbium, in quibus ipsi dum inter homines agerent Apostoli, Euangelium prædicarunt. At multæ nostra etiam memoria ciuitates, satis supérque docēt, nō idem omnino esse Apostoli voce quōdam Euangelium accepisse, & acceptum Apostolico ministerio Euangelium incorruptè conseruasse. Quid enim? Annon erumpentis Euangelij temporibus concionantes Apostolos audiit & admirata est Hierusalem? Annon Ephesus? Athenæ? Corinthus? Antiochia? Philippi? tot Europæ, Africæ, Asiæ ciuitates? Sed cur in re tam clara & illustri demonstranda tempus terimus? Roma Euangelium accepit ab ipsis Apostolis. Concedo. Acceptum ab ipsis Apostolis Euāgelium incorruptè Roma conseruauit. Hoc verò etiam atque etiam pernego. Deinde non est silentio prætereundum Ecclesiam Romanam non posse probari, ad nostram vsque ætatem perseueraſſe, propterea quòd infinitas in ipsiusmet Ecclesiæ substantia mutationes passa sit: quæ quidem Ecclesiæ nomen non deleuerunt, rationē verò & naturā funditùs euerterunt. Atqui vt ita se rem habere confirmemus, hoc in primis constituendū est, nullam esse posse cognitionē Ecclesię absq; sacrarum literarum auctoritate: quod quidem lucet sua luce vt nostra oratione nō indigeat. Verbū Dei

Dei autem in Ecclesia Romana corruptum esse, ac penè abolitum quis tandem inficiari audeat? ipsi prodeant Iesuitæ, ad hanc pulcherrimam diiudicationem multum diuque vocati: nobiscum ad normam verbi diuini suas superstitiones, aut blasphemias potiùs examinent, quicquid in recessu scrinij Pontificij delitescit excutiant, & tunc si possint perfricta fröte ista omnia pro veris, orthodoxisq; & sanctis defendere ac tueri conentur. Non mansit ergo Ecclesia Romana, sed cadauer aut imago Ecclesiæ illius Romanæ, quam Apostoli fundarunt atque docuerunt.

Catholicæ autem vocabulum ratione loci, ex interpretatione Pinelli Romanæ synagogæ non potest accommodari: propterea quod illius doctrina & superstitiones vbique terrarum minimè grassentur. Nullam enim agnoscit aliam pro Ecclesia Catholica Pinellus, nisi quę per totum orbem longè latéque diffundatur. Ex quo illud effici nemo nō videt, Romanam Ecclesiam, quæ in angulo Europæ delitescit non esse Catholicam. Obsecro te Pinelle, quū περὶ τὸ καθ' ὅλου differis ratione loci, non tibi venit in mentem Asiæ, cuius tertia vix portio Europa censenda est, non Africæ, non denique Angliæ, Scotiæ, Daniæ, totius ferè Germaniæ, Poloniæ, aliarúmque gentium, quæ aut vestrū Pontificem, Ecclesiámque Romanam non agnoscunt, aut execrantur? Itaque velis nolis Catholicam Ecclesiam ratione loci exponas necesse est, vt nostri solent Doctores, nempè

ideò vniuersalem appellari, quòd nulli populo addicta sit, sed per totum terrarū orbem, prout Deo placuerit, compedibus antiquis libera diuagetur. Sed ne vestra Ecclesia nimium angustis & brevibus terminis coarctari existimetur, & omninò Ecclesiæ vniuersalis nomen atque dignitatem non posse sustinere: obiter Indiarum mentionem facis, in quibus vestra, vt garris, Ecclesia, suam quoque sedem collocauit. Verumenimuerò si fides habenda est Indiarum historiæ, comperientur vestri Euangelistæ homines potiùs Scythicè occidisse, quàm Apostolicè faustum illud salutis nuntium prædicasse. Quamobrem antequam vlteriùs progrediar, duas superiores notas in Pinellum & Synagogam Pontificiam retorquere satius esse duco. Si vera est illa Ecclesia quæ ad nostram vsque ætatem perseuerauit, & quæ Catholica est ratione loci: & Romana Ecclesia neque ad nostra vsque temp. ra permansit, neque ratione loci Catholica est: vt quæ tùm Apostolicam fidem corruperit, tùm à multò maxima orbis terrarum parte excludatur: profectò Ecclesia Romana non est vera Ecclesia. Obiectionem verò nostram, hunc in modum diluere aggreditur Iesuita Pinellus. Aiunt, inquit, Caluiniani, eo nomine abuti Romanos, quùm suam Ecclesiam esse Catholicam dicũt quæ sit particularis. Quasi verò Ecclesiam Romanam esse omnem Ecclesiam Catholicam, quisquam nostrûm asseueret. Cur obsecro igitur Romanam & Catholicam, id est vniuersalem

salem & particularem coniungitis. Aut potiùs, cur eos qui Romæ nunquam Dei verbum audierunt, imò nunquam Romæ fuerunt, Ecclesiæ tamen Romanæ membra esse dicitis? Qui fieri potest, vt qui vbique terrarum degunt Christiani, ad Romanam pertineant, si Ecclesia Romana suis descripta limitibus continetur? Itaque aut apertè prævaricaris, aut immeritò, quasi quæ sit vestra mens non intelligamus, nos vexare conaris. Perge Pinelle. Eò inquis, asserimus Ecclesiam Romanã Catholicam appellari, quòd omnium Ecclesiarum Catholicarum caput, princeps, & magistra sit. Ergò si ea ratio est, cur appellatur à vobis Catholica, periculum est ne nomine illo nimium impudẽter ac temerè vsurpato excidat. Quis enim principatum Ecclesiarum constituit? aut quænam ista est hominum arrogantia? vbi Deus de noua Hierusalem terrestri ædificanda præcepit? Vbi Ecclesiam Romanam omnium Ecclesiarum esse caput imperauit? Admittis ergò Pinelle ψευδογράφημα in Theologia, quod quidem est eiusmodi vt neque ferri nec dissimulari queat. Si ergò Ecclesia Romana dicitur Catholica, propterea quòd sit caput & magistra omnium Ecclesiarum: & omnium Ecclesiarum neque caput, neque magistra est habenda: Igitur Ecclesia Romana dici Catholica non debet.

Vtdeamus autem, an ea quæ se Catholicam esse probare non potuit, Apostolicam demon-

ſtret. Sic optimè argumentari ſe Pinellus exiſtimat. Romana Eccleſia eſt Apoſtolica, quòd Apoſtoli Romanam Eccleſiam primi omnium & docuerunt, & gubernauerunt. Egregia certè probatio, Atqui ne neſcias, quamplurimę ſunt Eccleſiæ ab Apoſtolis tùm edoctæ, tùm ordinatæ, quæ iamdiu deſierunt eſſe Apoſtolicæ: & contra infinitæ per Dei gratiam exortæ ſunt, quæ quãuis nunquã docentes Apoſtolos viderint & audierint, optimo iure tamen, quòd ab Apoſtolis publicatam Euangelij doctrinam amplexentur, ſunt & vocantur Apoſtolicæ. Quapropter, quoniam tibi placet, Roma Euãgelium acceperit ipſorum Apoſtolorum voce traditum: ideóne habenda erit Apoſtolica Eccleſia, niſi caſtè atque inuiolatè conſeruauerit Apoſtolorum fidem? Nequaquam profectò. Sed obiicis. Patres argumento à ſucceſsione ducto hæreticos refellerunt. Audío, & cauſſa que impulerit Patres non me latet, quam & approbo, & ſi vellem facilè oſtenderem te iſtiuſmodi obiectione nihilo eſſe, quàm modò eras firmiorem. Sed obliuiſci non poſſum eius eſſe, qui Theologiam Theologicè tractat, ex verbo Dei tantùm ſapere, nec in tot tantiſque hominum rationibus & argumentis vel refellendis, vel excuſandis, operam perdere: aut ſaltem diutius quàm par eſt immorari, quum liceat ex ſacrario ſcripturæ veritatem aſtruere. Itaque ſi totam ſucceſsionis argumentationem paulò accuratiùs expendamus, falſa comperietur & inepta, & quod etiam probandum ſuſcepimus

cèpimus, eiuſmodi vt ad Eccleſiam Romanam accommodari non poſsit. Succeſsionem perſonarum & doctrinæ coniungit Pinellus, quæ vt notam Eccleſię conſtituant à ſe inuicem diſtrahi & ſeparari nequeunt. De perſonarum ſucceſsione quid ſentiamus aperte ſuprà diximus, quæ profectò vrgeri neque poteſt, neque debet, tùm quia verbo ſcripto Axioma Pontificium careat, tùm quia mutationes quæ in Eccleſia ſępè incidunt, ſucceſsionem perſonarum eſſe perpetuam & interruptam non patiuntur. Neque ipſi Pontificij demonſtrant Eccleſiæ Romanæ ſucceſsionem perſonarum, de qua nihilominus tantoperè gloriantur: neque ſi demonſtrarent operæpretium facerent. Quid enim obſecro dicturi ſunt de tot Antipapis? quorum nemo haberi poterat legitimum Eccleſiæ caput. Quid de Pontificibus hæreticis? quid de Papiſſa, cui nomen erat Ioannæ? Nullane tandem ſub Antipapis? hæreticis? meretrice turpiſsima & impudentiſsima interruptio fuit perſonarum? Si negas, vobis erunt igitur Antipapæ, hæretici, meretrices Eccleſiæ Catholicæ Romanæ caput, dignum certè patellæ operculum. Sin autem fateris, ergo neque vos etiam perſonarum ſucceſsionem habebitis, & δυνάμει τῆς ἀκολουθήσεως, perſonarum interrupta ſucceſsio, iam non erit ampliùs Eccleſiæ nota & ſymbolum. Quod certè quamuis ſtrenuè diſsimules, tamen neſcio quomodo apertè fateris. Quũ enim obiicimus inter Græ-

cos personalem vigere successionem, tu illam eò reiicis quod non sit apud eos vera & orthodoxa Euangelij doctrina, quasi nos vteremur alio argumento ad refellendam Pontificiorum successionem. Si ergo te ipso teste atque adeò iudice, successio Græcorum vera non est, quòd non retineant veram Euangelij doctrinam, certè Pontificiorum successio vera non erit, propterea quod fidem orthodoxam infinitis & superstitionibus & blasphemiis corruperunt. Et quoniam tibi placet Caiaphæ Pontificatus, & Iudæorum in Dei filium conspirantium Synagoga, concedo vt etiam Romano Pontificatu, qui nihilo est illo melior, Ecclesiáque Romana delecteris: donec tandem & in Iudæos, & in vestras idolomanias sedeat iudex Dominus, & sui contemptum seuerè quidem, sed iustissimè vlciscatur.

De traditionibus Apostolicis respondimus quod est verissimum, Ecclesiæ notam ex illis constitui non posse. Ratio est in promptu. Hactenus in Ecclesia dubitatum est, an sint vllæ traditiones Apostolicæ, in rebus quæ ad fidem pertinent: quænam illæ sint: & quomodo intelligendæ. Verumenimuerò vt hæc omnia impræsentiarum dissimulemus, nego traditiones illas, quibus Ecclesiam demonstrare conatur Pontificij, Apostolicas esse. Quamobrem? Quia scriptis Apostolicis manifestè contradicunt. In Thesi CXIX. & CXLVII inter Apostolorum traditiones numeras oblationes

tiones pro defunctis, Quadragesimam, ritus celebrandæ missæ, crucis aliarúmque imaginum venerationes, festorum celebrationes dierum, & huiusmodi alia. Quis autem in tam clara & illustri, & longè latéque diffusa renascentis Euangelij luce adeò cæcus est, vt ista somnia nihil habere cum sacris literis commune non videat? Nam vt de oblationibus pro mortuis agam primo loco: quàm stulta est illa culpæ & pœnæ distinctio, qua nihilominus accenduntur flammæ purgatoriæ? quàm suis seipsa conficit aculeis? quàm denique ἀνοήτως & rationem culpæ tollit & pœnæ? Nam quid de obseruatione dierum & ab hominibus excogitata & superstitiosa commemorem, quam certè passim damnauit Apostolus? Missæ autem sacrificium vnico Christi sacrificio derogare quis tandem non animaduertit, qui paulò accurratius Epistolæ ad Hebræos decimum caput euoluit? Nec te pudet Iesuita idololatriam in orbem Christianũ inuehere, Christi atque Apostolorum titulis & nominibus commendatam? Scilicet Apostoli, quemadmodum vestri solent Pontifices, æternam Dei legem abrogarunt, vt nobis tandem liceret esse idololatris? At imagines Christi & sanctorum minimè sunt idola. certè si Latinè loquimur, sin autem Græcè, caussa cecidisti. Sed de hac re pluribus aliâs σὺν θεῷ disseremus. Intereà in Pinellum suam ipsius argumentationẽm retorqueamus. Si traditiones

Apostolicæ habendæ sunt pro signo Ecclesiæ vt ea demum sit Ecclesia, quæ Apostolorum traditiones habeat & conseruet: profectò Ecclesia Romana non est vera Ecclesia, vt quæ traditiones Apostolicas non modò non retineat, sed hominum figmenta obtrudat pro traditionibus Apostolicis.

Quæ autem sit Ecclesiæ Romanæ vnitas, quam etiam Ecclesiæ symbolum esse voluit Iesuita Pinellus, aperiendum est. Antequam de doctrina disseramus, breuiter multiplex Pō tificiarum Ecclesiarum forma & ratio excutiēda esse videtur: quæ profectò malè ad efficiendam vnitatem comparata est. Ac primùm Ecclesia Romana vt est τόδε τι, reliquarū omnium Ecclesiarum caput habetur: Archiepiscopatus autem Episcopatibus imperat, Episcopatus Ecclesiis minoribus, ita vt necesse sit, vt specie saltem Remensis Ecclesia differat, à Romana, Parisiensis autem à Remensi, & ideò vt Ecclesiarum inter se vnitas esse non possit. Excipiet fortasse Pinellus vnam esse numero Ecclesiam, cuius Roma sit caput, Remensis, cæteríque Archiepiscopatus, ceruices: Parisiensis autem cum reliquis Episcopatibus, brachia, vt ita demum Ecclesię vniuersalis corpus constituatur. Atqui quum τὸ ἓν dicatur πλεοναχῶς nempè vt τὸ συνεχὲς φύσει, καὶ τὸ ὅλον, καὶ τὸ καθ' ἕκαστον, καὶ τὸ καθ' ὅλα coniicere non possum de quanam Ecclesiæ vnitate loqui velis, quam quum edisseruerīs, me ostensurum spero, quæ sit adeò multiplex, nullo modo tanquam

tanquam si vna esset commendari posse. Ad dogmata venio. Septem inquis esse Sacramenta, purgatorium esse, sanctos esse inuocandos vbique creditur. Quasi verò qui nihil credunt ista credere possint. Vestrum est illud Axioma, fidem implicitam sufficere ad salutem: quo significatis, non esse de particulari cognitione ac intelligentia fidei laborandum, sed in Ecclesiæ placitis, de quibus neque auditum est quidquam, & intellectum multò minus acquiescendum, ita vt vera esse illa confiteamur, & si credere incognita possumus, etiam credamus. Egregia certè fidei, aut potius ignorantię atque adeò infidelitatis vnitas. Longè verò aliter sacræ loquuntur & docent literæ. Fides, inquit Paulus, ex auditu, auditus autem per verbum Dei. At vestri fideles illi, neque verbum Dei audierunt, neque audire à vobis potuerūnt, ita vt eos credere asseueres contra ipsius fidei naturam atque rationem. Deinde an illi dogmata Pontificia tibi videntur amplecti, quibus non est licitum per tyrannidem vestram, ea quum velint repudiare? Si profectò versatus esses in Gallia, Germania, & compluribus in locis, vbi excellentissimo Dei optimi maximi beneficio, Euangelij splendor exortus est, tibíque homines sua committere arcana vellent, intelligeres multò esse plures qui vestras superstitiones planè Pharisaicas detestantur, quàm qui approbent: modò rationem eorum subduceres, qui de Pontificia Christianáque religione calculum ferre possunt. Ad

extremum,quot tãdem in veſtra Eccleſia vniuerſali Romana inuenientur de rebus grauiſſimis contentiones ? de autoritate Papæ, de Tranſubſtantiatione, de originali peccato, de totius ferè noſtræ fidei capitibus. I nunc Pinelle,& vnitatem ſynagogæ Romanæ,ſi potes ad rauim vſque prædica, dum intereà totus orbis,quæ ſit illius diſſentio,apertè conſpiciat.

Synagogæ Romanæ ſanctitatem attribui,vt impudiciſſimæ profligatiſſimæque meretrici caſtitatem quis non miraretur, niſi tot ætate noſtra vbique portenta in lucem prodiiſſent: vt iam nullus admirationi locus eſſe videatur. Sed ad rem.Sanctam eſſe dicit Eccleſiam Romanam Pinellus, vel quòd in ea perpetuò viri ſancti reperiantur,vel propter ſanctitatem doctrinæ,vel quòd habeat Sacramenta quæ ſanctificent.Reſpondeo quum vera ſanctitas pendeat à vera fide,&vera fides à verbo Dei,quum in Eccleſia Romana verbum Dei non explicetur, ex illóque homines in fide Chriſtiana fundẽtur,omninò fieri non poſſe, vt ſancti ſe Romanæ ſynagogæ adiungant, aut in ea reperiantur.Adhæc notum eſt lippis & tonſoribus Sacramenta inter Pontificios partim eſſe commentitia,partim corruptiſſima, vt nec ipſa eſſe ſancta poſſit,neque alios ſanctificare. Doctrina autem eſt huiuſmodi, vt noſtri Doctores apertiſſimè ac firmiſſimè demonſtrarunt: nempe ex Chriſtianiſmo, Iudaiſmo, & Paganiſmo tam infœliciter conflata,vt nihil ad ſalutem minus efficax, nihil denique aut magis propha-

prophanũ, aut impurius eſſe videatur. Ex quibus colligitur, ne diutius lectorẽ detineamus, neque firmitatem neque vera miracula (quibus etiam notis ad probandam Eccleſiam vtitur Pinellus) poſſe ſynagogæ Romanæ attribui, vt quæ nihil habeat cum Eccleſia Dei & communione ſanctorum,in qua eſt ſolida firmitas,& opera verè diuina commercij. Regeramus ergò in Ieſuitam ſua ſymbola.Si vnitas, & firmitas,& miracula ſunt Eccleſiæ ſigna & notæ:Et Romana ſynagoga neque vna ſit, nec firma,neque miraculis ornata reperiatur: neceſſe eſt vt dicamus ſynagogam Romanam,ad Eccleſiam Dei non pertinere.

THESIS CLVIII.

Reſtat vt quæ,Caluiniani, cæteríque hæretici aduerſus Romanam Eccleſiam obiiciunt, in præſentia refellantur.Primùm itaque in Eccleſia Romana multa ſcelera, & prauas corruptáſque conſuetudines inuaſiſſe, & Epiſcopos,alióſque (vt ipſi vocant)Romanenſes malos eſſe ac flagitioſos criminantur: Quæ cum ſanctitate Eccleſiæ nullo modo conuenire poſſunt.Verùm vt hoc loco mendacia omittamus quæ quotidie fingunt miniſtri, vt in omnium odium & inuidiam Catholicos adducant:Et vt etiam in præſentia multa plura,eaque grauiora flagitia, in reformatis iſtis Eccleſiis, quàm in Catholica eſſe minimè probemus:vnum tamen petimus ab eis. Num propter Epiſcoporum aliorúmque prælatorum peccata, pote-

„ ſtatem Eccleſiaſticam interire putant ? Si in-
„ terire dicant in errorem Donatiſtarum inci-
„ dunt, ac de hæreſi in hæreſim prolabuntur: ſin
„ negent, ſequitur propter hominum ſcelera,
„ non eſſe vel ſceleratam dicendam Eccleſiam,
„ vel eam interire.

THESIS CLIX.

„ Quamobrem audiant noui iſti Petilianiſtę,
„ quid Auguſtinus Petiliano hęretico idem obii
„ cienti reſponderit. Quare, inquit Auguſtinus,
„ appellas cathedram peſtilentiæ cathedram A-
„ poſtolicam? Si propter homines quos putas
„ legem loqui & non facere: Nunquid Dominus
„ Ieſus Chriſtus propter Phariſæos, de quibus
„ ait, dicunt & non faciunt, cathedræ in qua ſe-
„ debant vllam fecit iniuriam? Nónne illam ca-
„ thedram Moyſi commendauit & illos ſeruato
„ cathedræ honore redarguit? Hæc ſi cogitaretis
„ non propter homines, quos infamatis, blaſphe
„ maretis cathedram Apoſtolicam, cui non com
„ municatis: Sed quid eſt aliud quàm neſcire di
„ cere, & tamen non poſſe niſi maledicere.

THESIS CLX.

„ Non ergò propterea Lutherus & Caluinus
„ debuerunt Eccleſiam Romanã deſerere. Nón-
„ ne enim Eſaias, Ieremias, aliíque Prophetæ Ec
„ cleſiæ Hieroſolymitanæ grauiſſima ſcelera
„ obiecerunt? nunquid tamen ideò ab ea deſci-
„ uerunt? Nunquid nouum templum, nouúmq;
„ altare erexerunt? Minimè verò. Imò neque eam

Eccleſiam, quamuis mali eſſent eius miniſtri, „
ſed hominum vitia damnarunt ac vituperarũt. „
Vnde pulchrè Cyprianus. Nam etſi, inquit, vi- „
dentur in Eccleſia eſſe zizania, non tamen im- „
pediri debet aut fides, aut charitas noſtra, vt „
quoniam zizania eſſe in Eccleſia cernimus, ipſi „
de Eccleſia recedamus: Nobis tantummodo „
laborandum eſt vt frumentum eſſe poſſimus. „
pulchrè quoque Auguſtinus, quum inquit. In- „
uenimus in Eccleſia malos, tum non aſcendat „
in cor noſtrum impia & pernicioſa præſum- „
ptio, qua exiſtimemus nos ab his eſſe ſeparan- „
dos, ne peccatis eorum inquinemur. „

THESIS CLXI.

Qua in re eò grauiùs peccauit Caluinus, „
quò longè peius fecit quàm docuit. Is enim „
nullo modo Eccleſiam deſerendam, vel aſper- „
nandam eſſe docuit, etiam ſi inquit, multis a- „
lioqui vitiis ſquateat. Ac paulò pòſt reprehen- „
denſe ac eiuſdem farinæ miniſtros: Væ nobis, „
inquit, qui tam diſſoluta flagitiorum licentia „
committimus, vt propter nos vulnerentur im „
becilles conſcientiæ. Tandem hortatur, vt ne „
propterea velint à ſua ſecta diſcedere, eò quòd „
licet Eccleſia ſit ſancta, eſt etiam inquit, bonis „
& malis permixta. Eum tamen non puduit ali- „
ter facere, quàm docuit. „

THESIS CLXII.

Probat deinde Caluinus Romanam Eccle- „
ſiam non eſſe veram, nec eius Epiſcopos veros „

„ esse pastores. Nã inquit, pastoris munera sunt
„ hæc, docere plebem, ministrare Sacramenta,
„ corrigere errantes. Addunt ministri Caluinia-
„ ni duo alia: Infirmos nempe visitare, & curam
„ habere pauperum. Quum igitur hæc in Eccle-
„ sia Romana non fiant, sequitur, vt nec illa vera
„ sit Ecclesia, nec illi veri pastores sint. Contrà
„ verò quum ipsi hæc præstent, inferunt se esse
„ veros pastores. Acuta sanè conclusio.

THESIS CLXIII.

„ Dicant quæso qui ista magnifaciunt. An ve-
„ rus aliquis Episcopus morbo vel senio decum
„ bens, Episcopus siue pastor esse desinat. Nega-
„ bunt opinor. At id temporis nullum exercet
„ pastoris officium. Potest igitur esse verus epis-
„ copus, etiam si suum munus non obeat. Di-
„ cent fortasse eum legitimè excusari, ac intereà
„ per alios illa fieri. Quasi verò (etiam si Põtifex
„ grauissimis negotiis impeditus, non illa per se
„ obeat) non sint in Ecclesia Romana qui ea mi-
„ nistrent. Quanquam non desunt multi hac no
„ stra ætate Episcopi, qui magna cum laude &
„ fructu concionentur, doceant, & Sacramenta
„ ministrent.

THESIS CLXIIII.

„ In eo igitur falluntur noui isti censores,
„ quòd aliud est purum verbum Dei, & vera Sa-
„ cramẽta habere, aliud verò ea ministrare. Iam
„ enim in eorum doctrina signa veræ Ecclesiæ
„ sunt purum Dei verbum, ac vera Sacramenta
habere

habere, non autem per Episcopos ea ministra- "
re, quod est quiddam posterius: Alioqui quum "
nulla ministrantur Sacramenta, nulla erit Ec- "
clesia. "

THESIS CLXV.

Sed vrgent illi, tempore Apostolorum non "
ita factum esse, sed pastores omnes in opere "
fuisse assiduos. Verùm etiam in hoc errant. A- "
postolus enim ad Timotheum ita scribit: Qui "
benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni "
habeantur, maximè qui laborant in verbo & "
doctrina. Quare ne Apostolorum quidem tem "
pore omnes prælati, per se illa munera obi- "
bant, sed aliqui tantùm cum solicitudine præ "
rant. Ad Romanos quoque ait: Qui præest in "
solicitudine, Vbi munus regendi à munere "
concionandi ac docendi Apostolus distinguit. "
Quare Caluinus his locis victus, ac sui odij in "
Romanos Pontifices oblitus ait: Ad ordinem "
Ecclesiasticum seu iurisdictionem spectare, "
vt sint aliqui qui præsint, alij verò qui labo- "
rent in verbo. "

THESIS CLXVI.

Illud quoque ministri obiiciunt, Ecclesiam "
Romanam multis superstitionibus esse refer- "
tam, eámque duos habere sponsos Christum "
& Papam. Vocant autem superstitiones Mis- "
sam, orationes pro defunctis, sanctorum inuo- "
cationem. Sed mirum non est si homines lu- "
mine fidei orbati, in ipsa luce cespitẽt & deer- "

„ rent: quum si quæ superstitiones sunt, eæ pri-
„ uatorum hominum vel vrbium sint. Nam
„ quod vniuersæ Ecclesiæ commune est, quum
„ vel in sacris scripturis habeatur, vel ab Apo-
„ stolis temporis decursu ad nos peruenerit, su-
„ perstitio esse non potest. Falsum etiam illud
„ est, duos esse Ecclesiæ Romanæ sponsos. Nam
„ solum Christum esse sponsum dicimus: Pon-
„ tificem verò eius vicarium, ac quasi in terris
„ legatum.

THESIS CLXVII.

„ In electione verò Pastorum putent Calui-
„ niani, se benè aduersus nos esse armatos. Nam
„ Ecclesiam Romanam reiiciunt, quòd in ea Pa
„ stores, absque consensu populi eligantur, vt sta
„ tuisse ac fecisse Apostolos volunt. Sed errant
„ noui isti interpretes. Nusquam enim in scri-
„ ptura habetur, Pastores Ecclesiæ à senatu vel
„ populo constitui. Nam Pauli illa vox est. Nec
„ quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur
„ à Deo tanquam Aaron. Deus autem ad curam
„ animarum per Apostolos & eorum successores
„ vocat: vt Timotheus à Deo per Paulum ad sa-
„ cerdotium vocatus est. Tito etiam & non po-
„ pulo dixit Paulus, vt Presbyteros constitue-
„ ret. Denique Paulum & Barnabam Presby-
„ teros per singulas Ecclesias Lystriæ, Iconij, &
„ Antiochiæ constituisse sacra Scriptura com-
„ memorat.

THESIS CLXVIII.

" Quod si aliquando in eligendis pastoribus, populus

populus secularis locum habuit, non id pro- "
pterea factum est quod conferret potestatem, "
ac pastores constitueret. Quomodo enim po- "
pulus quam ipse non habet potestatem spiri- "
tualem, alij dare posset? Sed quod eos tantùm "
proponeret, ac suo testimonio approbaret. Il- "
lud verò quod ex Actis Apostolicis afferunt, "
inane est. Nam non in vulgata editione, sed "
tantùm in eorum versionibus habetur, nempe
suffragiis fuisse creatos quosdam presbyteros. "
Quanquam nec ibi exprimitur, quorum suffra "
giis, populíue an clericorum creati fuerint. "
"

THESIS CLXIX.

Dicet fortasse aliquis. Si vera est Ecclesia "
Romana, quid sibi vult quòd tam multi popu "
li ab eius fide & imperio, & olim in Oriente, "
& iam in Aquilone desciscunt? Verùm hoc "
maximè eam esse veram Ecclesiam confirmat. "
Paulus enim hoc ipsum futurum in Ecclesia "
Christi prædixit. Spiritus inquit, manifestè di "
cit, quia in nouissimis temporibus discedent "
quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, "
& doctrinæ dæmoniorum. Ac alibi. Hoc au- "
tem scito, inquit, quod in nouissimis diebus in- "
stabunt tempora periculosa, & erunt homines "
se ipsos amantes, superbi, sine pace, proditores, "
voluntatum amatores, habentes speciem qui- "
dem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. "
Idem prædixit Petrus. Idem Iudas Apostolus. "
Quum ergò in Ecclesia Romana hæc videa- "

» mus contigisse & in dies contingere ea putan-
» da est Christi Ecclesia.

THESIS CLXX.

» Neque propterea timendum nobis est, ne
» Ecclesia omninò deficiat: nam cùm supra fir-
» mam petram fundata est, tùm sponsum habet
» sui maximè sollicitum, qui si in Europa vnus
» Ecclesiam relinquit, in Indiis centum ad Ec-
» clesiam vocat: Nam sine vlla dubitatione in
» vtraque India longè plures catholicam fidem
» complexi sunt, quàm in Europa eam deseruê-
» runt.

THESIS CLXXI.

Quod non obscurum argumentum est: ve-
» ram esse Romanam Ecclesiam, in qua nempè
» esse eam doctrinæ legisque efficacitatem vide
» mus, quam Dauid legis Domini propriam es-
» se dixit: lex Domini inquit, immaculata con-
» uertens animas. Est nimirum in sola Ecclesia
» Romana vis conuertendi animas Indorum, nó
» solum ab inueterata superstitione idolorum,
» sed quod magis est à fœdis & obscœnis volu-
» ptatibus, ad vitam castam & immaculatam.
» Hæreticorum verò munus est, non infideles
» ad rectam fidem adducere, sed in agro Domi-
» ni Zizania superseminare.

THESIS CLXXII.

Operæpretium autem esse videtur vt extremũ
» hunc locum nonnullæ sanctorum Patrum au-
» toritates teneant, quò intelligant pij lectores,

quibus non vacat illorum libros & monumen « «
ta euoluere, quid sancta illa ac veneranda anti- « «
quitas, de Romana Ecclesia senserit literisque « «
mandauerit. « «

Anacletus igitur, qui ante 1480. circitor an- « «
nos vixit, & presbiter ab Apostolo Petro crea « «
tus est: Hæc verò inquit, sacrosancta Romana « «
& Apostolica Ecclesia, non ab Apostolis, sed « «
ab ipso Domino saluatore nostro, primatum « «
& eminentiam potestatis, super vniuersas Ec- « «
clesias, ac totum Christiani populi gregem as- « «
sequuta est, sicut ipse B. Petro Apostolo dixit, « «
Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo « «
Ecclesiam meam, & paulò post, si quæ causæ « «
inquit, difficiliores inter vos ortæ fuerint, ad « «
huius sanctæ sedis apicem eas, quasi ad caput « «
referte, vt Apostolico terminentur iudicio, « «
quia sic dominum velle, ab eoque ita constitu « «
tum esse antedictis testimoniis declaratur: hæc « «
verò Apostolica sedes caput & cardo omnium « «
Ecclesiarum, à Domino & non alio est con- « «
stituta. « «

Irenæus martyr, qui ante 1400. de sede Ro- « «
mana loquens: Ad hanc inquit, Ecclesiam pro « «
pter potentiorem principalitatem, necesse est « «
omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos qui « «
sunt vndique fideles, in qua semper conseruata « «
est ea, quæ ab Apostolis est, traditio. Tertul- « «
lianus, qui ante 1300. annos floruit. Si Italiæ « «
adiaces inquit, habes Romã, vnde nobis quoq; « «
autoritas præsto est. Fœlix Ecclesia cui totã do « «
ctrinã Apostoli cũ sanguine suo profuderunt. « «

Lucius martyr, qui eadem ferè ætate fuit, de Romana Ecclesia sic ait: Hæc sancta & Apostolica mater omnium Ecclesiarum Christi Ecclesia, quæ per Dei omnipotentis gratiam, à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauata succubuit: sed vt in exordio normam fidei Apostolicę percepit ab autoribus suis, Apostolorum Christi principibus, illibata fine tenus manet.

Cyprianus, qui etiam antè 1300. ferè annos vixit, postquã ostendisset hæreses omnes obortas esse, quòd vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi non cogitaretur, subiungit hæc verba: Nauigare audent ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalẽ, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos (quorum fides Apostolo prædicante laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum.

Sixtus, qui pro Christi, fide ante 1250. annos mortuus est, de Ecclesia Romana sic ait: cuius fides inquit, nullum vnquam fallit, sed omnes quidem hæreses destruit.

Optatus Mileuitanus ante 1200. ferè annos hæc scripsit: Igitur negare non potes inquit, scire te in vrbe Roma Petro primò cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, in qua vna cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderẽt.

Ambro-

Ambrosius qui Ecclesiam Mediolanensem ante 1100. annos rexit: non ignoramus, inquit, quòd Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam. Et paulò pòst. In omnibus inquit, cupio sequi Ecclesiam Romanam.

Hieronymus qui eodem seculo floruit, Ideò mihi inquit, cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, inde nunc meæ animæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi. Et paulò post. Ego nullum primum, ait, nisi Christum sequens, beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri communione consocior, super illam petram ædificatam Ecclesiam scio, quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est.

Augustinus, qui eadem scripsit ætate, dubitabimus nos inquit, eius Ecclesię condere gremio, quæ vsque ad confessionem generis humani, ab Apostolica sede per successiones Episcoporum, frustrà hæreticis circumlatrantibus & partim plebis ipsius iudicio, partim conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen autoritatis obtinuit? Cui nolle primitias dare, vel summæ profectò impietatis est, vel præcipitis arrogantiæ.

Anselmus, qui ante 400. circiter annos vixit: Ecclesiam Romanam vocat cor cæterarum Ecclesiarum, & alio loco ait: Apostolum gratias agere Deo, primùm pro Romanis, quoniã Romana Ecclesia inquit, primatum habet inter omnes Ecclesias.

» Bernardus, non multò post Anselmum, de
» Romana Ecclesia hæc quoque scribit: Dignũ
» namque arbitror inquit, ibi potissimum resar-
» ciri damna fidei, vbi non possit fides sentire
» defectum: hæc quippe huius prærogatiua se-
» dis. Cui enim alteri aliquando dictum est, ego
» pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua?
» Synodus Alexandrina siue Ægyptiorum Epi-
» scopi ad Fœlicem de Ecclesia Romana in hũc
» modum scripserunt. Præfatam Apostolicam
» & summã expetimus iuxtã canonum decreta
» sedem, vt inde auxilium capiamus, vnde præde
» cessores nostri ordinationes & dogmata atque
» subleuationes cœperunt. Ad eam quoq; qua-
» si ad matrem recurrimus, vt eius vberibus nu-
» triamur, quoniam non potest mater obliuisci
» infantem suum, & paulò pòst, ipsa est enim sa
» cer vertex, in quo omnes Ecclesiæ vertuntur,
» sustentantur, & releuantur. Quæ quum ita sint
» quis sine stomacho misera ætate audiat ine-
» ptos ac indoctos homunciones, contra tot
» insignes doctrina & sanctitate Patres, Eccle-
» siã Romanam synagogam antichristi impuden-
» ter appellare?

THESIS CLXXIII.

» Sed Caluinus præclara hæc Patrum testi-
» monia non ignorans, quum ea reiicere non
» auderet, conatus est eleuare. Sic enim ait: quòd
» veteres magnum Romanæ Ecclesiæ honorem
» detulerint, reuerenterque ac honorificè de ea

loquuti sint, causa fuit opinio illa quæ nescio
quo modo inualuerat, Ecclesiam nempè Ro-
manam Petri ministerio fuisse fundatam ac in
stitutam. Deinde quòd Roma pacatior fuerit,
& caput Imperij, cuius rei habebatur ratio.
Verùm Caluinus gratis in dubium vocat, Ec-
clesiam Romanam à Petro & Paulo constitu-
tam fuisse. Quod tamen Patres, qui eodem se-
culo vixerunt, Apostolorumque fuerunt audi
tores, asserunt: vt antè probatum est. Reliqua
verò contra se affert, & nostram sententiam
potius confirmant.

THESIS. CLXXIIII.

Illud etiam in primis corroborat, vera esse
quæ sancti Patres de Ecclesia Romana asseue-
rauerunt. Quòd consilia nisi à sede Romana
probata fuerint, nullius sunt autoritatis & põ
deris. Deinde quos Romana sedes iudicaue-
rit hæreticos, in vniuersa illi Ecclesia hæretici
habiti sint. Quin nunquam ab ea quisquam
alias Ecclesias appellauit: Imò quæstiones o-
mnes de fide & moribus, in aliis Ecclesiis ortę
& disputatæ tandem ad Ecclesiam Romanã,
tanquam ad supremum tribunal in terris de-
latæ sunt.

THESIS CLXXV.

Videmus præterea non solum sectas, quæ
contra Ecclesiam Romanã excitatę sunt, eua-

» nuisse omnes, sed etiam Ecclesias, quæ se ab ea
» auulserunt, tanquam ramos ab arbore præci-
» sos, & riuos à fonte separatos, exaruisse, ipsam
» verò semper in suo statu permanere.

THESIS CLXXVI.

» Iam verò infælix exitus eorum, qui Ecclesiã
» Catholicam oppugnare ausi sunt, & præcipuè
» Hæresiarcharum idem suadere deberet. Ac vt
» alios omittamus: Schytianus è domo, vbi ma-
» gicæ artes contra Ecclesiam non successerunt,
» delapsus miserè interiit. Quẽadmodum Simõ
» magus, quum dæmonum opera è capitolio
» volare cæpisset, vidẽtibus Romanis, lapsus est,
» ac fracto crure paulò post mortuus. Manes, vn
» de Manichæi nomen acceperunt, sæpius in pu
» blica disputatione victus, ac fugiens ne à popu
» lo lapidibus cæderetur, captus est à rege Persa
» rum, ac viuus arundine excoriatus. Arrius cum
» intestinis animam quoque effudit. Nestorius
» lingua à vermibus consumpta animam effla-
» uit. Lutherus post lautam cœnam distorto ore
» mortuus in lecto repertus est. Oecolampadius
» morte repentina extinctus est. Zuinglius in
» bello cæsus est. Caluinus vermibus consum-
» ptus interiit. Carolostadius denique à dia-
» bolo, vt ministri Basilenses testantur necatus
» periit.

THESIS CLXXVII.

» Atque ex his sacrarum literarum autoritatibus

tibus, sanctorum patrum testimoniis, firmarũ «
rationum momentis, atque adeò ipsa aduersa- «
riorum confessione (Caluiniani enim ministri «
in eo tractatu de Ecclesia, quem Gallicè Gene «
uæ ediderunt, sibi obiicientes num qui in Ec- «
clesia catholica, eiusque doctrina obierunt, «
damnati sint: respondent, non omnes qui in «
fide Romanæ Ecclesiæ extremum clauserunt «
diem esse damnatos, sed plerosque eorum bea- «
titudinem consequutos) planè concludimus in «
Ecclesia catholica, cuius Romana sedes est ca- «
put & magistra, salutis consequendæ spem es- «
se certissimam. Sic vt qui extra eam sit, de via «
erret, & nullum alium penitus ad cælum adi- «
tum, quàm maturũ ad eam reditum habeat. «
Quare verissima est illud Fulgentii sententia, «
qui sic ait, omni homini qui Ecclesiæ Catho- «
licæ non tenet vnitatem, neque baptismus, ne- «
que eleemosyna quantumlibet copiosa, neque «
mors pro nomine Christi susceptа, proficere «
poterit ad salutem. «

ANALYSIS.

Non est deserenda Ecclesia propter mores aut populi, aut Episcoporum deprauatos: Caluiniani reliquerunt Ecclesiam Romanã, quòd mores populi & Episcoporum deprauati sint: Caluiniani ergo sunt schismatici. Item, Si tem poribus Apostolorum alii tantùm præerant, alij autem docebant: certè nostro etiam seculo Episcopi omnes ad docendum obligati esse

non debent. Item, Si populus non habet potestatem conferendi Episcopatum, ordinationes Episcoporum sine autoritate & consensu populi factæ irritæ esse non debẽt. Atqui populus non habet potestatem conferendi Episcopatum: Igitur Episcoporum ordinationes sine autoritate & consensu populi factæ non sunt irritæ. Item, ea vera est Christi Ecclesia quã omnes antiqui Patres commendarunt: Ecclesiam Romanam omnes antiqui Patres cõmendarunt, ergò Ecclesia Romana vera est Ecclesia.

REFVTATIO.

Erras Pinelle Iesuita, & quidem non ferendum errorem, si arbitraris nos Ecclesiam Pontificiam vobis reliquisse, propter illius depravatos sceleratosque mores: quamuis enim abundè lætemur, nihil nos amplius habere cum illa sentina commercij: tamen si nobis Euangelio frui vobiscum licuisset, patienter expectauissemus dum ipse Deus dormientes & perditos Pastores, cum vigilantibus & bonis commutaret. Itaque facis omninò impudenter, qui nos cum Donatistis compares, quasi vobiscũ de moribus duntaxat, & non de ipsa doctrina dimicaremus. Prima igitur Iesuitæ argumentatio μεταβαίνει εἰς ἄλλο γένος: quod certè vitium grauissimè notare solent benè differendi leges. Et quoniam nos falsi accusat, tanquam si Romanæ synagogæ crimina obiiceremus, à quibus esset vehementer aliena: cuiuis non penitus ab illa impudentissima meretrice fascinato diiudicandum relinquo, iuréne an iniuria de nobis conqueratur Pinellus. Restat vt Iesuita comprobet, non licere ab Ecclesia discedere, quæ doctrinam Euangelij penè infinitis erroribus & blasphemiis corruperit, an tequam nos quasi essemus schismatici traducat: vel quod enixè à Pontificiis contendimus, doceat, Ecclesię Romanæ dogmata cum veritate sacrarum literarum consentire: nostræ autem Ecclesiæ καθήκοντα à scriptis Propheticis & Apostolicis esse alienam. Quid enim? An Elias cũ idololatris communicauit? an reliqui Prophetæ abominationes in templo Hierosolymitano erectas sub impiis regibus adorarunt? At Pontificii non sunt idololatræ. Quid audio? Ecquodnam fuit post hominum memoriam execrabilius & magis detestandum idolum Pontificio crustulo? sanctorum imaginibus? & infinitis huiusmodi portentis? fas ergò iusque fuit, quemadmodum & Prophetis, ita & fidelibus Dei seruis, se ab idololatriæ commercio seiungere, & veritati sacrarũ literarum addicere. Nec Caluinus aliter fecit quàm docuit, sed suam doctrinam tùm vita expressit, tùm adeò illustribus testimoniis confirmauit, vt eã vniuersa Iesuitarũ natio conuellere non possit. Sed hac de re plus satis.

De vestris Episcopis agè nunc disseramus. Nemo est qui nesciat in Ecclesia Romana, nullum Episcopi munus esse, si otium, li-

bidinem, luxum, ambitionem, sericorum ostentationem vestimentorum, auaritiam, omniũ denique vitiorum genera excipias. Meritò igitur Caluinus, & cum Caluino reliqui doctores nostri pernegant legitimum esse apud vos Episcopatũ. Docet enim scriptura quodnam sit Episcopi munus & officium, & quibus tandem partibus contineatur. 1. Tim. cap. 3. vers. 1. *Fidus est hic sermo, si quis Episcopatum appetit, præclarum opus desiderat, oportet igitur Episcopum irreprehensum esse, vnius vxoris virũ, vigilantem, temperantem, compositum, hospitalem aptum ad docendum &c.* Tit. ca. 1. vers. 7. *oportet Episcopum inculpatum esse tanquam Dei dispensatorem &c. Tenacem fidelis illius sermonis qui ad doctrinam facit, vt possit & exhortari doctrina sacra, & contradicentes conuincere.* 2. Tim. cap. 4. vers. 2. *Prædica sermonem, insta tempestiuè, intempestiuè, argue, obiurga, exhortare, cum omni lenitate & doctrina &c. At tu vigila in omnibus, perfer iniurias, opus perage Euangelistæ, ministerij tui plenam fidem facito.* 2. Petr. cap. 5. vers. 2. *Pascite gregem qui penes vos est, illius inspectioni vacantes non coactè, sed libenter: non turpiter affectantes lucrum, sed prompto animo. Neque vt dominantes cleris, sed vt qui sitis exemplaria gregis.* Exigite si vultis ad hanc Apostolicam normam vestros Episcopos, & tunc demum perfricta fronte, in Ecclesia Romana legitimum Episcopatum esse, ad rauim vsque si libet contendite. Tu verò festiuè admodùm respondes, si Episcopus morbo vel senio decũbat, Episcopi nomẽ & dignitatem non amittere. Quid tum posteà? an vestri Episcopi, quos sæpenumerò vixdum natos habetis, euestigiò senes fiunt, aut morbo sontico laborant? Quodnam obsecro est illud argumentandi genus? Episcopus ægrotans à suo munere dum pristinæ valetudini restituatur, excusandus est, Igitur benè sani & valentes eodem iure sunt excusandi. O egregiam ratiocinationem, & ad conuincendos omnes hæreticos ingenioſè comparatam? At Pontifex Romanus videlicet, *Quum tot sustineat, & tanta negocia solus, Res Italas armis tutetur, legibus ornet, Moribus emendet, in publica commoda peccaret, Si longo sermone sua tempora moraretur.* Testes sunt historiæ quantum vestri Pontificis occupationes toti Christiano orbi profuerint, vt omnino excusandus esse videatur, si bella, seditiones, homicidia, incantationes, veneficia, luxum, ambitionem, latrocinia, Propheticæ atque Apostolicæ doctrinæ prædicationi anteponat. Reliqui autem Episcopi, quibus tot curæ non incumbunt, cur tandem à prædicatione abstinent? Multi sunt inquit, hac nostra ætate qui magna cum laude ac fructũ concionantur. Benè profectò. Sed cur omnes suo muneri non seruiunt? Et quinam sunt tandem illi concionatores Episcopi? Ego certè multorum audiui nomina, in quibus vixdum erat vnus & alter, qui cathedram concionandi causſa suspicere auderet. Quotus verò quisque est, qui assiduè in Ecclesia doceat? Nempè si quis reperiatur inter vestros

Episcopos, qui tantum eloquentiæ habeat, quantum ad mendacia Romana è suggestu explicanda satis est, sibi egregiè suo se functum officio arbitrabitur, si quater in anno fuerit à suis popularibus auditus. Hoccine est obsecro, gregem Domini pascere? Occurrit Iesuita, aliud est inquit, verbum Dei & sacramenta habere, aliud verò ea ministrare. Quid hoc sibi vult? An vestri Episcopi verbum Dei & sacramenta clam populo recondunt, vt de spiritualibus diuitiis priuatim & in sinu gaudeant. Verumenimuerò Aspendii citharistæ nihil habent cum Episcopi officio commune: cuius certè ratio minimè ad illum qui Episcopus est refertur, sed ad populum cuius esse dicitur Episcopus, quemadmodum natura τῶν πρός τι ἀπερτissimè commonstrat. Nec ad rem facit quòd addis, alioqui quum nulla ministrantur sacramenta, nulla erit Ecclesia. Neque enim Ecclesiæ definitio restringitur ad actionem illam, qua verbum Dei & sacramenta hominis alicuius ministerio participat, quamuis aspectabilis Ecclesia intelligi non possit, nisi facta mentione istius actionis: quod etiam de Episcopo magis obtinet, qui etsi habeatur Episcopus, quum neque publice docet neque priuatim, neque sacramenta ministrat: nihilominus hoc titulo insignitur, quòd ad docendum & sacramenta exibendum sit à Deo institutus, & ordinatus: ita vt si à suo munere abstineat, iam non sit pro Episcopo agnoscendus, nisi fortè nomẽ Episcopi vsurpemus ὁμωνύμως.

Magis etiam impudenter caussam suam defendere pergit Iesuita Pinellus. Negat enim Apostolicis temporibus Pastores omnes in opere fuisse assiduos: & ne sine ratione insanire videatur, laudat hunc versiculum ex cap. 5. 1. ad Timotheũ. Qui benè præsunt presbyteri duplici honore digni habentur: maximè qui laborant in sermone & doctrina, ex quo efficere contendit, tũ oẽs prælatos per se munera illa non obiuisse, sed aliquos tantũ cũ solicitudine præfuisse. Obiter admonendus est Pinellus saltem ex Paulo apertè colligi eos, qui laborant in doctrina pluris esse faciendos, quàm illos qui præsunt vt ipse vult cũ sollicitudine. At reliqui Pontificij hoc nunquã concederẽt, vt qui primas deferre soleant suis Episcopis quantũlibet otiosis, quũ interea ne tertias qui dẽ attribuãt famelicis & μεμψιμοίροις cõcionatoribus. De Papa autẽ quid fiet, qui supra oẽs pisce quoq; magis mutus attollitur? Sed vt rem totam illustrius explicem, duos presbyterorũ fuisse ordines constabit, si attentè Pauli hunc quẽ habemus in manibus locũ excusserimus. Hæc distinctio seruatur etiamnuum in Ecclesiis ad præscriptũ verbi diuini reformatis: quę vt intelligatur, statuẽdũ est appellationẽ Presbyteri esse generalẽ, qua nõnunquã Apostoli vt 2. Ioã. c. vn. v. 1. 1. Petr. ca. 5. v. 1. nonnũquã Episcopi, vt passim in Actis Apostolicis, aliquando Diaconi, sæpissimè autem illi quos peculiariter presbyteros appellamus, designãtur. Qui autem sint Apostoli & Episcopi, &

Diaconi nemo non intelligit, vt noſtra oratione non ſit opus: Presbiteri verò illi ſunt, qui minimè quidē concionandi munus obeūt & ſacramenta populo adminiſtrant, ſed vnà cum Paſtoribus Eccleſiam regunt, & iudicia Eccleſiaſtica moderantur, ne vnius hominis arbitrio, vel potius libidine, vt in Papatu fieri videmus, Eccleſia Dei peſſimè adminiſtretur: ita vt ex Pauli ſententia alij quidem doceant, alij autem Eccleſiæ duntaxat inuigilēt, & vt omnia rectè atque ordine fiant, ſtrenuè pro munere ſuo incūbunt. Sed nihil hoc pertinet ad veſtros Epiſcopos, qui quum primas in Eccleſia obtineant neque doceant: Epiſcopi eſſe non poſſunt & Presbyteri multò minus. Quî enim eſt ille habendus pro Epiſcopo, qui nullam Epiſcopatus partem attingit? aut qui potius quantum in ſe eſt omnem Epiſcopalis muneris rationem euertit? & quomodo presbyteri officium ille tandem ſuſtinet, qui perpetuò eſt otioſus, & in adminiſtranda Eccleſia recuſat in ſecundis tertiiſque conſiſtere? Atque vtinam Caluini locum quem citas enucleatè conſideres, qui quoniam & à te laudatus eſt, & ab eruditiſſimo illo & accerrimi iudicii Theologo accuratè explicatus, me admonere videtur, vt ab iſtiuſmodi quæſtione iamdiu profligata, & ad exitum adducta temperem. De ſuperſtitionibus Eccleſiæ Romanæ toti mundo cōpertū eſt, & cùm tibi otium erit, ex profeſſo quam illæ ſint execrandæ, atque ex innumeris pene blaſphemiis conflatæ, oſtendemus

mus. Si Canones tui Papæ legiſſes, non falſitatis eos accuſares, qui obiecerunt Papam ſe pro Eccleſiæ ſponſo, impudentiſſimè & in Chriſtum contumelioſiſſimè gerere: qua certè blaſphemia nulla eſſe poteſt indignior, & Chriſtianis omnibus odioſior.

Quod verò ad electiones Pontificias, & veſtrorum Epiſcoporum attinet, multis modis contra verbi diuini autoritatem illæ adminiſtrantur. Nam neque doctrinæ habetur exacta ratio, neque morum, neque quod eſt abſurdius, ad paſcendum gregem Domini ordinantur apud vos Epiſcopi, ſed vt in aulis regū & principum verſantes, Pontificiæ tyrannidi fulciendæ incumbant. Negas autem populi ſuffragia in Paſtoribus eligendis eſſe neceſſaria. Quamobrem? Quia, vt Apoſtolus inquit, Nemo ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Deus autem ad curam animarum per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores vocat, vt Timotheus à Deo per Paulū vocatus eſt. Ridiculè profectò. Aaronis enim vocatio extraordinaria fuit, ex qua certè norma electionis ordinariæ conſtitui nō poteſt. Nihilominus quamuis Deus nominatim ad Iſraeliticum Pontificatum Aaraonem vocauerit, populi conſenſum & approbationē adhiberi voluit, quemadmodum ex Leuit. ca. 8. verſ. 3. facilè colligimus. Deinde quodnam eſt illud ratiocinandi genus? Deus eligit per Apoſtolos & eorum ſucceſſores, igitur non eligit per populum. Error eſt παρὰ τὴν διαίρεσιν.

Tu enim diuidis ea, quæ coniuncta esse debent. Siquidem præsunt electionibus Pastores, populus autem illos approbat suo suffragio, à quibus ipsum audire verbum Dei & sacramenta recipere oportet. Huius rei luculentum habemus testimonium in Actis Apostolicis cap. 14. vers. 23. Quem locum eò niteris eleuare, quòd in veteri translatione nulla fiat suffragiorum mentio. Atqui tantum Theologum in translationib. subsistere minimè oportuit, sed ad ipsum αὐτόγραφον rectà pergere, in quo hunc in modum explicatur electio χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ' ἐκκλησίαν &c. Id est, Quumq; ipsis per suffragia creassent per singulas Ecclesias presbyteros &c. At non exprimitur, inquis, quorum suffragiis populine an clericorum creati fuerint. Magna certè dubitatio, & quæ vix possit explicari, propterea quòd in Ecclesia nuper admodum ad fidem conuersa, cætum clericorum derepentè extitisse credibile est.

Ad testimonia, cætera quæ partim suppositia sunt quemadmodum Clemētis & Anacleti, partim in alienum sensum detorta, non est animus respondere: quòd intra verbi scripti cancellos disputationes Theologicas verti putem oportere, quodque mea responsione non indigeant, quum sint iandiu à doctissimis hominibus excussa, & à vestris sophismatibus in pristinam dignitatem suam restituta. Igitur hoc vnum superest, vt te orem & obtester Carole Princeps Illustrissime, vt Iesuiticarum argumentationum vanitate ac plusquam mona-

machali superstitione & hypocrisi repudiatis, te ad veritatem Dei propugnandam conferas, & terreni atque falsi Pontificis oblitus, cœlestem & verum Pontificem adores.

FINIS.

Amice lector, quædam huic editioni errata, literarum mutationes, atque vocularum defectus acciderunt, propter autoris κακογραφίαν, & operarii festinationem, quibus si te benignum præbueris, & quidquid est huius opusculi, currente prælo elaborati, æqui bonique consulueris, in altera editione conabimur, omnia vt correctiora emendatioráque habeas.

THEOLOGICAE DISPVTATIONIS DE VERA ET FALSA DIFERENTIA VETERIS ET NOVAE LEgis, contra fundamentum Lutheranæ doctrinæ à Caluino etiam receptum, in Theſes diſtributæ, quas in Academia Ingolſtadienſi, anno ſupra milleſimum & quingenteſimum octuageſimo, publicè defendit CHRISTOPHORVS SELLA NORINBERGENSIS, præſide & conſarcinatore GREGORIO DE VALENTIA, monacho nouæ ſocietatis, quam inſigni cum impudentia & blaſphemia ſocietatem Ieſu appellant.

TH. Q. T. perſpicua & breuis ANALYSIS ET REFVTATIO.

THESIS I.

LEx diuina, ex autore atque ex fine, conuenienter ſcripturis ſanctis deſcribi ſolet: diuinum decretum hominibus præſcribens modum neceſſarium, vt aptè peruenire poſſint ad ſupernaturalē bea-

» titudinem, quæ est vltimus humanæ vitę finis.
» Cuius legis quanta præstantia sit atque vtili-
» tas, ex quatuor virtutibus licet colligere, quas
» Dauid pulchrè & breuiter tribuit verbis illis:
» lex Domini immaculata, quoniam nihil præ-
» cipit mali, sed peccatum omne vetat ac punit:
» conuertens animas, quia de internis etiam
» animi affectibus, quibus præcipuè homines
» adhærent Deo, constituit: Testimonium
» Domini fidele, eo quòd certissimè monstrat,
» quid rectum sit, quid contra prauum: sapien-
» tiam præstans paruulis, qua ratione nos
» tanquam paruulos de quibusdam rebus e-
» rudit, quæ nostrum captum superant. Quas
» ob caussas meritò idem Propheta: legem,
» inquit, pone mihi Domine viam iustifi-
» cationum tuarum, & exquiram eam sem-
» per. Et, quomodo dilexi legem tuam Do-
» mine?

THESIS II.

» Hinc per Synecdochen lex diuina non-
» nunquam dicitur tota religionis summa, quæ
» non tantùm præceptis, quibus data descri-
» ptio propriè conuenit, sed etiam promis-
» sionibus, cultu, doctrina, institutis, offi-
» ciorum gradibus &c. continetur. Vt quum
» ait Dominus, Non veni soluere legem, sed
» adimplere. Et Apostolus, finis enim legis
» Christus, pro tota summa religionis Mosaicæ
» rectè lex potest accipi.

THE-

THESIS III.

Similiter in eo loco vbi prædictum erat, « de Sion exibit lex, & verbum Domini de « Hierusalem, legem accipere debemus, non « tantùm pro Christi præceptis, quæ Apostoli « iussi fuerunt hominibus exponere, sed e- » tiam pro toto Christianæ religionis institu- « to, quod Hierosolymis prædicari est cœptum. « Quumque constet eam Christi religionem at- « que adeò legem, quæ de Sion exiuit, nouam « fuisse, apparet etiam quidquid sectarij ob- « murmurent, loquendi consuetudinem rectè « obtinuisse, vt Christianæ religionis summa, « noua lex vocetur. «

ANALYSIS.

Lex describitur, diuinum decretum hominibus præscribens modum necessarium, vt aptè peruenire possint ad supernaturalem beatitudinem, quæ est vltimus humanæ vitę finis. Item, lex diuina modò accipitur pro præceptis, quibus data descriptio propriè conuenit, modò pro tota Christianę religionis summa, vt ex Mattheo, Paulo, & Esaia colligitur.

REFVTATIO.

Nemo est illorum, qui Theologiam primoribus labris attigerunt, quin hoc apud se fixum habeat & constitutum, si vera & orthodoxa, de vtriusq; Testamenti conuenientia & differentia cognitio, vel obscuretur, vel mali-

tiosis sophistarum artibus nobis eripiatur, fore vt in legendis voluminibus sacris,& oleum perdamus, & operam. Cuius rei luculentum Gregorius de Valentia testimonium exibet, qui quoniam verum discrimen vtriusque fœderis,aut malitia subuertit,aut certè ignorantia,tam ineptè atque adeò impiè Theologicatur,nihil vt stolidiùs me in vita legere meminerim & impurius : quemadmodum eos mihi concessuros esse arbitror , qui Theses Valentianas cum meis refutationibus patienter & attentè comparabunt. Quod vt facilius ab eis lectoribus obtineam,qui veritatis aut inueniẽdæ, aut confirmandæ studio hæc qualiacũque lecturi sunt:operæpretium in ipso disputationis aditu & vestibulo , me facturum esse arbitror, si quænam sit nostri Iesuitæ in tractatu isto mens & consilium,accuratè paucis explicauero.Inter nos atque Pontificios grauis est maximíque momenti controuersia de iustificatione , quam nos fidei,quatenus Christum apprehendit,acceptam ferimus: Pontificij autem nescio quo modo inter homines & Christum partiuntur , ita vt hominum opera & actiones locum habeant necessariò in iustificatione definienda.Hunc errorem Pontificiorũ ita defendit Gregorius,vt more Iesuitarum nouis etiam erroribus , & ad Pelagij dogma vehementer accedentibus auctum cumulatumq; dimittat. Quamobrem si hominis sophismata diluerimus,&nostram de iustificatione doctrinam cum sacris literis consentire ostendemus

mus , & opinionem Pontificiam à veritate alienam esse comprobabimus.Quum legis vocabulum , vt ipse agnoscit Gregorius,modò συνεκδοχικῶς vniuersam religionis doctrinam significet,modò peculiariter illa decem mandata,in tabulis à Deo perscripta , & Mosi tradita designet,accuratè videndum est,ne in quæstione illa,quæ de iustificatione instituitur , legis appellationem καταχρησικῶς , cum eius propria & genuina significatione confundamus: quod quia sæpissimè Gregorio vsuuenit,mirum videri non debet hominem in Theologiæ fundamento , grauiter & periculosè lapsum esse. Itaque in primis animaduersione digna esse videtur illa sententia,quæ legi proprie vsurpatæ & nominatæ officium Euangelij atque ἐνέργειαν attribuit : cuius etiam ideò naturam subuertit atque rationem,vt lex amplius & Euangelium legis atq; Euangelij definitionem admittere non possint , vnde totius fidei nostræ ingens oritur confusio.Quæ omnia facillimè probantur ex ipsismet Gregorij nostri Thesibus. Diuinam enim legem ita describit, lex,inquit,diuina,est diuinum decretum hominibus præscribens modum necessarium , quo aptè peruenire possint ad supernaturalem beatitudinem &c. Quid autem legis appellatione designat Gregorius? ipse aperit Thesi secunda his verbis : lex diuina nonnunquam dicitur tota religionis summa, quæ non tantùm præceptis,quibus data descriptio propriè conuenit,sed etiam promissionibus, cultu,doctrina,

institutis, officiorum gradibus &c. continetur. Quamobrem si de lege Dei more Gregorii Iesuitæ loquamur, illa erit propriè Dei lex, quæ præcepta suo ambitu complectitur, excludítque promissiones, cultum, instituta: benè hactenus: doctrinam, officiorum gradus: malè omninò. Quid enim? annon lex imperat, docet, corrigit, admonet, de omnibus officiis pro iure suo disserit? capitale verò in Theologia flagitium admittit Gregorius noster, quum posse homines peruenire ad supernaturalem beatitudinem determinat, præscripto diuinæ illius legis, quæ sine promissionibus, cultu, officiorum gradibus consideranda est. Falsum enim omninò est atque ἀθεόλογον, & ipsis Pontificiorum Semipelagianis dogmatibus, nedum nostris aduersarium axioma, legem Dei quatenus simplex & nuda, exclusis promissionibus homini proponitur, datam esse vt operibus æternam fælicitatem consequatur. Ideò planè contrarium legis scopum esse docet Apostolus Gal. cap. 3. vers. 19. *Nam si ex lege est hæreditas, non iam ex promissione: Abrahæ verò per promissionẽ gratificatus est Deus hæreditatem. Quid igitur lex? Transgressionum caussa addita est, vsquequò veniisset semen illud, cui facta est promissio,* & *vers. 21. Num igitur lex aduersus promissiones Dei? Absit: nam si data fuisset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed cõclusit scriptura omnia sub peccatum, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Cuius loci hæc est sententia. Quum lex atq; promissio inter se ita sint opposita, vt si ex lege obueniat hæreditas, promissio eneruetur: neq; fieri possit vt Deus promissionis obliuiscatur, necessariò fatendum est non ex lege hæreditatem, sed ex promissione fidelibus contingere. Nec tamen ideò efficitur legis nullam esse vtilitatem, quæ posita est vt hominibus peccati arguendis ad Christũ facilior detur aditus. Itaq; vehementer & fallit & fallitur Gregorius, qui ereptam promissioni beatitudinem, operibus legis, quo iure quaq; iniuria conatur addicere. Est igitur error, ψευδοχρόφημα in Theologia cũ insigni & intoleranda blasphemia coniunctũ. Sequitur falsa & ἑτεροδόξος Psalmi Dauidici expositio. Nam Dauid eo in loco disserit de lege vt totam veteris Testamenti rationem complectitur. Itaq; hunc in modum interpretanda videntur Prophetæ verba: Lex Domini immaculata, quoniã est pura, & sancta, & ad puritatẽ & sanctitatẽ consequendã hominibus à Deo reuelata: conuertens animas, non q̃ vt arbitratur Iesuita, de internis animi affectibus constituat, sed q̃ instrumentũ sit planè efficax, quo Deus ad hominũ salutem potentissimè vtitur. Testimonium Domini fidele, non modò quia recti prauíq; discrimẽ certissimè proponit, sed multò magis q̃ Dei promissiones sint huiusmodi, vt excidere nequeant: sapientiã præstans paruulis, quia Deus arcana suę misericordię cũ eis hominibus cõmunicat, qui demisso atq; humili sunt animo, nec de se ad Pharisæorũ imitationẽ magnificè sentiunt & loquuntur. Sed vrgeamus Gregorium ἀδυνάτω.

Si hæc diuinæ legis descriptio, lex est diuinum decretum hominibus præscribens modũ necessarium &c. præceptis propriè conuenit, & promissiones, vt passim docent scripturæ, non ab obseruatione præceptorum pendent, sed à mera Dei gratia: Ergò vel duplex salus est hominibus in sacris literis proposita, nempè vna ex operibus legis, altera ex promissionibus absolutè gratuitis, aut nulla est habenda promissionum ratio, sed legalis duntaxat iustitiæ, ἀδύνατον & ἀθεόλογον.

Retorqueamus etiam in Gregorium suam ipsius descriptionem. Si vt infrà docebit Iesuita, obseruatio legis non iustificat, nisi facta relatione ad Christum, & Christus est omniũ Dei promissionum caput & fundamentum: ergò falsa est illa descriptio legis, quæ beatitudinem æternam hominibus largitur, nulla promissionis habita ratione.

Cæterum legis appellatio multiplicem habet significandi potestatem. Nam propriè lex dicitur illa, quam Mosi Deus tabulis insculptam lapideis, vt coram populo Israelitico proponeretur, tradidit: cuius ea est ratio, vt homines tùm originalis, tùm, vt ita dicam, actualis peccati reos peragat, vt illi tandem suæ miseriæ pertæsi, ad Dei clementiam & misericordiam Christo mediatore confugiant. Quatenus igitur lex peccatum detegit, nec peccati atque adeò mortis æternę victorem nobis antè oculos constituit, neque Testamento veteri neque Nouo designando adhiberi potest: Ratio

tio est, quia vtrumque fœdus mera Dei gratia & promissionibus continetur. Quocirca rectè atque ordine nostri homines docent Euãgeliũ appellari legem non posse, nisi κατα χρησικῶς: cui etiam opinioni & sententiæ, quamuis eam in speciem oppugnet, subscribit Gregorius. Quid enim lex propriè significat Gregorio? præcepta. Quid κατα χρησικῶς? summã religionis. Qua profectò ratione, quemadmodum Paulus fidei legem dixit, nos etiam legẽ Euangelij, arcana cælestia hominibus ad salutem patefacta libentissimè appellauerimus. sed in tam graui controuersia fuit accuratè distinguenda legis propria significatio, ab ea quæ solet vsurpari non tam συνεκδοχικῶς quàm vt dixi κατα χρησικῶς.

THESIS IIII.

Sed si differentia primùm exposita fuerit « veteris & nouæ legis, qua ratione iuxta descri- « ptionem initio positam, quæ vtrique commu « nis est, aliquid faciendum præscribunt, facilè « iudicabimus posteà, quod sit etiam inter vete- « rem & nouam legem discrimen, nominibus « his acceptis pro tota religionis summa. Atque « etiam inde intelligetur, quam prærogatiuam « propriè habeat gratuita promissio, siue obla- « tio gratiæ per Christum, vt ad summam Chri « stianæ religionis pertinet: cuius quidem pro- « missionis annuntiationem non negamus, etiã « Euangelij voce, quæ vt Augustinus quoque «

» notauit, latinè sonat bonum nuntium, significari posse. Quanquam plærumque Euangelij » verbum in scriptura ad totam rationem Christianæ religionis accommodari solet, vt ipsi » quoque sectarij agnoscunt; & nos posteà idoneo loco docebimus.

THESIS V.

Porrò autem vt rectius de toto genere iudi » cetur, intelligendum est diuinã legem, si eius » autorem scopumq; præcipuum spectemus, vnã atq; simplicem esse. Est enim autor Deus, » qui vt Propheta inquit, tanquam rex vnicus & » legislator est omnis terræ, omniũque seculorum. Scopus etiam est vnus hominem coniungere in hac & in altera vita cum Deo. Vnde » Apostolus quum de lege veteri & Euangelica » disputaret, hanc ipsam ob caussam insinuauit, » vtramq; cogitare posse vt vnã, quoniam vnus » inquit, est Deus, qui iustificat circoncisionem » ex fide & præputium per fidem. »

THESIS VI.

» Et si autem hoc ita se habeat, ex aliis tamen » capitibus non incommodè diuina lex diuidi & » quidem variè potest. Primò quidem ex parte diuersi, vt ita dicam, status siue modi quo » existit, vt alia nimirum sit, quatenus inest in » intellectu Dei, qui sapientia sua nobis quædã » ad supernaturalem finem consequendum necessaria præscribit: alia vt consignata literis cõ tinetur: talia vt irradiatione quadam diuinæ sa « pientiæ in mentibus hominum imprimitur, « tùm per diuina dona, vt fidei, aut etiam gratię, « quatenus his illustrata mens certissimè iudi- « cat, quid sit propter supernaturalem finẽ ne- « cessariò faciendum: cùm per hoc ipsum certũ « iudicium, in quo diuinæ legis ratio magis ad- « huc quàm in donis ipsis, gratiæ aut fidei, elu- « cet: quoniam in actu quidem, quasi essentialẽ, « vt ita dicam, statum lex omnis habet (quum « definiri soleat rationis rectę dictamen) in ha- « bitibus autem, quales fides & gratia sunt, non « nisi vt in radice, à qua procedit rationis actus « inest, neque in literis, nisi vt in signis. «

THESIS VII.

Et legem quidem diuinam literis conscri- « ptam esse, nemo dubitat: eam autem & in « mente diuina splendere, & in hominum cor- « dibus, vti dictum est, impressam esse, indica- « re simul videtur ille locus apud Hieremiam: « Dabo legem meam in visceribus eorum, & « in corde eorum scribam, vel sicut Apostolus « allegauit, superscribam eam. Quemadmodum « enim legem eam, quam Princeps mandat lite- « ris, duplicem statum habere intelligimus: vnũ « in mente atque ratione Principis, cuius decre- « tum est, alterum in literis, tanquam in si- « gnis: sic planè lex diuina quum Deus præ- « scripsit hominibus, non tantùm in eorum « cordibus superscripta diuinitùs est, sed etiam «

„ & quidem præcipuè in mente diuina, cuius „ decretum est, sedem habet.

THESIS VIII.

„ Quam rem non satis rectè quidã animad- „ uertisse videntur, qui vt diuinam legem ab æ- „ terna lege, quæ est ratio diuinæ sapientiæ, ma- „ gis distinguerent, in solis hominum mentibus „ fidei vel etiam gratiæ lumine illustratis, eam „ inesse putauerunt. Quum tamen nihilominus „ possit diuina & æterna lex, quamuis in Deo „ vtraque collocetur, æquè commoda ratione, „ atque alia Dei attributa, distingui. Idem nã- „ que decretum sapientiæ diuinæ, vt creaturis „ ratione præditis præscribit ea, quæ ad finem „ naturalem aptè consequendũ, præstanda sunt, „ lex diuina: vt verò latius patet, omnibusque „ creaturis modum, vt ad suos fines perueniant, „ necessarium præfigit, lex æterna diuersa ratio- „ ne nominatur.

THESIS IX.

„ Sed est tamen frequentior, addo & vtilior „ consideratio diuinæ legis, vt in humanis est „ mentibus per fidem atque gratiam, sicut antè „ expositum est insculpta. Qua sanè ratione „ Apostolus Euangelij legem, vocat legem spi- „ ritus & vitæ: sicut aliàs etiam legem fidei. Quia „ vt Augustinus inquit, sicut lex factorum scri- „ pta fuit in tabulis lapideis, ita lex fidei in cor- dibus

dibus fidelium. Et alio in loco, quæ sunt in- „ quit, leges Dei, ab ipso Deo scriptæ in cordi- „ bus, nisi ipsa præsentia spiritus sancti? Videli- „ cet, ipsum gratiæ donum, quo spiritus sanctus „ mentem inhabitat, leges Dei vocat, quia velut „ radix continet certum illud fidei iudicium, „ quod cum nobis quid ad supernaturalem finẽ „ requiratur, ostendit, quoniam in eo relucet di- „ uini decreti lumen, rationem diuinę legis par- „ ticipat. „

ANALYSIS.

Si veteris & nouæ legis exponatur differen tia, quatenus vtraque aliquid faciendum præ- cipit, facilè vtriusque differentiam habebimus exploratam, quatenus nomen legis accipitur pro totius religionis summa. Item, vna est lex si eius autorem finemq; præcipuum expenda- mus. Item, Diuina lex diuidi potest multifa- riam, ratione diuersi status quo existit, nimirũ in mente Dei, in hominis animo & intelligen tia, in literis quibus etiam continetur.

REFVTATIO.

Differentia veteris & Nouæ legis, vtrinq; legis nomine in propria significatione vsurpa to, minimè in præceptis operũ perfectoribus aut minus perfectis consistit: sed lex quidem vetus dum exactissimam & omnibus suis par- tibus & numeris absolutissimam proponit

iustitiam, nostræ nos infirmitatis atque adeò rebellionis admonet, vt ad Dei filium in Euangelio exhibitum, totis animis feramur & contendamus. Itaque imperitè omninò Iesuita legem atque Euangelium inter se opponit ratione perfectionis mandatorum, quæ vtrinq; sunt eadem, diuerso tamen modo explicata & proposita. Nam in lege Deus præcepta in oculis & mentibus collocauit, se vt ipsi agnoscerent, & quemadmodum diximus, coram Deo rei mortis æternæ, ad vnius Mediatoris sanctissimum atque absolutissimum sacrificium alacriter confugerent. Euangelium autem fidelibus legem proponit, vt bonis operibus ad Deique præscriptum & voluntatem examinatis, suam testentur coniunctionem cum Deo, eiusque gloriæ subseruiant, & in proximis ad veritatis cognitionem vocandis & confirmandis strenuè laborent. At Gregorius noster vtriusq; legis, quemadmodum ipse appellat, differentiam in eo cõstituit, quod lex prior minus sit perfecta, posterior autem absolutissima: quum tamen & veteris & nouæ legis ratio in agendo versetur. Nemo est qui vel primoribus digitis sacrarum mysteria literarum attigerit, sua qui sponte non fateatur excellentissimam esse perfectionem Euangelij, propterea quòd ante iacta mundi fundamenta est hominibus constitutum à Deo, ad vocationis æternæ beatitudinem consequendam. Sed in eo vehementissimè fallitur Iesuita, quòd existimet vna eademque ratione tùm Euangelij, tùm

tùm legis perfectionem ex operum mandatis esse metiendam: & non potius hoc Euangeliũ à lege differre, quòd lex opera & præcipiat, & exigat: Euangelium autem Dei gratiam & misericordiam, & vnicum Christi sacrificium, instar omnium operum esse doceat, vel quod res est, longè omnibus omnium operibus antepo nat. Error est igitur ψευδογράφημα in Theologia, & tùm legis tùm Euangelij fœda & intoleranda ignoratio. Ita enim legem atque Euangelium inter se opponit Apostolus Rom. cap. 10. vers. 5. & 8. 9. 10. &c. *Moses*, inquit, *describit iustitiam quæ est ex lege his verbis: Quod qui præstiterit ea, viuet per illa. At quæ est ex fide iustitia, ita dicit, ne dixeris in corde tuo quis ascendet in cœlum? &c. Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus. Nempè quod si confessus fueris ore tuo, & credideris in corde tuo quod Deus eum excitauit à mortuis, seruaberis.* ibid. cap. 11. vers. 6. *Quod si per gratiam, non iam ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia: Sin autem ex operibus, iam non ex gratia: alioquin opus iam non est opus.* ibid. ca. 4. vers. 3. 4. 5. 6. & paulò pòst 13. *Non enim per legem promissio cessit Abrahæ, & semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. Etenim si ij qui ex lege sunt, hæredes sunt, inanis facta est fides, & vana reddita est promissio. Nã lex iræ efficit: siquidẽ vbi nõ est lex, ibi nec trãgressio est.* Obruamus igitur Gregoriũ ἀδυνάτῳ. Si vera est illa differentia legis atque Euãgelij, quam nobis obtrudit Gregorius nẽ-

pè vt lex atque Euangelium eò differant, quòd ab hominibus Euangelium exigat opera legis operibus absolutiora: & verè Paulus etiam legem atque Euangelium à se inuicem discrepare docet, quòd lex operibus contineatur, Euāgelium autem fide atque gratia: ergò Euangelium quod ex operibus non est metiendum, ex operibus erit metiendum, hoc est ipsum non esse ipsum, quo absurdo nullum esse maius, & flagris etiam dignius norunt illi omnes qui τρόπον παιδείας didicerunt.

Rectè tu quidem, diuinam legem si eius autorem scopúmque præcipuum spectemus, vnã atque simplicem esse tradis: quod certè axioma Pontificiarum distinctionum aculeis confícitur. Quinam enim autor est legis? Deus. quis tandem scopus? Dei gloria. quæ instituta est ad Dei gloriam demonstrandam via & ratio? nempè vt homines suapte malitia & corruptione perditi, & morti æternæ mancipati, acerbissimo tristissimoque reatu illo eximãtur, incomparabili Dei clementia in humanum genus effusa, & nihilominus ira iusta quidem, & maximè seuera omnium electorum peccata in Christo vlciscente. Tu verò qui legis & vnum & simplicem scopum demonstrare conaris, duplicem imperitè constituis, vt qui ad misericordiam Dei & gloriam, hominis opera & laudem adiungas: vt iam legis scopus, quemadmodum te ipsa rei veritas cogit confiteri, vnus esse non possit, & rectà Dei gloriam petere: sed ad minimum duplex, nem-

nẽpè ex operibus hominũ, & gratia Dei conflatus. En quo te adigant tuæ argutiæ. Retorqueamus argumentum in Iesuitam.

Si opera & fides, vt docet Apostolus, inter se sunt opposita, & legis scopus est vnus & simplex, quemadmodum asserit Gregorius: profectò legis scopus ex operibus & fide conflatus esse non potest, & vi consequentis sua sponte concidit, vera scilicet vtriusq; legis differentia, quam tueri conatur optimus Theologicarum Thesẽn moderator Gregorius.

Cæterùm inscientissimè legem diuinam, ratione, tua vt verba vsurpem, diuersi status, siue modi quo existit, diuidis. Nam vt distinguantur modi, lex tamen vna eademque perpetuò existimanda est, ideóque impropriè hoc quidẽ modo diuiditur. Præterea bella diuisio illa nihil ad rem de qua instituta est disputatio pertinet. Quid enim ad inuestigandam vtriusq; Testamenti conuenientiã & differentiam facit modorum enumeratio, quibus lex in mente atque intellectu Dei & hominum, & in literis existit?

Deinde vehementer accedit ad Pelagii dogma quod addis, de habitibus fidei & gratiæ, statuque legis, quemadmodum loqueris essentiali. Nam fidem & gratiam, Dei dona quidẽ appellas: certum autem iudicium, & legis actũ, atque statum essentialem, donis & fidei, & gratiæ anteponis, & quod est longè indignius totumhomini attribuis. Sacræ verò literæ non ita loquuntur, quæ soli Deo & actionem &

actionis fontem & principium referre solent accepta. 2. Cor. cap. 3. vers. 5. *Non quod idonei simus ex nobisipsis, ad cogitandum quicquam velut ex nobisipsis, sed quod idonei sumus, id ex Deo est.* Philip. cap. 2. vers. 13. *Deus enim is est qui efficit in vobis & vt vellitis & vt efficiatis, pro gratuita sua beneuoleptia.* Adhæc scopum Euangelij omninò subuertis, dum ex operum dignitate rationem eius metiris. Denique pueriliter admodum μετεωρολογεῖς quum de diuina atque æterna lege absurdè, atque extra controuersiã disserendo vagaris.

THESIS X.

Potest præterea lex diuina diuidi pro diuersitate temporis quo promulgata est, atque etiam pro diuersitate perfectionis, non quidē quæ contingat ex parte Dei, sed aliunde, vt iã exponemus. Atque hinc diuinarum legum differentia oritur, de qua potissimùm disputare instituimus: scilicet veteris olim per Moysem Israelitico populo promulgatæ, & nouæ, quæ longè pòst, velut emissa diuinæ virtutis virga, vt Augustinus exponit, de Sion primò, iuxta Prophetarum vaticinia fœliciter exiuit & in vniuerso mundo per Apostolos promulgata est. Quam differentiam Apostolus subindicans, Translato, inquit, sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat.

THESIS XI.

Quoniam autem constat has leges ita perfectione

fectione potissimùm differre, vt nō vetus noua, sed noua veteri, quę nihil ad perfectum adduxit, perfectior sit, capita sunt ordine monstranda, quibus legis Nouæ præstantia potissimè continetur: vt verū istarum legum discrimen, in scripturis sanctis iudicatum, à leuissima fabula sectariorum, quam posteà conuellemus, discerni possit.

THESIS XII.

Primò igitur lex noua perfectior quàm vetus est, quoniam statum habet longè perfectiorem, statum autem diuinæ legis, quum in hac disputatione breuitatis ac perspicuitatis caussa dico, modum intelligo, quo diuina lex in re aliqua, vt in mente, aut in literis inexistit, sicut à me prius est expositum. Ratione igitur status perfectionis, lex noua præstantior est, quia quum post annum placabilem prædicatum, id est post Euangelij promulgationem, gratia & facilius longè quàm anteà, & à pluribus etiam obtineatur: in plerisque eiusmodi statum habet, vt etiam per gratiæ habitum in eorum sit cordibus impressa. Lex autem vetus propter ceruicem duram illius populi, atque etiam quoniam illis temporibus, non ita vt modò ad benefaciendum erat effusa Dei manus, in paucis eum statum habebat: sed à nullis propemodum obseruata, solis ferè mortuisque literis consignata erat. Sicut Christus Pharisæis exprobrat, Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legē

THESIS XIII.

» Cuius differentiæ consideratione erigere
» voluit Apostolus suos Corinthios, quum eos
» verbis illis consolatione plenis compellat: ma-
» nifesti quòd epistola estis Christi, ministrata
» à nobis & scripta non atramento, sed spiritu
» Dei viui, non in tabulis lapideis (sicut olim lex
» Moysis) sed in tabulis cordis carnalibus. Cum
» qua sententia benè illud congruit, quod Au-
» gustinus ait loco prius citato, sicut lex factorũ
» in tabulis lapideis, ita legem fidei in cordibus
» fidelium inscriptam esse.

ANALYSIS.

Præterea lex diuina diuiditur ratione temporis & perfectionis, lex noua perfectior est quàm vetus, quòd statum habeat perfectiorẽ. Est autem status existendi modus, vt in animo & literis, qui nunc est tùm facilior, tùm vberior.

REFVTATIO.

Quum lex opponatur Euangelio dupliciter, antequam de vtriusque differentia Gregorius constitueret, omninò debebat explicare, de quanam oppositione disputare vellet: vt ambiguitas & homonymia è Theologicæ συζητήσεως cancellis exularent.

At noster Iesuita ludit homonymia in vocabulo legis, quæ vt ipse docet, modò præcepta designat, modò integram religionis naturam

turam atque rationem suo ambitu complectitur. Neque satis animaduertit Gregorius quũ duplex sit veteris Testamenti consideratio (quarum vna omninò est ad Iudæorum hypothesim accommodanda, qui existimabant legem moralem, ceremoniasque ad consequendam iustitiam suapte vi atque ἐνεργείᾳ valere: aut si nomen Christo dederant, Euangelium esse legi addendum arbitrabantur, tanquam eius complementum & perfectio, vt tùm ex fide, tùm ex operibus homines coram Deo iustificarẽtur, & pollicitã Patribus hæreditatis æternæ possessionem obtinerent. Altera ex ipsiusmet fœderis natura & ratione diiudicãda est, qua Deus antiquis temporibus est vsus diuerso quidem modo, sed nihilominus eodẽ fine, vt quibus seipsum ad salutem reuelauerat iustitiam ex mera fide, nulla omninò habita operum ratione largiretur) se vtramq; ineptè & periculosè confundere. Quod verò ad distinctionem attinet, quæ sumitur ex diuersitatẽ temporis, fatemur hoc veterem legem à noua differre, quòd vetus data sit Ecclesiæ, quum adhuc infantis personam illa sustineret, noua autem quum ad firmiorem & maturiorẽ ætatem peruenisset. Gal. cap. 4. vers. 1. *Quandiu hæres est infans nihil differt à seruo quamuis sit dominus omnium: Sed sub tutoribus & curatoribus est, vsque ad tempus quod pater præfinierit. Ita & nos quum essemus infantes, sub elementis eramus in seruitutem redacti: At postquam venit plenum tẽpus, emisit Deus filium suum factum ex muliere,*

factum legi obnoxium: vt eos qui legi erant obnoxij redimeret, vt adoptionem acciperemus. De perfectione autem vtriusque legis, hoc enim iam verbo, vt Iesuitæ gratificemur, nobis vtendum esse καταχρηστικῶς existimamus: nostra hęc est sententia: Nouum videlicet fœdus antiquo longè perfectius esse, propterea quòd Christum in veteri fœdere illo eminùs ostensum & pollicitum exhibeat: vmbris & ceremoniarum inuolucris tectum obscuratumque, in aperta luce, omniumque fidelium oculis & mentibus constituat: denique admiranda tùm facilitate, tùm efficacia beatissimum illud salutis nũtium longè latéq; diffundat & annuntiet. Verumenimuerò quũ Iesuita noster planè Iudaicè vtrumq; fœdus interpretetur, nempè quatenus aliquid nobis à Deo præcipitur, q; facere nos oporteat, vnde nostra oriatur iustificatio, quemadmodum ipse testatur Thes. IIII. & XLI. nemo illi concedet aut nouũ Testamentum iustificare, aut ad perfectionem adducere: quum (siquidem hoc se res modo haberet) vtrumque fœdus homines æternæ mortis reos perageret, potius quàm iustitiæ atque adeò beatitudinis efficeret compotes. Nec Paulus aliter sentit, qui toties de operibus hominum disserit, quibus condemnatis vnã Dei gratiã in Iesu Christo patefactã, vt æternã fœlicitatem adipiscamur, amplectãdã esse docet. Quamobrem optimè colligere possumus, Iesuitam Gregorium in ipso tractationis vestibulo lapsum esse, ita vt quo longius pergit acutus

cutus iste disputator, magis ac magis à recto tramite aberret. Sed antequã vlterius progrediatur concertatio, libenter à Iesuita nostro efflagitarem, quũ in operibus hominum legis tùm veteris, tùm nouæ præstantiam atq; dignitatem constituat, cur neget Mosaicam legẽ quicquam ad perfectionẽ adduxisse. Respondet XXVIII. Thesi, hoc interesse inter veterem & nouam legem, quòd iustitia non conueniret antiquæ legi absolutè & per se, vt erat præcisè obseruatio illius legis, quatenus promulgata fuit per Mosem, & pro illo tempore, & illis circunstantiis &c. Sed relatione facta ad Christũ alio tẽpore venturũ, atq; adeò ad aliã legẽ cui° Christus erat futurus auctor. Ineptè profectò. Nã vt alia dissimulẽ absurda, & totã de operibus disputationẽ, à Dei verbo & analogia fidei vehementer alienã, ecquid tandẽ obliuiscitur Gregorius, vnũ eũdẽq; Deũ vtriusq; Testamẽti esse autorẽ? vnũ eundẽq; Christũ esse finem legis atq; Euangelij? Postremò veteris nouíq; fœderis esse potius differentiã in dispensationis & οἰκονομίας ratione ac mysterio, quã in ipsa rerũ substantia constituendã? sed de his aliàs vberius. Nunc verò primã differentiã à Gregorio propositam excutiamus.

Itaque vult legẽ nouam perfectiorẽ esse vetere, quòd statum habeat magis absolutũ: status autem est Gregorio existendi modus in re aliqua vt in mente, aut in literis. Est autem perfectior existendi modus nouæ quàm veteris legis, quod & faciliùs gratia & à pluribus obtineatur. Pessimè omninò Iesuita duas

vtriusque testamenti inter se differentias confundit, & in augustissimũ Theologię sacrariũ loquendi rationẽ atque methodũ nouam & inusitatam inuehere conatur. Etenim hoc est apud Theologos peruagatissimum, admirabilem esse facilitatem & perspicuitatem Euangelij, cùm suapte natura, tùm si cum lege conferatur: qua de caussa Euangelium sæpenumerò expressa imago, lex vmbra dicitur: illud appellatur corpus, hæc autem figura, propter diuersam mysteriorum cœlestium dispensationem. Quàm longè autem latéque promulgatum fuerit Euangelium, nemo non ex Prophetis, Apostolorum historia, & temporum quæ Apostolos ad nostram vsque memoriam consequuta sunt, ipsaque adeò experientia luculentissimè didicit. Verborum autem nouitatem in re tam difficili, & quidem sacra ferri non posse, docti omnes Theologi vna voce confitentur. Adhæc imperitè status & modus existendi perfectior esse traditur, quòd & à pluribus & facilius obtineatur. Ratio est, quia omninò distinguere oportet modum quo aliquid percipimus, & quo perceptam cognitamque doctrinam fideliter amplectimur & conseruamus. Nam quod addiscitur propriè in mente non dicitur existere: quod verò percepimus, modum quo in mente ac intelligentia existit, necessariò diuersum habet ab eo, quo primũ cognitum est atque perceptum. Ita vt recens à sophista Gregorio fabrefactis retibus, ipse sophista se Gregorius inducrit. Deinde quãuis

uis fateamur vetus à nouo Testamentum differre, quod illud augustis Palæstinæ finibus contineretur, hoc verò per totum orbem diffusum sit, tamen impropriè atque adeo ineptè Gregorius existendi modum perfectiorem in diffusione illa constituit, quæ accidit quidem nouo fœderi, non autem eius naturam & rationem complectitur. Deinde non minus graui lapsu concidit, quum de tabulis & lapideis & carnalibus contra scripturæ autoritatem pronuntiat. Nam si lex atque Euangelium, vt Iesuita existimat, hominibus proponerentur à Deo, vt bonis operibus ad legis atque Euangelii præscriptum edendis, ad fœlicitatem ęternã conscenderent: contrà vt si à mandatis tùm legis tùm Euangelij deflecterent, supplicio æterno addicerentur: necesse esset confiteri vtrumque Testamentum literam esse mortuam, & quæ vim condemnandi, non autem iustificandi haberet. Cuius Theorematis apud Paulum, ne cæteros commemorem, infinitæ sunt probationes. Perperam igitur Gregorius opera inter se opponit, quæ vtrinque coram Deo eandem merentur condemnationem. Nec illum adiuuat locus ex tertio capite posterioris ad Corinth. Vbi Paulus legem quatenus scripta fuit in tabulis lapideis, opponit Euangelio quatenus Dei spiritu in cordibus hominum insculpitur. Nam tabulæ illæ lapideæ non vniuersam religionem à Mose Iudæis traditam significant, sed operum duntaxat legem cui præstandæ fatemur homines nõ sufficere:

& quod etiã accuratè considerandũ est, duritiẽ cordis humani suæ ipsius corruptioni venundatã designant, nulla spiritus Dei promissione adiuncta: vt mirũ esse nõ debeat legem suapte natura mortis esse, nõ autẽ vitæ, atq; adeò beatæ illius coniunctionis cũ Domino, sanctisq; omnibus ministeriũ. Præterea vt concedamus in sacris literis, sæpè nouo Testamento iustificationẽ veteri detractã attribui, tamen nemo non videt hoc dictũ esse ab Apostolis ex hypothesi Iudæorũ, qui vt etiã Papistæ solent, de veteri Testamento vt de lege differebant, quæ iustitiã ex operibus conferret. Itaque Paulus eleganter vt iniquã Iudæorum opinionẽ subruat, promissionis atque legis hanc inter se docet esse rationem, vt si ex lege contingat iustificatio, pactum quod cum Abrahamo inire voluit Dominus, stare non possit: quòd eius conditio non ex operibus legis, sed ex promissione gratuita pendeat. Error est nostro Gregorio & Iesuitis omnibus admodum familiaris, nempè ψευδογράφημα in Theologia: quo puritatẽ Euangelij more Scribarum & Pharisæorum, magis ac magis in dies contaminant.

THESIS XIIII.

„ Secundò est etiam perfectior ex parte finis
„ proximi. Nam veteris legis cultoribus tempo
„ ralia bona ex instituto proponebantur, siqui-
„ dem terra Chananæorum fuit illi genti ab
„ initio promissa, legis autem nouæ vnius ferè

ferè scopus est regnum cœlorum, quod spiri- “
tualibus bonis, tùm in hac, tùm in altera, quã “
expectamus vita, continetur. Quare Christus “
in exordio statim suarum concionum, pœni- “
tentiam, inquit, agite, appropinquabit enim “
regnum cœlorum: A qua voce, tanquam à ca- “
pite, tota Christianæ religionis summa, Euan “
gelium regni, & lex noua nominata est, quo- “
niam ex bonis constat quibus innouamur de “
die in diem. Quemadmodum contraria ratio- “
ne Augustinus legem veterem dictam putat, “
quoniam promissionem habebat temporaliũ “
rerum, quibus homo vetus reficitur. “
“

THESIS XV.

Nam (vt iam de Millenariorum commento, à plerisque patribus confutato nihil dicam) “
quòd apud Marcum promissio extat, nemo “
est qui reliquerit domũ, aut fratres, aut soro- “
res, aut patrem, aut matrẽ, aut filios, aut agros “
propter me & propter Euangelium, qui non “
accipiet centies tantùm nunc in tẽpore hoc, “
domos, & fratres, & sorores &c. hoc vel ad spi “
ritualia bona, quæ instar sunt omnium tempo “
ralium, etiam centies multiplicatorum referri “
potest, vt Beda in cõmẽtariis illius loci inter- “
pretatus est, vel si intelligatur etiam, vt aliis “
placuit, de commoditate temporali, quam “
Apostoli & alii fideles, ex communicatione “
cum aliis fidelibus, officio beneficentiaque “
tanquam patribus, & fratribus consequuti “

„ sunt,ne ita quidem promissio temporalis ex
„ instituto & purè,sunt promissiones veteris le-
„ gis,pollicetur. Quandoquidem illa commodi
„ tas ex aliena fide atque charitate pendet, & tũ
„ consolatione spirituali, ob mutuam fidelium
„ charitatem,tùm etiam tribulationibus multis
„ admixta promittitur:idque obiter, monstrato
„ simul præcipuo fine,qui est vita æterna,neque
„ vllius aut regni,aut dignitatis temporalis in
„ specie facta mentione.

ANALYSIS.

Lex noua perfectior est quàm vetus, quòd ex instituto & fine proximo spiritualia bona, & regnum cælorum,minimè autem terrena& temporalia promittat:Nec alio modo intelligendus est Marci locus interprete Beda: qui etiam si de bonis temporalibus loquerentur, ne ita quidem facta esset promissio ex instituto & purè,quoniam illa commoditas ex aliena fide pendet, & tribulationibus multis admixta est.

REFVTATIO.

Falsum est legem quatenus à Iesuita consideratur, bona temporalia suis cultoribus, aut cœlestia & spiritualia Euangelium exhibere. Nam vt suprà disseruimus ex sententia Pauli, hæreditas obtigit Abrahamo & semini eius, quoniã Deus illam erat suo fideli seruo pollicitus

citus, minimè quidem tanquam mercedem adimpletæ legis,nondum enim fuerat lex promulgata,sed tanquam sigillum & tesseram illius hæreditatis maximæ,quam & Abrahamo, & suis omnibus electis Dominus præparauit ante iacta mundi fundamenta. Quamobrem errat Gregorius & quidem grauissimum errorem,quum legi quatenus opera exigit, ea non veretur attribuere,quæ toti Testamento veteri necessariò esse accommodanda sacræ conuincunt literæ. Quid enim? Vllumne fuit vnquam opus hominum, quod vel minimã omnium benedictionum temporalium portiũculam iure legitimo & suo,& tanquam opus obtinuerit,aut etiam obtinere potuerit? Nec tamen intereà negamus hanc esse veteris nouíq; Testamenti,& à nostris hominibus propositã differentiam,& autoritate Scripturæ commẽdatam, quæ fœdus antiquum à nouo distinguit,eo quòd illud temporalibus & pœnis & præmiis populum Israeliticum alliciebat pedetentim ad spiritualium cogitationem bonorum:hoc verò fideles vmbris Iudæorum liberatos in cœlum rectà ducat.Sed addimus totũ illud discrimen non legi acceptum ferri debere, sed dispensationi & œconomiæ τῶν ἐπαγγελιῶν τῦ θεῦ, quæ quidem ætati se atque infirmitati Ecclesiæ quum primùm accommodauisset, suo pòst tempore plenissima & perfectissima effulsit, & suis numeris omnibus absoluta. Hanc vtriusque Testamenti inter se differẽtiam, si à nostris hominibus addiscere

maluisset Gregorius, quàm dum noua sectatur, optimè tradita & illustrata contemnere, neque tam grauiter in via plana & æquabili offendisset, neque opinionem & absurdam & commentitiam tueretur.

Præterea hic loquendi modus & alienus est à scriptura, & à veritate ipsa, & scopo diuini fœderis abhorret, nimirum quo veterem legẽ suis cultoribus temporalia bona ex instituto & purè pollicitam esse confirmat. Nos quidem solemus dicere multò maiorem sub veteri fœdere bonorum temporalium habitam fuisse rationem, quàm nostro beatissimo & nouo Testamento habeatur aut etiã haberi debeat: sed tamen vehementer inficiamur bona temporalia purè antiquis patribus pollicita vnquã fuisse, aut nobis ex instituto euangelij non esse promissa. 1. Tim. cap. 4. vers. 8. *pietas*, inquit Paulus, *ad omnia vtilis est, vt quæ promissionem habeat vitæ præsentis ac futuræ.* Ephes. cap. 6. ver. 2. *Honora patrem tuum & matrem (quod est præceptum primum cum promissione) vt benè tibi sit, & sis longæuus super terram.* De qua re tota erit aliàs dicendi locus.

THESIS XVI.

„ Tertiò ex modo quo impellit homines ad „ sui obseruationem. Hoc enim facit non ali„ quo iniecto timore pœnarum temporalium, „ qui fuit modus seruilior atque imperfectior „ legis veteris, sed in primis charitate, quæ vt ait Apo-

Apostolus, diffusa est in cordibus nostris per " spiritum sanctum qui datus est nobis. Atque " hoc quidem ob eam etiam caussam legi nouæ " tribuitur, quoniam vt antè dictum est, facilè " habet illũ statũ, iuxta quem habitu nõ solùm " fidei, sed etiam gratiæ & charitatis est in cor- " de impressa. Quò fit vt non solùm iubeat, sed " ipsa etiam quatenus existit eo modo, adiuuet " hominem ad sui obseruationem ex amore, " quæ est præclara obseruandi ratio. "

THESIS XVII.

Quamobrem benè ac sapienter ab Augusti " no dictum est: Breuis differentia legis & Euã- " gelij est timor & amor. Quæ etiam caussa est " cur nouæ legis suaue iugum esse, & onus lege " dicatur: quia videlicet ipsius legis ope, vt cha- " racteribus charitatis in corde scripta est, facilè " portatur. Quemadmodum Augustinus quo- " que locum illum Ioannis interpretatur. Et " mandata eius grauia non sunt, nimirum, in- " quit, amanti. Contrà verò legis veteris impor " tabile iugum fuisse dicitur, non tantum quia " plura officia externa requirebat, qua de caussa " antonomasticõs dicitur lex factorum, sed eo " etiam quod solis ferè scripta literis, vires ad se " supportandum non suppeditabat: & præterea " administratio mortis erat, hoc est mortis, alio " rumque pœnarum temporalium formidine, " qua solemus grauiùs concuti feriebat. Quod "

» lex noua non facit. Quanquam in altera vita » transgressores eius, deteriora multò vt Apo» stolus disputat, supplicia maneant: sed quum » eorum metus, quæ nostra est infirmitas, plerũ» que nobis minus molestus & grauis sit, quàm » formido temporalium pœnarum, non perin» de lex noua timorem incutere censetur, atque » lex vetus.

ANALYSIS.

Noua lex impellit homines ad sui obseruationem charitate per effusionem spiritus in cordibus: vetus autem timore ac metu pœnarum temporaliũ: noua igitur lex censenda est perfectior vetere. Item, lex noua opitulatur hominibus ad sui obseruationem, quod minimè facit lex vetus, quare hoc etiam nomine habetur optimo iure perfectior & magis absoluta.

REFVTATIO.

Satis apertè vt nobis quidem videmur, Gregorianam vtriusque Testamenti differentiam confutauimus, quum prolatis sacræ scripturæ illustribus testimoniis demonstratum est tùm veteris tùm noui fœderis hanc esse inter se conuenientiam, vt vtriusque vnus & idẽ Christus mediator esset, diuerso tamen modo: differre autem eo, quòd vetus Christi mediatoris pollicitam expectaret patefactionem, nouum

nouum autem exhibitum Messiam, & in mẽtibus fidelium apertè constitutum intueretur. Ex quo efficitur miserè labi nostrum sophistã, qui quum veteris Testamenti comparationẽ instituit, cum nouo in ea potissimum discrepantiæ ratione non subsistit, quemadmodum penitus oportuit. Atque vt ita se rem habere comprobemus, in tertia differentia, vt in superioribus, antiquum fœdus tanquam legem cõsiderat, quæ hominibus esset à Deo proposita, vt si ad præscriptum eius vitam suam exegissent, immortali & sempiterna fœlicitate & gloria exciperentur: nec aliter de nouo sentit fœdere, cui tamen adiungit Dei spiritum qui homines impellat ad Nouæ legis obseruationem effusa in cordibus eorum diuina charitate. Nos verò fatemur, si legem nudam & simplicem, & promissionibus destitutam spectemus, verum esse illam genus hominum ad sui obseruationem, timore duntaxat pœnarum, & temporalium, & spiritualium adigere: sed addimus fieri non posse, quemadmodum & Paulus, & ratio, & ipsa tot seculorum experientia comprobat, vt aliquis mortalium existat, qui coram Deo legis obedientia æternam vitam consequatur. Sin autem vniuersam prioris Testamenti rationem consideremus, in confesso, vt bonis temporalibus Israelitæ in spem erigebantur excellentissimæ illius beatissimæq; hæreditatis, ita pœnis & afflictionibus quæ ad præsentem & caducam vitam pertinerent fuisse admonitos de æterno supplicio, quod eos

manebat qui obstinata impietate & audacia peccatorum suorum pœnitentiam non egissent, neq; suppliciter ad Dei clementiam & misericordiã confugissent. Quæ ratio & præmiorum & pœnarum, vt non est omninò melioris Testamenti tẽporibus obliterata 1.Cor. cap.11.vers.30. *Propterea inter vos multi sunt debiles, & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nos ipsos diiudicaremus, non puniremur. Sed quum punimur, à Domino erudimur, ne cum mundo condemnemur.* Hebr. *Quem enim diligit Dominus castigat, & flagellat quemcunque filium recipit. Si castigationem sustinetis, Deus sese vobis offert vt filiis, quis enim est filius quem non castiget pater? Quod si estis absque castigatione, cuius participes sunt omnes, nempe spurij estis & nõ filij.* ita nemo negat quin nascentis Ecclesiæ primordiis accommodatior fuerit & vsitatior: quemadmodum & charitas effusa est à condito mũdo in cordibus electorum, cuius tàmen effectus maximi extiterũt, & illustribus testimoniis consignati, postea quam excellentissima & absolutissima filii æterni charitas, perfectissimè & absolutissimè coram Dei populo exibita est, atque in cordibus impressa & literarum monumentis, prodita ad memoriam sempiternam. Quamobrem timor & amor, vt verbis vtar Iesuitæ, vtrique fœderi sunt communes, differunt autẽ secundùm plus & minus: quòd maior sit atque vberior in nouo Testamento gratiæ Dei atque misericordiæ testificatio, de qua re illi dubitare non possunt, qui hoc apud se

se fixum habent atq; constitutum, neminem ad æternæ salutis participationem ascendere, nisi spiritum nanciscatur ducem, & de immẽsa Dei erga se charitate omninò sibi persuadeat. Gen.cap.15. vers.2. *Ne timeto Abraham, ego protector sum tuus, & merces tua maxima.* Deut. cap.4.vers.36. *De cœlo te fecit audire vocem suam &c. Quia dilexit patres tuos, & elegit semen eorum post eos.* Es.cap.59. vers.21. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui à modo & vsque in sempiternũ.* At quum præcisè opponitur lex Euangelio ratione timoris & amoris, tunc lex sumitur pro mandatis operum, quæ quum obseruari nequeant, hominibus suam ipsorum vitiositatẽ atque adeò condemnationem proponunt, à quo reatu liberantur Dei gratia in Euangelio exibita, cuius quidem vis atque efficacia obtinuit à condito mundo, & salute omnium fidelium testata est. Fallitur ergo vehementer Iesuita qui præcisè vtrumque fœdus opponat, quum secundum plus & minus opponendum sit: & vtriusque differentiam in operum perfectione ac imperfectione constituat, quum potius collocanda sit in dispensatione atque œconomia diuinæ benignitatis & gratiæ.

THESIS XVIII.

Quartò ex materia multò perfectiore in

» qua versatur. Nam vt officia moralia, quæ sunt
» legi nouæ cum lege veteri & naturali lege cõ-
» munia præteream, externus certè sacramento-
» rum cultus quem præscribit, longè præstan-
» tior est, quàm ceremoniæ veteres, in quibus
» fuit præsentium vmbra, quæque fuerunt pro-
» pter earum infirmitatem decretis perfectiori-
» bus euacuatæ. Sed & fidem illustriorem requi
» rit, & de internis animi motibus, apertiùs &
» vberiùs constituit. Iam enim ad radicem ar-
» boris securis posita est, vt nisi abundauerit iu-
» stitia nostra plusquam Pharisæorum & Scriba
» rum, in cœlorum regnum intraturi nõ simus.

THESIS XIX.

» Summam verò eorum quæ in materia no-
» uæ legis excedunt, Dominus ferè complexus
» est in eo sermone cuius fuit conclusio: omnis
» qui audit verba mea & facit ea (audiant secta-
» rij, qui valorem ad salutem apprehendendam
» non concedunt factis) assimilabitur viro sa-
» pienti qui ædificat domum suam supra petram
» &c. Ex quibus verbis colligit Augustinus il-
» lum Domini sermonem omnibus præceptis,
» quibus Christiana vita formatur, fuisse per-
» fectum.

THESIS XX.

» Sed quum festinemus aliò, non est iam ex-
» ponendus ille locus. Tantùm hic obiter per-
tinaciam

tinaciam vel incogitantiam mei Herbrandi
notari cupio, qui quum negare non possit
nouum saltem eumque perfectiorem sacra-
mentorum vsum, fidemque multorum articu-
lorũ, quorum explicatam notitiam lex vetus
non requirebat, Christum vltra præcepta De-
calogi iniunxisse, temerè scribit illum neque
legislatorem fuisse, neque vllũ perfectius præ-
ceptum, ad præcepta per Moysem promulga-
ta, de nouo addidisse, ideóque nullam esse no-
uam Christi legem, contra Prophetæ verbum:
de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hie-
rusalem, & Dominus omniũ (Messias) iudex
noster, Dominus legifer noster; Dominus
Rex noster ipse saluabit nos.

ANALYSIS.

Euangelium est perfectius lege Mosaica &
veteri, quòd in materia versetur perfectiori
& magis absoluta. Siquidem & de sacramen-
tis, & de animi notibus apertiùs & vberiùs cõ
stituit, & fidem illustriorem requirit. Item,
quum nos Christus ad verborum suorum exe-
quutionem vocet, falluntur, qui valorem ad
salutem æternam adipiscendam non concedũt
factis, & qui negant Christum legislatorem
fuisse.

REFVTATIO.

Si propriè loqui volumus, necesse est vt vnã

eandemque vtriusque Testamenti materiam agnoscamus, nempe filium Dei, qui sub sacramentis veterum delituit olim, & in nostris apertè & manifestè fidelibus exhibetur. 1. Cor. cap. 10. vers. 1. *Nolim autem vos ignorare fratres, Patres nostros omnes sub illa nube fuisse, & omnes per mare transiuisse: Et omnes in Mosen baptizatos esse nube & mari: Et omnes eandem escam spiritualem edisse: Et omnes eundem potum spiritualem bibisse. Bibebant enim ex sequente spirituali petra: Petra verò erat Christus.* Itaque imperitè admodum facit Gregorius, qui modum quo Christum participamus, materiam Euangelii, & non potius Christum ipsum agnoscit. Certè non inficiamur, illustriorem esse atque veberiorem, post aduentum Messiæ arcanorum cælestium cognitionem atque fruitionem, quã fuit antè quàm Christus nasceretur, sed vehementissimè pernegamus diuersam nunc esse atque olim fuit participationis illius rationẽ, si non οἰκονομίαν, sed ipsius rei naturam & substantiam consideremus. Quamobrem sponte fateor, & præcepta quæ appellantur moralia, & sacramentorum virtus atque significationes, & cætera omnia quæ ad fœlicitatem æternam consequendam pertinent, in Euangelio, quàm in lege prodi clarius atque augustius: ea tamen conditione vt antagonista concedat necesse sit, hæc potius ad modum participandæ promissionis, quàm ad ipsiusmet fœderis caput & fundamentum esse referenda. Nec ad rem facit quod tu de iustitia

stitia nostra, & iustitia Pharisæorum & Scribarum disseris, quarum prior ad sanctificationem pertinet, fideique est fructus, atque adeò iustificationis effectum, posterior autem est iustitia ὁμωνύμως vel vmbra & imago iustitiæ, qua neque sub lege, neque post Euangelium publicatum homines vnquam in conspectu Dei fuerunt iustificati, aut etiam esse potuerunt. Ad concionem verò Domini quod attinet, quæ tribus Mathæi capitibus, nempè quinto, sexto, & septimo, continetur, breuiter respondeo, Christum ibi suos veram sanctificationem docere, quæ à fide, vt & Paulus demonstrat in Epistola ad Romanos separari non potest, quemadmodum facilè ex totius Euangelij doctrina, & analogia fidei certiùs probatum est à nostris hominibus, quàm vt oratione opus habeat.

Cæterùm inficiari nõ solemus Christũ esse noui testamenti, adeóque omnium fideliũ Regem atque legislatorem, vt qui solus leges imponat mentibus nostris, & pro arbitrio suo quæ ad salutẽ constituit, electis omnibus præcipiat: sed volumus apertè inter legẽ atq; Euãgeliũ distinguere, nemo vt existimet Christũ legem antiqua perfectiorẽ & magis absolutã publicasse, vt operibus ad illius præscriptum edendis corã Dei iustissimi & acerrimi peccatorũ vltoris tribunali approbemur. Hac enim significatione Christũ legislatorem esse pernegamus, vt qui gratiã & peccatorũ omnium

remissionem legi ex diametro repugnantem, hominibus anuntiarit, largitusque fuerit.

Error est igitur φιλοτιμονυμιαν, quo deceptus Gregorius, nimis profectò confidenter, nobis, quasi Esaiæ aduersaremur, insultat.

THESIS XXI.

» Quintò, ex parte efficaciæ. Nam iustificat
» sicut Apostolus ait, non erubesco Euangelium
» virtus enim Dei est in salutem omni credenti.
» Et lex spiritus vitæ in Christo Iesu, liberauit
» me à lege peccati & mortis. Ex operibus autē
» legis non iustificabitur omnis caro coram illo.
» Sed quum hoc sit præcipuum & omnium ma
» ximum inter legem nouam & veterem discri-
« men, non est tamen satis expeditum, quo sen-
» su illud accipi possit, aut debeat.

THESIS XXII.

» Ergò vt hoc rectiùs explicemus, illud pri-
» mò ponendum est, quum iustificandi vim ex
» Apostoli sententia legi nouæ tribuimus, & in
» lege vetere fuisse negamus, legem veterem cō
» siderare nos posse totam simpliciter, vt præce
» pta omnis generis continebat. Etenim ea ra-
» tione, qua infra ex orthodoxa sententia decla-
» rabimus, legem veterem non iustificasse, iusti-
» ficare autem nouam, certum est nullum ge-
» nus præceptorum, ne moralium quidem vete-
» ris legis, iustificare potuisse. Quod ex Apo-
stolo

stolo etiam sit posteà Christo propitio planū « faciemus, vt perspicuè apparent, quam longè « ab eius mente sectarij aberrent, quum ex eius « de hoc argumento disputationibus colligunt, « fidem esse aut fuisse aliquando solam, quæ gra « tiam apprehendat. Docebimus enim nihilo- « minus vno quodam modo ac respectu, obser- « uationem etiam præceptorum legis, præser- « tim moralium, ad salutem valuisse. Nunc ad- « monitione hac præmissa, priusquam rationes « explicemus, quibus lex noua, non autem vetus « iustificat, modos remouebo quibus id intelligi « non debet. «

THESIS XXIII.

Ac primò extra controuersiam est, non es- «
se referendum hoc discrimen ad moralem iu- «
stitiam, quæ aut in habitu consistens, actioni- «
bus cum naturali ratione congruentibus exer- «
cetur, aut in his ipsis actionibus elucet, quæq; «
dicitur iustitia quoad homines. Istiusmodi «
namque iustitiam, qui legem veterem custo- «
diebant, reipsa consequebantur, vnde Apo- «
stolus, si præputium inquit, iustitias legis cu- «
stodiat, nonne præputium illius in circunciso «
nem reputabitur: Iustitia igitur, quam præ le- «
ge veteri, lex noua conferre dicitur, alterius ge- «
neris iustitia est, qua videlicet iustus quis red- «
ditur coram Deo, ipsique fit gratus & acce- «
ptus ad vitam æternam. De qua D. Paulus: In «
lege nemo iustificabitur apud Deum. Et si «

„ Abraham ex operibus legis iustificatus est, ha-
„ bet gloriam sed non apud Deum.

THESIS XXIIII.

„ Neque etiam rectè quis intellexerit, pecca-
„ ta legis nouæ per seipsa, vt scripto aut voce tra
„ dita sunt, habere vim conferendi iustitiam co-
„ ram Deo. Est enim vt D. Augustinus anno-
„ tauit, præceptis vtriusque legis commune, vt
„ per se considerata, quatenus extra hominem
„ existunt, neminem iustificent, sed potiùs trans
„ gressores damnent, hoc est peccati eos redar-
„ guant, eatenusque vt Apostolus loquitur oc-
„ cidant. Quo in sensu rectè idem Augustinus,
„ ad vtramque legem pertinere etiam putat,
„ quod in alio loco Apostolus inquit, literam
„ occidere.

THESIS XXV.

Sed neque propriè sensus est, hanc esse nó
„ uæ legis prærogatiuam, vt qui eius præcepta
„ omnia facto exequitur, is gratiam adipiscatur
„ coram Deo. Ad iustitiam enim obtinendum
„ homini satis est obseruatio præceptorum om
„ nium secundùm animi propositũ, quod actu
„ fidei, & charitatis, vel pœnitentiæ saltem im-
„ plicitè continetur, siquidem executione ipsa
„ non omnibus occasio datur adimplendi om-
„ nia, & si cui datur, vix fieri potest, quin is gra-
„ tiam consequatur, priusquam omnia im-
„ pleat.

THE-

THESIS XXVI.

Porrò si propter hanc caussam hoc discri-
men ad obseruationem vtriusque legis secun-
dùm propositum, quod saltem fide, aut chari-
tate, aut pœnitentia continetur, accommodan
dum sit (sicut in primis accommodari debet,
vt post videbimus) hoc ita cautè faciendum
est, vt vim conciliandi iustitiam, neque omni
modo obseruationi nouæ legis secundum id
propositum tribuamus, quum eam iustifica-
re asserimus, neque etiam omnimodo & res-
pectu obseruationi simili veteris legis nege-
mus, quum eam dicimus non iustificauisse.
Nam neque ea legis obseruatio conciliat gra-
tiam tanquam eius meritum (tunc enim non
esset gratia, vt Apostolus rectè disputat) &
obseruationem legis veteris certissimum est,
per relationem, vt sic dicam, ad Christum fu-
turum, aliquid ad obtinendam iustitiam con-
tulisse. Quod vel ex illo Christi responso ad
legisperitum apparet, hoc fac & viues. Item,
ex illo Apostoli loco: Quicunque in lege
peccauerunt, per legem iudicabuntur, non
enim auditores legis iusti sunt apud Deum,
sed factores legis iustificabuntur. Et, cir-
cunciſio quidem prodest si legem obserues: &
scimus quòd lex spiritualis est vt iam alia testi-
monia præteream.

THESIS XXVII.

Quibus explicatis possumus diuersis modis

» illud discrimen exponere: primò vt sit sensus, » legem nouam statum habere quo ipsa nos pro » pter Christum iustos facit, quoniam vt supra » explicatum est, in cordibus nostris est scripta » per gratiam & charitatem: quibus Christo id » promerente, iusti & grati Deo sumus: legem » autem veterem è contrariò habuisse statum, » quo non ipsa homines iustos faceret, sed dam- » naret potiùs, quatenus literis conscripta præ- » scribebat ea quæ non fiebant. Secundò vt sit » etiam sensus, lege noua sacramentorum vsum » eiusmodi præcipi, quæ non sint egena elemen » ta, vt illa antiqua, sed quæ vt instrumenta va- » leant efficienter gratiam conferre: legem au- » tem veterem huiusmodi sacramentis caruisse.

THESIS XXVIII.

» Sed quamuis istæ expositiones per se sint » veræ, & à magnis autoribus adhibeantur, ex » Apostoli tamen sententia, atque etiam ex mẽ- » te orthodoxorum Patrum, præcipuè videtur » hoc discrimen accommodandum esse simpli- » citer ad vtriusque legis obseruationem, eo mo » do & cautione qua paulò ante diximus, vt sit » hic sensus. Quamuis obseruationi veteris le- » gis, saltem secundùm propositum quod fidei » charitate &c. contineretur, commune cum ob » seruatione simili legi nouæ fuerit, aliquo tan- » dem modo (excepta vtrobique semper ratio- » ne propria meriti) ad iustitiam valeret, sic vi- » delicet, vt eam homini tanquam necessaria dispo-

dispositio, conciliaret: hoc tamen interesse, « quòd id non conueniebat absolutè & per se, « vt erat præcisè obseruatio illius legis, quate- « nus promulgata fuit per Mosen, & pro illo tẽ- « pore, & illis circunstantiis &c. Sed per rela- « tionem ad Christum, alio tempore venturum, « atque adeò ad aliam legem, cuius Christus erat « futurus auctor: Contrà verò obseruationi no- « uæ legis id competit per se, contrario modo: « hoc est non per relationẽ ad aliam legem, aut « legislatorem, sed propter auctoritatem & me- « ritum sui auctoris Christi, atque eatenus certè « secundum se. Si quidem quod obseruationi « alicuius legis ex conditore suo conuenit, id ab « ipsa lege non est alienum, vt quæ à legislatore « vim atque rationem legis habet. «

THESIS XXIX.

Per se autem sine illa relatione ad viuifica- « tricem Christi virtutem, significat Apostolus « legem illam veterem, damnauisse potius ho- « mines trasgressores, & ostendisse, excitauisseq; « quodammodo peccatum, quatenus & naturæ « legem, vitiis iam penè obrutam denuò illustra « uit, monstrauitque consequenter peccata cum « ea pugnantia, quæ in hominum cognitione, « propter illorum cæcitatem erant sepulta atq; « mortua, & ea requisiuit, quæ fere non sunt fa- « cta. Tum enim opere completa per se quoque « vt idem Apostolus indicat, cultoribus suis iu- « stitiam apud homines conferebat, atque etiam «

» iustitias, emundationes carnis, hoc est immun
» ditates quasdam, vt sine legis impedimento,
» quo propter immunditias aliquas innodaban
» tur, liberè vacare & interesse possent ceremo-
» niis. Sed iustitiam coram Deo, non nisi per re
» lationē ad Christum nouæ legis auctorem, vt
» dictum est, conciliare poterat: quum tamen
» lex noua eam virtutem, non ex alieno, sed ex
» proprio auctore, adeóque quodammodo ex
» propriis habeat.

THESIS XXX.

» Atque hoc quidem discrimen ita exposi-
» tum passim indicauit Apostolus. Vt quum ait:
» vnus est Deus iustificans circuncisionem ex fi-
» de (eu respectum ad Christum) & præputium
» per fidem. Item, quum subiungit. Quid ergò,
» legem destruimus per fidem? absit, sed legem
» statuimus. Id est, indicamus Christum ex quo
» lex virtutem accipiebat, vt eius obseruatio ad
» iustitiam prodesset. Sicut paulò antè hanc
» ob caussam dixerat, Christum propositum es-
» se à Deo propitiatorem per fidem in sangui-
» ne ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter
» remissionem præcedentium delectorum, in
» sustentatione Dei, ad ostensionem iustitiæ
» eius in hoc tempore. Id est, vt intelligeretur
» cuius respectu atque merito Deus anteà legis
» cultoribus peccata remiserit, contuleritque
» iustitiam suam, cuius videlicet ipse solus au-
» ctor est, quaque homines iustos facit. Quod
ipsum

ipsum alibi explicat. Nam quod impossibile " inquit, erat legi, in quo infirmabatur per car- " nem, Deus filium suum mittens in similitudi- " nem carnis peccati, & de peccato damnauit " peccatum in carne, vt iustificatio legis imple- " retur in nobis. "

THESIS XXXI.

Et vt alia loca præteream, satis ostendit " Apostolus, eo solùm modo quo dicimus obser " uationi legis veteris iustificandi vim se nega- " uisse, quum illo etiam argumento ipsam non " iustificasse probat: quia si per legem, inquit, " iustitia, ergò gratis Christus mortuus est. " Quare certe conclusio non sequitur, si obser- " uatio legis per relationem ad passionem Chri " sti futuram valebat ad iustitiam, sed si per se " sine huiusmodi respectu iustificabat. Quare " hoc tantùm Apostolus negat. Quod etiam " paulò superiùs declarat: quum assertionem " ipsam ponit his verbis: scientes quod non iu- " stificatur homo ex operibus legis, nisi per fi- " dem Iesu Christi. Id est non sine relatione " fidei ad Christum, sicut apertiùs significat di- " ctio græca ἐὰν μὴ, id est si non per fidem Iesu " Christi. "

THESIS XXXII.

Quo quidem sensu anteà monui, de " tota lege veteri simpliciter dici posse, quòd "

» non iustificauerit: certum est enim sine rela-
» tione ad Christum, neque obseruationem præ
» ceptorum moralium, ad iustitiam per se, vt e-
» rat propriè obseruatio, illius legis traditæ per
» Moysem valuisse. Itaque aliquot in locis Apo
» stolus, iustificandi vim per se sine respectu ad
» Christum omninò toti legi negat, etiam secũ-
» dum ea præcepta, quæ materiam haberent cũ
» præceptis legis naturalis communem, ad om-
» nes gentes pertinentem: vt indè nimirum do-
» ceat, omnes æquè sine Christo peccatores fuis
» se, indiguisséque beneficio redemptionis ad
» iustitiam.

THESIS XXXIII.

» Vt quum ait, Iustitia enim Dei per fidem
» Iesu Christi, in omnes & super omnes qui cre
» dunt in eum, non enim inquit, est distinctio,
« omnes enim peccauerunt, & egent Dei gloria.
» Et caussati sumus omnes Iudæos & Græcos
» sub peccato esse, sicut scriptum est, quoniam
» non est iustus quisquam &c. Et concluſit scri
» ptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide
» Iesu Christi daretur credentibus. Et si Abra-
» ham ex operibus legis iustificatus est, habet
» gloriam, sed non apud Deum. Quo loco in
» lege item naturæ, vt qua sola tunc Abraham
» tenebatur, negat fuisse per se vim iustificandi,
» sine relatione fidei, erga benedictum semen
» illi promissum. Quanquam aliàs etiam sicut
» disputationis opportunitas postulabat, ita co-
natur

natur auctoritatem minuere veteris legis, vt «
propriè quidem vim iustificandi per se illi ne- «
get, quoad præcepta cæremonialia, in quibus «
potissimùm Iudæi gloriabantur: tanquam in «
his quæ ipsorum essent omnimodò propria. «
Quò spectat illud, An Iudęorum Deus tan- «
tum? nonne & gentium? «

THESIS XXXIIII.

Quæ doctrina manifestè iudicat summum «
esse Lutheranorum stuporem, qui ex his atq; «
similibus Apostoli sententiis colligunt, nullã «
nunc aliam actionem conciliare gratiam: quũ «
ille solum disputet, nulli certè aut operi, aut «
actioni conuenire, vt gratiam conciliet, ea præ
cisè ratione, qua fuit per legem olim à Moyse «
promulgatam, aut etiam per legem naturalem «
præscripta, sine fidei relatione ad Christum. «

THESIS XXV.

Quod vt melius intelligatur, atq; etiam vt «
aperiatur via ad intelligentiam multorum lo- «
corum, ex Epistola præsertim ad Romanos & «
Galatas, quibus isti abutuntur, notanda est ra «
tio atque series disputationis Apostolicę. Sco- «
pus præcipuus est, vtrique populo, Iudæorum «
& Gentilium legem Christi persuadere, qua «
lex vetus sic antiquata fuerit, vt neque obserua «
tio moralium, sit iam nobis ex vi legis illius, «
aut sub comminatione illarum pœnarum «

» necessaria,sed tantum ex vi nouæ legis & na-
» turæ, quam Christus etiam confirmauit: ne-
» que obseruatione cæremonialium, propter
» illorum infirmitatem & significationem iam
» completam,sine iactura salutis vti possimus.
» Hoc vt euincat principium, illud sæpè sumit
» & inculcat, obseruationem legis veteris sine
» quo ad præcepta cæremonialia, sine etiam
» quo ad moralia, quæ cum lege naturæ mate-
» riam habebant communem,per se,vt erat ob-
» seruatio illius legis,non valuisse, sine relatio-
» ne fidei ad Christum conciliare iustitiam.
» Quod principium duabus præcipuè viis, pro-
» bare nititur. Vna est,quoniam ex operibus le-
» gis nemo merebatur iustitiam, quasi ea ratio-
» ne obseruatio legis per se gratiam conciliaret.
» Id quo rursus confirmat,quoniam Abraham
» & alii non propter executionem operum, sed
» per fidem in Christum (non exclusa tamen
» charitate,sine qua cætera nihil valere constan-
» ter docet)quæ sine executione vllius operis ha
» beri potest, gratiam adepti sint: tùm etiam
» quia si gratia homini daretur ex proprij ope-
» ris,aut ex cuiuscunque omninò actionis etiã
» internæ merito,iam non esset gratia. Altera
» via qua illud principium probat,est,quoniam
» non ij solùm,qui ex circuncisione erant,& le-
» ge promulgata per Moysen tenebãtur,sed etiã
» alij ex Gentibus iustitiam per fidem in Chri-
» stum sunt consequuti. Nam & tunc etiam
» fit credibile, obseruationem legis nõ habuisse
» vim conciliandi iustitiam per se ex propria ra-
tione

tione sua,sed alio ex capite, quod potuerit illi
esse cum obseruatione legis naturalis commu-
ne:atque adeò gentibus etiam prodesse, nem-
pe ex relatione ad Christum: Non enim qui in
manifesto Iudæus est,neque quæ in manifesto
in carne est circuncisio, sed qui in abscondito
Iudæus,& circuncisio cordis in spiritu non li-
tera. Ergò ex illo principio q; Apostolus sum
psit,quodq; tum auctoritate sua,tùm aliis ex-
plicationibus confirmauit,tandem id,quod e-
rat ipsi propositum, concluſit, perfecta iam
redemptione per Christum,legéque noua fi-
dei promulgata, ab omnibus eam recipi de-
bere: legemq; veterem,quæ ad Christum tan-
quam ad ipsius finẽ & terminum,in quem re-
spiciebat,via quædam fuit,exoleuisse.

THESIS XXXVI.

Hanc explicationem si rectè quis animad-
uertit,eamq; cum disputationibus D. Pauli de
hoc argumento contulerit, deprehendet pro-
fectò nihil minus Apostolo in mentẽ venisse,
quàm illud quod sectarij somniant, charitatis
aut pœnitentiæ actum, vt à legis nouæ aucto-
re Christo præscribitur, ciusque meritis niti-
tur,non etiam vnà cum fide,conciliare seu ap-
prehendere,vt isti loquuntur,iustitiam.

THESIS XXXVII.

Sed de istorum absurditate atq; errore dice
mus paulò pòst. Hactenus enim doctrinam
tantũ veram,de vtriusq; legis discrimine, ex-
ponere voluimus. Quæ rectè intellecta multas

„ illustrat sententias. Ex ea enim intelligitur „ primùm, præclarè inter D. Paulum & D. Ia- „ cobum conuenire, quamuis ille neminem ex „ operibus legis iustificari, hic autem ex operi- „ bus legis iustificari hominem, non ex fide tan- „ tùm, scripserit. Vtrumque enim est diuersa „ ratione verum: Videlicet & opera legis præci- „ sè sine relatione ad Christum ad iustitiam nõ „ valere, quod D. Paulus disputauit, & cum ea „ relatione, adeoq; cum fide coniuncta valere, „ quod D. Iacobus affirmat, & D. Paulus nun- „ quam inficiari voluit.

THESIS XXXVIII.

„ Item hinc intelligitur, cur Apostolus legẽ „ veterem, quasi pædagogum ad Christum fuis- „ se dixerit, quia videlicet rudiora quædam & „ imperfecta præcepta tradebat, quorum disci- „ plina ille populus velut paruulus continere- „ tur & quasi conclusus, vt Apostolus loquitur, „ custodiretur, donec veniret Christi fides, ad „ quam præparabat lex illa.

THESIS XXXIX.

„ Sic etiam quod Christus ait, venisse se non „ vt legem solueret, sed vt ad impleret, ideò etiã „ dixit, quoniam venit vt pretium solueret, cu- „ ius respectu obseruatio legis aliquid valuerat. „ Quæ fuit etiam Apostolo causa vt diceret, le- „ gem non destrui per fidem, sed statui potius,

Ioan-

Ioannes quoque legem nonnisi per Christum “ valuisse conciliare gratiam, satis illa oratione “ iudicat, lex per Moysem data est, gratia & ve- “ ritas per Iesum Christum facta est. “

THESIS XL.

Et ne omnia persequar, eandem rationem “ habet, id quod B. Augustinus animaduertit, “ qui ex Patribus veteris Testamenti iustitiam “ adepti sunt, eatenus quidem non ad vetus Te- “ stamẽtũ, sed ad nouum pertinuisse, quia scili- “ cet vt in gratiam reciperentur, obseruatio il- “ lius legis non fecit, quatenus obseruatio fuit “ legis illius, sed quatenus coniuncta cum fide “ in Christum nouæ legis ac Testamenti au- “ ctorem.

THESIS XLI.

Ex quibus rebus illud etiam intelligitur, le- “ gem nouam perfectiorem esse quàm legem “ veterem, licet accipiamus hæc nomina non “ tantùm propriè sicut hactenus, vt lex noua & “ vetus præceptis continetur, sed impropriè, vt “ significant summam vtriusque religionis no- “ uæ & veteris. Nam vt hactenus expositum “ est, ideò lex noua vt in præceptis consistit, per “ fectior est lege veteri, quia respectum habet “ ad perfectiorem cultum, ad redemptionem “ per Christum ipsius auctorem iam perfectam “ ad meliorum bonorum promissiones, ad gra- “

» tiam vberiorem, ad illustriorem fidem, adeoq; » doctrinam explicatiorem, &c. Quæ omnia » quum ad summam Christianæ religionis per- » tineant, fit vt ita longè perfectior sit quàm » summa religionis veteris.

THESIS XLII.

» Eadem ratione constat testamentum nouũ » veteri testamento perfectius esse, si nomina » hæc, vt sæpè solent, pro noua & veteri religio » ne sumantur: iuxta illud Apostoli: Nũc autem » melius sortitus est ministerium, quantò & me » lioris testamenti mediator est, quod in melio » ribus repromissionibus sancitum est. Qua in » significatione dici etiam solet, inter Euange- » lium acceptum pro tota summa legis nouæ, » & legem veterem interesse, illudq; longè per » fectius esse. Nam & Euangelij vox, vt initio « dicebamus, non tantùm pro læto nuntio, » quale est remissionis peccatorũ, annuntiatio; » sed etiam pro tota Christi religione nonnun- » quam ponitur, sicut & vox legis nouæ: vt » quum ait Apostolus, Segregatus in Euange- » lium Dei, quod antè promiserat per Prophe- » tas suos. Et Christus, Euntes in mundum » vniuersum prædicate Euangelium omni crea » turæ. Nimirum (vt Matthæus pluribus verbis » retulit) docentes eos seruare omnia, quęcun- » que mandaui vobis. Ex quibus quidem vna » tantum pars est fides, vel pœnitentia ad remis-

remissionem peccatorum. Nam verissimè « Augustinus, hoc est, inquit, euangelizare « Christum, non tantùm dicere, quæ sunt cre- « denda de Christo, sed etiam quæ obseruan- « da ei qui accedit ad compagem corporis « Christi. «

ANALYSIS.

Maximum & præcipuum veteris & nouæ legis discrimen est, quòd lex Noua vim per se iustificandi habeat, qua quidem lex vetus caruit: non iustificabat enim lex vetus obseruatione legis per se considerata, sed facta relatione ad Christum, adeóq; ad legem nouam, cuius est Christus auctor. Lex autem noua sui ratione & obseruatione iustificat, non per relationem ad aliam legem aut legislatorem, sed propter autoritatem & meritum sui auctoris Christi. Quæ doctrina luculentis & illustribus testimoniis è scriptura petitis, & præsertim ex Pauli disputationibus comprobatur.

REFVTATIO.

Status cõtrouersiæ inter omnes omniũ ferè tẽporũ Theologos diu multũq; agitatæ, qua quid de hominũ iustificatione corã Deo sentiẽdũ sit quęritur, in eo verti manifestũ est, vt in primis ex autoritate scripturæ, ac fidei analogia diiudicetur, hominémne sola Dei gratia, sine

vlla operum, cuiuscunque tandem illa generis habeantur consideratione iustitiam obtineāt, quæ cum æterna fœlicitate coniuncta sit: An verò ad Dei gratiam necesse sit, vt in iustificationis natura & ratione constituenda hominis etiam opera concurrant, vt ex Dei bonitate & operibus hominum quasi conflata existat iustificatio. Duæ sunt hac de re inter se pugnantes opiniones atque sententię. Quarum vna est Pontificiorum, quæ iustificationem inter Christi meritum, & hominis opera distribuit: altera est nostra, quæ vniuersam iustificationis rationem merito Christi refert acceptam: nec tamen quum excellentem Dei bonitatem atque misericordiam erga humanum genus agnoscit, & quantum est in se prædicat, quicquam de dignitate, addo etiam necessitate operum detrahit, quemadmodum satis superque à doctissimis hominibus velint nolint Pontificij comprobatum est. Prior sententia, quum & sua ipsius vitiositate, & argumentationibus firmissimis perculsa tandem collaberetur, nouus Atlas Gregorius minanti ruinam Pontificio cœlo humeros accommodare voluit, & insanam molem fatigatis & fugientibus reliquis monachis penè vnus si modò vires suppetant, sustinere. Quocirca etiam atq; etiam videndum est, quid tanta pollicitatione dignum Gregorius effecerit, quamque si non elegantia & rationibus, saltem improbitate atque malitia, & in corrumpendis voluminibus sacris κατ' ἐξοχὴν omnibus Iesuitis familiari audacia superiores impietatis Pontificiæ patronos, maxima celeritate anhelanti similis præteruolans à tergo reliquerit. Itaque in primis vrgendum est discrimen illud, quod inter legem nouam & veterem sophista constituit, quodque si explicetur ex hypothesi Gregoriana, inuenietur tam falsum, & à fidei analogia remotum, quàm verum esse probare conatur Iesuita, & cum sacris literis consentaneum. Lex noua, inquit, iustificat, lex verò antiqua minimè. At quomodo lex noua iustificat? obseruatione præceptorum propter meritum sui auctoris Christi. Rem verò tātā, tot controuersiis & quæstionibus implicitam, qua ratione confirmas? Tibi dicere probare est, nobis ergò inficiari refutare sit: qua tamē lege, quantumlibet iusta vti non est in animo, ne sophistam Gregorium esse videar in re vlla imitatus. Sed antequam caussæ iugulum petam, operæpretium me facturum esse arbitror si te tuis vestigiis persequar, & lectoribus ostendam quo vel iudicio, vel certè malitia, quæ optimè sunt in scripturis explicata & prodita corrumpas. In Thesi XXII. concedis legem vt appellas, veterem nulla ratione iustificandi vim habuisse, id est vt interpretaris, vt omnis generis præcepta, ne moralibus quidē exceptis, continebat: in quo iam à Pontificia explicatione recedis, quę disputationem Pauli ad opera cæremonialia duntaxat pertinere, flagitiosè quidem, sed nihilominus pro inuiolabili auctoritate sua determinat. Quamobrē,

mi homo, dum ita disseris, non Pontificiæ superstitioni patrocinaris, sed nouã ex ipsis Põtificis tùm inuisam, tùm inauditam in sophistico cerebro, partim ex Papistarum fabulis, partim ex nostris explicationibus malè quidẽ intellectis ac peius accommodatis compingere moliris. Deinde, quum de morali iustitia, quæ coram hominibus iustificat, ex Paulo disputas, non animaduertis te Apostoli mentem non assequutum esse, ideoque sententiam turpissimè corrumpere, Nam ibi Paulus non agit de iustitia illa, quæ nos hominibus commendat, quum ita suam ratiocinationem concludat *Si quod ex natura est præputium, legem seruet, damnabit te qui per literam & circuncisionem transgressor es legis: Non enim qui est in propatulo, Iudæus est, nec ea quæ est in propatulo in carne, circuncisio est: Sed qui in occulto Iudæus est, & circuncisio cordis, id est in spiritu, non litera cuius Iudei laus nõ est ex hominibus, sed ex Deo.* Vide vt de interiori & Iudæo, & circuncisione Paulus disserat: quæ certè quum sub aspectum reliquosque sensus minimè cadat, neq; vlla hominis sagacitate & industria deprehẽdi possit, vni tantum Deo est conspicua, à quo etiam vt commendetur expectat.

Qui errror tibi oblatus est, quod Apostoli contextus seriem atque ordinem attentè quẽadmodum penitus oportuit, minimè consideraueris, & cum scopo, quem disputationi suæ præfixit, comparaueris. Hoc enim vult efficere Apostolus, omnes cuiuscunque tandem

dem sint conditionis homines, coram Deo æternæ morti obnoxios esse, neq; vllis operibus posse hanc iustissimam simul & seueriſſimam condemnationis sententiã effugere. Ac primo quidem capite conuincit eos peccati, quemadmodum erat facillimũ qui legem à Mose publicatam, non acceperant, ostenditque satis habere doctorum Gentes vt sint ἀναπολόγητοι. Secundo verò capite ad Iudæos accedit, & in primis demonstrat legẽ nihil prodesse, quam infinitis sceleribus cõtaminassent Ne autem exciperent, se populum Dei esse & circumcisionem accepisse, disputationi suæ contra Iudæos axioma illud certissimum & maximi momenti substernit, nempè, ἐκείνους προσωπολημψίαν φρὰ τῷ θεῷ. Deum redditurum vnicuique secundum opera ipsius, Iudæo in primis & Græco. Hic nemo non videt Paulum agere de iustitia illa, quæ Deo approbatur, quam videlicet tùm punit tùm coronat. *compressio*, inquit, *& angustia aduersus omnem animã hominis perpetrantis malum, tùm Iudæi in primis, tùm etiam Græci: Gloria verò & honor & pax cuius operanti bonum, Iudæo in primis, tum & Græco.* Et ne singula persequar, cõclusio, cuius paulò ante mentionẽ fecimus, euidẽtissimè cõuincit, Apostolũ differere de iustitia illa, quæ corã Deo iustificat. Sed in eo fallitur Gregorius, qui existimet ex disputatione Pauli cõsequi præputiũ legẽ seruare posse, quod quidẽ ὑποθετικῶς assumpsit Apostolus, minimè quidẽ tanquã in rerũ natura esset, aut etiã esse posset, verum

vt ostenderet Iudæis suam gloriationem de lege, circunciſione, reliquiſque omnibus ceremoniis admodum esse inanem. Quasi hoc modo cum illis ageret. Non me latet Iudæi, quã ægrè sitis laturi si quis vos cum Gentibus conferre audeat, vt qui legem Dei à Moſe publicatam, & circunciſionis, ceremoniarũq; ritus oſtentetis, voſque iſtis omnibus contra ipſius Dei manum & vindictam optimè armatos esse arbitremini, tanquam in peccata veſtra ille non poſſit animaduertere, quin ſuæ iuſtitiæ obliuiſcatur. At certè si rem vniuerſam propius conſpiciatis, neceſſe est vt confiteamini, legem ipſam pluris esse faciendam omnibus ceremoniis, vt quæ sint ad legem additæ, non vt illam tollant, ſed vt magis obſeruandam eſſe doceant, vnde colligere poſſumus, ſi vos iſtis rebus inſtructos, legem nihilominus violaueritis, meritò pœnam cõtemptæ legis esse ſubituros: & contrà ſi Gentes, quæ neque circunſionem, neque ſacrificia, reliquoſque ritus acceperunt, legi obtemperauerint, iure optimo vitam & beatitudinem æternam conſequuturas esse. Neque vllam rationem afferre poteſt Ieſuita Gregorius, quæ vel minimam habeat probabilitatis effigiem, cur de vna eademque iuſtitiæ ſpecie in toto capite ſecundo non loquatur Apoſtolus. Itaque hoc etiam falſum est quod addit. Iuſtitia, quam præ lege veteri, lex noua conferre dicitur, alterius generis iuſtitia est, qua videlicet iuſtus quis redditur coram Deo, ipſique fit gratus & acceptus

ceptus ad vitam æternam. Cur ita? quia præſupponit quod illi vehementer negamus, nempè Apoſtolum de larua & ſpectro iuſtitiæ diſſerere, quum potius agat de pura putáque iuſtitia, quæ ſi ab hominibus obtineretur coram ipſiuſmet Dei iuſtiſſimo tribunali ex pacto vita donaretur æterna, vt qui legem adimpleuiſſent, quę est perfectiſſima & abſolutiſſima pietatis, iuſtitiæ, ſanctitatis, omnium denique virtutum regula: cui quoniam noſter ille mediator ſatiſfecit, tùm ipſe iuſtus Dei ſentẽtia pronuntiatus est, tùm nos omnes ſua iuſtitia induit, vt à Deo etiam approbemur & cæleſtem hæreditatem adeamus. Præterea in eo labitur Gregorius, quemadmodum ſuo loco fuſiùs demonſtrabimus, quod de Euangelio, vt de lege ſentiat, quam ſi noſtris operibus exprimamus, fore arbitratur, vt iuſti cenſeamur. Quo Theorema nullum est in Pontificia Theologia vel abſurdius vel impurius.

Hæc forma etiam loquendi meo quidem iudicio ferri non debet, qua legem appellat literam mortuam, quatenus extra hominem exiſtit, nempè aut voce publicata, aut literis prodita. Nimis enim diluta est iſtiuſmodi ſententia & quæ nullo modo cum Apoſtoli mente conſentiat. Nam certe quo lex magis percipitur & intelligentia continetur, magis condemnat, ideóque leuior futura est pœna Gentium quàm Iudæorum, vt qui legis expreſſam & abſolutam effigiem non habuerint, ſed tenues tantùm naturæ ſcintillas, tanquam duces

sint ad iustitiam consequēdam adepti. Quamobrem optimè Apostolus Rom. cap. 7. *Quid ergò dicemus? lex peccatum est? Absit. Imò peccatum non cognoui nisi per legem, nam etiam cupiditatem non nossem nisi lex dixisset: non concupisses. Sed peccatum occasione sumpta genuit in me omnē cupiditatem, per illud mandatum. Nam absque lege peccatum quidem erat mortuū, ego vero viuus eram sine lege quondam: mandati autem illius aduentu, peccatum quidem reuixit, ego vero mortuus sum: Et repertum est illud mandatum quod institutum erat ad vitam, mihi cedere ad mortem &c.* Ad Thesim XXV. veniamus, in qua seipsum Gregorius, addo etiam Iesuitas reliquos, impudentia & sacrarum literarum imperitia longo interuallo superauit. Hæc quo facilius intelligatur, ad duo capita reuocari potest: quorum vnum est, iustitiam nouæ, vt loquitur, legis ab hominibus obtineri, quoniam præcepta omnia illi obseruant, alterum obseruationē præceptorum eam sufficere, quæ fit secundùm animi propositum, ꝙ actu fidei & charitatis saltē implicitè continetur. Quibus addenda est cōclusio, nempè, vix fieri posse quin homo gratiam consequatur antequàm præcepta omnia legis executione ipsa impleat. Si hæc capita Iesuiticæ Theologiæ blasphema esse dixero, impia, & ad euertendum Christi meritum & sacrificium, ab ipso Satana Dei gloriæ antiquissimo, & hominum salutis oppugnatore comparata, nihil nouum & Iesuitis nostri redēptoris hostibus indignum me dixisse arbitrabor.

Sed

Sed videtur esse conuenientiùs argumentis agere, quàm portentosam istiusmodi hominum impietatem atque audaciam, vt merita est, insectari. Quamobrem instituatur à nobis ante omnia disputatio, an homines possint obtinere iustitiam, quæ Deo sit accepta obseruatione præceptorum nouæ legis: quod quidem affirmat Gregorius, nos verò quanta possumus contentione maxima inficiamur. Quam methodum si sequutus esset Iesuita, neque tam impudenter τὸ ἐν ἀρχῇ concedi sibi postularet, nēque tam infœliciter, vt opinor, in ipso quæstionis aditu & vestibulo concideret. Quis enim optimo iure nō miretur de modo iustitiæ legalis statuere Iesuitam, qui legalē iustitiā esse non probauerit, aut etiam probare potuerit? Nam certè ipsa differendi natura & ratio, optima veritatis eruēdæ magistra præcipit, vt antequam de rei modo quæramus, rē esse, cognitū exploratumq; habeamus. Neque enim vlla hominum industria definiri potest modus rei quæ nulla est. Quapropter quū ea iustificatio, quā habem⁹ corā Deo, ex operib⁹ legis nō existat, sed ex pura putaq; Dei optimi maxi. clemētia, ineptè omnino Gregorius de modo illi⁹ operariæ iustificationis statuit, quæ in rerū natura nec fuit vnquā, nec post Adā lapsum esse potuit. Ratio est, quia quū simus deprauatissimi, De⁹ aūt perfectissim⁹, necesse est, vt si nostra exigātur opera, quēadmodū penit⁹ oportet, si iustificatio pendeat ex operibus, ad staterā diuinæ legis ac iustitiæ, deprehendātur

qualia sint,& mercedem non quam expetiuerimus,sed quam simus apud Deum meriti,reportemus. At nemo est omniũ adeò hebes,atque suæ tùm naturæ tùm conscientiæ parum diligens & gnarus explorator, quin hoc apud se fixũ atq; constitutum habeat, videlicet miserrimum se peccatorem esse,& nisi Deus infinita benignitate sua ipsi succurreret se pœnã esse mortis æternę millies commeritum. Quid enim opus est verbis? an illa est obscura Pauli sentia, ἀφώνια τῆς ἁμαρτίας θάνατος? an Christiani non peccant? At cùm quotidiana experiẽtia dogma illud falsissimum refellit, tùm graphicè Paulus in capite septimo ad Romanos, vbi luctam carnis & spiritus in sua etiam videlicet illustri persona,& singularibus Dei donis exornata describit. *Scimus*, inquit, *legem esse spiritualem: at ego carnalis sum, venditus vt subiicerer peccato. Quod enim perpetro, non agnosco,non enim quod volo,hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Quod si id fac o quod nolo, consentio legi quod bona sit.* Item, *Noui enim non habitare in me (id est in carne mea) bonum, nam velle adest mihi,sed vt quod bonum est perficiam,non assequor.* Item, *sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentẽ me legi peccati,quæ est in membris meis. Miser ego homo quis me eripiet ex isto corpore mortis?* Itaque colligamus contra Gregorium, opera hominis esse imperfectissima, & quæ coram Deo nihil præter condemnationem æternam mereãtur,gratis autem iustificari electos,propterea

ptereà quòd Christi sanctitas,innocentia,puritas,obedientia, supplicium denique quo in cruce fuit affectus, eis tanquam illud in sua ipsorum persona subiissent,imputetur. Fallit ergò Iesuita ἕδρα τὸ δογμα ἑτερογενὲς καὶ ἀθεόλογον, quodq; ipsius Theologiæ, adeóq; salutis hominum fundamenta subuertat.

Nec verius est caput alterum,videlicet obseruationem legis sufficere, quæ fit secundum animi propositum,quod actu fidei & charitatis saltem implicitè continetur. Nam in primis hęc imaginaria legis obseruatio, veram legis obseruationem tollit,& breuibus cancellis humanæ mentis excellentem Dei sapientiam,in eius verbo explicatã, determinat. Nec valdè miror huc tandem venisse papistas,vt dũ legis obseruationem se constituere gloriãtur, & legem ipsam & legis obseruationem tollãt. Quid enim est apud Pontificios Dei legem secundum animi propositum obseruare, quàm & diuinæ legis esse ignarum, & officiorũ quæ in lege traduntur imperitũ,& nihilominus ex operibus legis suam velle cõstituere iustitiam? Quasi verò Dei leges quid cogitemus, & non potius quid ipsę iubeãt,cõsiderent. Ex illo etiã fonte quondam defluxit vestra implicita obseruatio,& fides, atque charitas: vt omnium imperitissimi de obseruata sibi lege diuina gratularentur,nec quantisversarentur in tenebris, quamque nequiter ac flagiosè coram Deo & hominibus vitam instituerent, mente atque intelligentia consequerẽtur. Nos verò mon-

strum illud implicitæ obseruationis & scientiæ telis ex pharetra verbi diuini depromptis confodimus,& veram legis obseruationem à vera illius cognitione & intelligentia originem habere docemus. Ideò sæpè Apostolus coniungit vtramque quod aduersum Iesuitica sophismata in primis notandum est. Col.cap.2.vers.2. *Vt consolationem accipiant eorum corda,ipsis charitate compactis, & omni opulentia certo persuasæ intelligentiæ, ad cognitionem misterij Dei & Patris & Christi* Phil.cap.1.vers.9. *Et hoc precor vt charitas vestra adhuc magis ac magis redundet, in cognitione & omni sensu*, & in 10.cap.ad Rom. zelum Iudæorum cò condemnat, quòd non esset ex notitia, quodque ignorantes Dei iustitiam,& propriam iustitiam studentes constituere,iustitiæ Dei non essent subiecti. Deinde admodum imperitè Iesuita propositum obseruationis omnium præceptorum, actu fidei & charitatis contineri asserit. Nemo enim est eorum qui primoribus labris eã philosophiæ partẽ attigerunt,quæ de moribus tractat, qui per se non cognoscat multò latiùs patere propositũ actu: siquidẽ actus est propositi executio. Quamobrẽ optimè dicitur actũ proposito in rebus illis quæ à voluntate hominis pendẽt contineri: sed non contrà, neq; enim propriè genera speciebus,sed species generibus continentur. At fortasse hoc sibi vult Gregorius. Nempè propositum obseruationis præceptorum Euangelij eatenus conferre iustitiã, quatenus est cum vera fide & charitate cõiunctũ.

At ve-

At vera fides & charitas non est duntaxat propositum legis obseruandæ,sed absolutissima & perfectissima legis obseruatio. Itaque proinde ratiocinatur Gregorius ac si diceret, propositum legis adimplendæ tunc demum reddit homines iustos, quum reipsa legem adimpleuerunt,quod quidem verum est,atq; etiã nostræ doctrinæ & veritati scripturarum consentaneum: sed huiusmodi nulla vt hominum quot quot vnquam extiterunt vita exprimi possit, quemadmodum est non minus eruditè quàm copiosè à nostris hominibus explicatum.

Nec omnia vrgeo absurdæ quæ in hac Thesi breuissima reperiuntur: summa tantum capita attingo,vt omnes intueri possint,quã peritè atque orthodoxè Iesuita theologiceturi. Sed fieri nequit vt intactã præteream sophistæ nostri conclusionem,qua nulla excogitari vnquam potest absurdior de iustificatione sententia & cum execranda etiam blasphemia coniunctior: colligit enim quum occasio non detur cuilibet adimplendi omnia legis præcepta, & si cui detur, fieri vix possit quin gratiam is consequatur priusquam omnia impleat, satis esse obseruationem præceptorum secundùm animi propositum. Quæ paulò antè commemorata sunt repetere non est animo, tantùm paucis excutiam ea, quæ in vltima Thesi sua tanquam triarios milites collocauit Gregorius. Atque vt ordine procedat examen Iesuiticæ Theologiæ, quæra-

mus à nostro antagonista quid nomine gratiæ significatum velit. Nam quum Patres antiquissimi atque eruditissimi sacrarum literarū vestigiis insistentes, docuerint nostra opera omnia, Dei gratiam longo interuallo antegredi, & illis datam esse comitem, & tandem etiã consequi, non posset non mirum videri (nisi hoc Iesuitis esset in more positum, institutóq; ordinis & disciplinæ, vt sacris literis aduersarentur) tam imperitum esse Theologiæ Gregorium, vt Dei gratiam in extremo duntaxat fidei & charitatis actu agnosceret atque amplecteretur. Sic enim de antegrediente gratia loquuntur sacræ literæ. Ioan. cap. 6. vers. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum, ego vero suscitabo eum vltimo illo die. Est scriptum in Prophetis, & erunt omnes docti à Deo. Quisquis ergo audiuit à Patre & didicit, venit ad me.* Item, Act. cap. 16. vers. 14. *Quædam autem mulier nomine Lydia, quæ purpuram vendebat in vrbe Thyatirorum, Deum colens, nos audiuit: cuius Dominus adaperuit cor, vt attenderet ea quæ dicebantur à Paulo.* Item, Tit. cap. 3. vers. 4. *Sed postquam bonitas, & erga homines amor apparuit seruatoris nostri Dei, non ex operibus iustis quæ fecerimus nos, sed ex sua misericordia seruauit nos, per lauacrum regenerationis, & renouationem spiritus sancti.* De gratia verò comitante. Philip. cap. 2. vers. 13. *Deus is est qui efficit in vobis, & vt velitis, & vt efficiatis, pro gratuita sua beneuolentia.* Rom. cap. 16, vers. 25. *Ei vero qui potest vos stabilire, secundum Euangelium meum & præconium*

tium Iesu Christi, ex reuelatione mysterij quod à temporibus æternis tacitum fuit &c. ibid. cap. 14. vers. 4. *Tu quis es qui condemnas alienum famulum? proprio domino stat, aut cadit, stabilietur autẽ: potest enim Deus eum stabilire.* Col. cap. 1. vers. 9. *Propterea & nos ex quo die id audiuimus, non desinimus pro vobis orare, & petere vt impleamini omni agnitione voluntatis eius, cum omni sapientia & intelligentia spirituali.* De consequente autem gratia, non opus est vt verba faciamus, propterea quòd illam demum agnoscit Gregorius. Sed fortasse, vt sunt Iesuitæ lubrici, excipiet se non inficiari gratiam Dei & præuenire hominum opera, & illis adiunctam esse comitem: sed de illa hoc in loco se gratia disserere, quæ sit κατ' ἐξοχὴν gratia, & quæ reliquas omnes suo ambitu contineat & amplectatur. Quænam verò illa tandem erit gratia? iustificatio nimirum. Respondeo falsissimũ esse illud Theorema Pontificium, Iustificationem opera consequi vel tempore, vel tanquam effectum caussam. Iustificamur enim coram Deo simulatque Christo sumus insiti, ab illiusque merito nostra omnis pendet iustitia, vt norunt illi omnes qui cum puriore Theologia quicquam habẽt communi Rom. cap. 5. vers. 1. *Iustificati igitur ex fide pacem habemus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: Per quem etiam fide habuimus hunc aditum in gratiam eius, per quẽ stamus, & gloriamur sub spe gloriæ Dei.* ibid. vers. 9. *Iustificati igitur eius sanguine, seruabimur nunc, multo magis per eũ*

ab ira,& vers.15.Nam si illius vnius offensa multi mortui sunt,multò magis gratia Dei, & donum per gratiam quæ est vnius hominis Iesu Christi in multos redundauit,&c. 1.Cor.cap.1.vers.29. *vt ne glorietur vlla caro coram eo. Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu,qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiáque, & sanctificatio, & redemptio.* Ex quibus efficitur non expectare Deũ, nobis vt gratiam iustificationis largiatur,dum opera legis exequamur, quæ certè conditio penitùs est ἀδύνατος, sed pro infinita benignitate sua nos Christo inserere,vnde sanctitatem,innocentiam, puritatem,ac proinde iustificationẽ hauriamus. Conatur autem inuidiam eleuare Gregorius, quam superbo illo axiomate suo excitant Pontificii, nempe iustitiam contingere hominibus propter obseruationem præceptorum:addit enim obseruationem esse considerandam absque ratione vlla meriti,vt gratia non excludatur. Sed facilis est sophismatis solutio. Si homo legem à Mose traditam obseruasset,non apud Deum vitam æternam simpliciter & ratione dignitatis operum esset meritus. Quis enim prior dedit domino & retribuetur ei?aut quæ tandem potest hominis esse actio, quæ sibi Deum obliget atque deuinciat?Nulla profecto. Sed illa omnis ratio meriti ex pacto suam originem habuisset, quoniã Deus est cum hominibus pactus, si legem suã obseruassent,se vitam illis æternam esse concessurum. Itaque nemo non videt si homines iustificentur, quòd Euangelio sint obsequuti,eos

ti,eos ex pacto mereri Euangelicas promissiones,adeóque fœlicitatem sempiternam. At vbique Paulus vehementissimè hoc inficiatur, ostenditque nostram iustificationem non ab operibus vel Mosaicæ legis,vel Euangelij pendere,sed ab vnius Christi sacrificio: vt necesse sit aut vnicè impudentẽ esse Gregoriũ q. cõtra ipsius Apostoli autoritatẽ differat,autvaldè imperitũ, qui apertã & conspicuã Apostolicæ tractationis cõplexionẽ nõ intueatur. At festiuè probat Iesuita legem veterem aliquid ad obtinendam iustitiam contuliſſe,facta relatione ad Christum: ex illo videlicet Christi responso, Hoc fac & viues. Item ex Pauli verbis. Quicunque in lege peccauerunt per legem iudicabuntur: non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.Et circuncisio prodest si legem obserues,& cætera huiusmodi. Quid fiet isti sophistæ qui tam scelerate atque impudenter scriptura non vereatur abuti? Nemo enim habẽdus est pro Christiano, nedũ pro Theologo, qui non sentiat legẽ & Christũ inter se ita opponi,vt qui ex lege aut solidã iustitiã, aut iustitiæ partem adipisci conatur, veræ illi & perfectæ satisfactioni, quam pro nobis Patri obtulit Messias,renuntiet. At si Gregorio credimus ea tãtũ de causſa mortuus est Dei filius, non vt nos iustificaret coram Deo, sed vt gratiam nobis largiretur, qua bonis operibus edẽdis nos ipsi Deo approbare possemus.Quod quidẽ dogma eiusmodi est,vt nostra præsertim ætate nulla refutatione opus habere videatur.

Ad Christi autem verba quod attinet non animaduertit Sophista, quis Christi mos respondendi fuerit, quum in Pharisæos & hypocritas incidisset, nempè vt eos impietatis potius conuinceret, quàm ad cognitionem veritatis, qua erant indignissimi, quamque odio Vatiniano persequebantur, adduceret. Nec suam ille, consuetudinem dissimulauit, quum ita discipulis respondit quærentibus quare per parabolas coram Iudæis loqueretur. *Quia*, inquit, *vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.* & paulò pòst. *Itaque completur in ipsis prophetia Esaiæ, quæ dicit, Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis & non cernetis. Crassum factum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt & oculis conniuerunt &c.* Cuius rei luculentum est exemplum Matthæi 21. cap. vers. 24. Itaque si ex analogia fidei, & collatione scripturarum, interpretationem huius Christi sententiæ, hoc fac & viues, indagasset Gregorius, non tam absurdè tamque parùm Theologicè colligeret, Mosaicam legem aliquid ad iustitiam contulisse facta relatione ad Christum. Nam in primis lex Mosaica per se iustitiam conferret, si obseruari ab hominibus posset, propterea quòd vitam æternam Deus est pollicitus legis obseruatoribus. Qua de caussa Paulus non legem appellat infirmam ἁπλῶς, sed κατά τι nempè propter humanæ conditionis atque naturæ imbecillitatem. Rom. cap. 8. vers. 3. *Nam quæ legis erat impotentia quum viribus esset destituta per*

per carnem, Deus suo ipsius filio misso in forma consimili carni peccato obnoxiæ, idque pro peccato, condemnauit peccatum in carne. Quum verò ea sit nostra infirmitas, vt neque etiam regenerati ad præscriptum legis vitam instituere possimus, quò salutem adipiscamur, in vnius merito Christi nobis est acquiescendum, vt sola eius ornati iustitia coram Deo, sancti & ab omni macula puri appareamus. Nec aliter sensit Dei filius quum ad legem gloriosum illum & hypocritam legisperitum ablegauit: sed ostendere voluit quàm longè abesset ab illa perfectione, quam sibi iam esse videbatur assequutus. Exemplo simili tota res fiet illustrior, quod quidem extat Luc. cap. 18. vers. 18. Quum dives ille à Christo quæsiuit, Domine quid agam, vt ad vitam æternam perueniam: Christus hominem remisit ad legis obseruationem, & quidem optimè. Nam lex pædadagogus est ad Christum. At simulatque gloriosus ille iustitiam legis tanquam iure suo sibi vindicare ausus est, Dei filius hominem iubet vt se, collatis in pauperes diuitiis, sequatur. Tunc demum vanitas hominis & iactantia innotuit. Nam si vt lex præcipit, Deum ex toto corde & animo dilexisset, nunquam Christi vocem & imperium, opibus caducis & terrestribus posthabuisset. Hac methodo legisperitum, ad proximi amorem, multò latius patentem quàm ille opinabatur, adducit Christus, eum vt conuincat legis violatæ, ad melioremque legis & Euangelij notitiã compellat.

Error est igitur falsa loci expositio, qui Gregorio & Iesuitis omnibus adeò est familiaris, vt nullum ferè locum ex scriptura, inter disputãdum afferre soleant, quin pessimè illum depraua re & corrumpere moliantur.

Ad Paulum venio, quem maiore cum audacia in suam sententiã detorquet sophista Gregorius. Nec multis opus est verbis vt hominẽ conuincamus: nam paulò antè comprobatum est, Apostoli eam esse mentem, vt tùm Gentes, tùm Iudæos coram seueriſſimo iustiſſimoque Dei tribunali redarguat, & mortis æternę iure optimo reos esse doceat, vt suę impietatis & corruptionis conscij ad Christum se conferant, & sola illius induti sanctitate ac innocentia ante oculos æquissimi & puriſſimi iudicis stare audeant & absolutoriam sententiam, adeóq; sempiternam hęreditatem electis deferẽtẽ bonus expectare. At Gregorius scilicet sacrarum literarum interpres, contra mentem Pauli concludit legem obseruari posse, quod si verum est, nę tota Pauli Epistola, vbi luculentissimè de nostra iustificatione disserit, labatur necesse est, vt quæ euerso fundamento stare non possit. Nam quum Paulo sit propositum Gentes & Iudæos peccati reos peragere, ideóque sententias vsurpet, quas in contrarium sensum inflectere conatur Iesuita, quis non apertè intuetur, si lex obseruari queat, nullam esse omninò Apostoli complexionem, eaque de caussa totã eius disputationem

nem indigniſſimam esse, quæ inter Apostolicas referatur, quod sine insigni blasphemia quis tandem nisi fortasse Gregorio similis, audeat dicere?

Tandem vtriusque legis hunc in modum discrimen exponit, vt lex noua statum habeat, quo nos propter Christum iustos efficiat, quoniam insculpta est in cordibus nostris per gratiam & charitatem, quibus Christo id promerente iusti & grati Deo sumus: legem autem veterem habuisse statum dicit, quo non ipsa homines iustos faceret, sed damnaret potiùs, quatenus literis conscripta præscribebat ea quæ non fiebant, & hic est primus modus excogitati à Gregorio discriminis. At ante quàm longius in disputatione progrediatur, euincere debet sophista, quod nunquam est facturus, meritum Christi eò esse referendum, minimè quidem vt nos iustificet, verum vt operibus nostris aditum aperiat vt coram Deo grata sint & accepta, & ad iustificationem obtinendam efficacia. Et vt paucis, quod res est dicam, nemo non videt sanctificationem quæ in hac vita in fidelibus inchoatur, confundi à Iesuita cum iustificatione. Nam fatemur quidem electos sanctificari à Deo, eamque sanctificationis esse rationem, vt diuinæ legi optemperet, atq; totis animi viribus ad supernaturalem beatitudinem contendat & feratur, caduca au-

tem & terrestria negligat & in sanctis operibus edendis tota sit, vt & Deo seruiat, & proximorum ædificationi consulat: sed vehementissimè pernegamus, quum istiusmodi sanctificatio inchoata sit duntaxat, & proinde imperfecta in nostræ iustificationis definitionẽ venire, quæ integra & solida vni Christo debetur: quemadmodum vbique Paulus & reliqui etiam Apostoli euidentius confirmant, quàm vt inficiari queat. Itaque semel distinctionem illam per se & relatione ad Christũ repudio, vt quæ falsa sit, blasphema, impia, ἀθεόλογος. Nam obseruatio legis aut Euangelij non iustificat relatione facta ad Christum, sed ipsius Christi obedientia iustificat per fidẽ, electis, propter Dei gratiam & misericordiam donata, & ad æternam salutem consequendam imputata. Quamobrem incumbit Gregorio vt suum illud Theorema de relatione legis ad Christum demonstret, aut vi coactus veritatis, garrire potiùs quàm disputare desinat. Sed audiamus quomodo id tandem probet. Vnus est (inquit Paulus) iustificans circuncisionem ex fide (en respectũ ad Christum ait Gregorius) & præputium per fidem. Benè profectò, sed Paulus non dicit circuncisionem iustificari obseruatione legis, facta relatione ad Christum, quẽadmodum asserit Gregorius, sed ex fide nimirum apprehendente Christi meritũ & iustitiam, vt sæpissimè testatus est. Sequitur alterius loci corruptio. Item, quum subiungit. Quid ergò? legem destruimus per fidẽ? absit. Sed

Sed legem statuimus. Id est vt interpretatur Gregorius, Indicamus Christum ex quo lex virtutem accipiebat, vt eius obseruatio ad iustitiam prodesset. Tu verò sycophanta, qui hãc interprætationem, quæ nihil est aliud quã fœda contextus Apostoli deprauatio, confirmas? Nos enim didicimus expositionem Scripturæ Scriptura esse fulciendam, siquidem apud pios & cordatos homines aliquid autoritatis eã habere volumus. At quis non facilè totam scripturam subuerterit, si hæc interpretandi ratio semel recipiatur. Quærit à me forsitan, quid ergo sibi vult Apostolus? Nempe tibi occurrit tuique similibus Pontificijs, qui quum de gratuita iustificatione disserimus, objicere soletis, cur igitur lex posita est? obiectionem vestram paucis Apostolus dissoluit, quum asserit gratuitæ iustificationis doctrinam non inanem reddere Legem, sed contra stabilire. Quid ita? quia certè Christi sanctificatio apertè ostẽdit legis comminationes irritas non esse, quum illas luere Christum oportuerit, cuius etiam iustitia quid aliud est quàm plena legis præstatio? quò deinde sanctificatio electorum pertinet, nisi vt doceat legem non aboleri sed constitui per fidem? Et vt omnia verbo complectar, quid aliud denotat iustificatio quæ nobis ad salutem est necessaria, quàm vtilissimam fuisse legis publicationem, qua Christus adimplenda nos in societatem & participationem suæ iustitiæ vocauit, vt non iam pro peccatoribus damnemur, sed gloriæ coronam ab ipso

Deo acciperemus tanquâ, si essemus sanctissimi atq; iustissimi. Nec quũ hęc dico vt Grægorius solet ἀναπόδεικτον ἄτημα mihi cõcedi postulo, sed doctrinã in sacris literis cẽties inculcatam explico, cuius tot sunt testimonia, quot fere in scriptura noui Testamẽti paginæ; Gal. cap. 3. vers. 13. *At Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio, scriptum est, enim execrabilis quisquis pendet in ligno*, ibid. cap. 4. vers. 4. *At postquam venit plenum tempus, emisit Deus filium suum factum ex muliere, factum legi obnoxium: vt eos qui legi erant obnoxij redimeret, vt adoptionem acciperemus.*

Nec melius explicat locum Pauli, quem adscribere libet ex ipsiusmet Iesuitæ autographo, nempè Christum propositum esse à Deo propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum, in sustentatione Dei, ad ostensionem iustitię eius in hoc tempore. Id est, vt intelligeretur cuius respectu atque merito Deus anteà legis cultoribus peccata remiserit, contuleritque iustitiam suam, cuius videlicet ipse solus auctor est, quáque homines iustos facit. Nescio quid imposuerit Gregorio, vt sententiam Apostoli generalem seculorum limitibus quæ sunt Euangelium antegressa concluderet: nisi fortasse illud quod de præcedentibus peccatis tradit Paulus, ad ea peccata violenter contorqueat, quæ homines committebant antè quàm

quàm Dei filius nasceretur. Rem verò ita se non habere mihi omnes concessuros existimo, qui paulò attentiùs Apostolici contextus ordinem & seriẽ expenderint. Arguerat Gentes atque Iudæos peccati, atq; adeò mortis æternæ reos peregerat, vt ad Christum adduceret eos qui tùm ex Iudæis, tùm ex Gentibus salutẽ consequi vellent. Nunc verò ita de Christo differit, vt generaliter toti terrarum orbi, & omnibus sine exceptione vlla populis redẽptorem apparuisse comprobet, vnde fluxerunt illæ vniuersales sententiæ, *Iustitia Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt: non enim est distinctio: Omnes enim peccauerunt, ac deficiuntur gloria Dei: iustificantur autem gratis, id est eius gratia, per redemptionem factam in Iesu Christo. Quem proposuit &c.* Quid ergo sibi volunt hæc verba, per remissionem præcedentiũ peccatorũ? nempè considerat Paulus omnes in genere homines quorũ Deus est misertus, quo tẽpore erant ipsius inimici. Et quoniã Euangelij primùm annuntiati tẽporibus excellentissima Dei & iustitia & misericordia effulsit, loquitur Apostolus πρὸς ἔνδειξιν τῆς δικαιοσύνης τοῦ θεοῦ ἐν τῷ νῦν καιρῷ. Tu verò mi homo, quid philosopharis de legis Mosaicæ cultoribus: quasi ad illos tantùm hæc complexio pertineat, *vt sit ipse iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu.* Deinde quorsum vel tui obliuiscēris, vt qui de remissione peccatorum & collatione illius iustitiæ, cuius solus autor est Deus, loquare, nec

illam ab operibus legis suspendas, quemadmodum tibi est solenne: vel Pauli sententiam corrumpis, vt qui de tuis cultoribus ne literam quidem adscribat: sed in vnius Christi sacrificio & innocentia, tùm ipse acquiescat, tùm nos vt acquiescamus præcipiat.

Perstat in errore suo Gregorius, additque satis ostendere Apostolum, eo solum modo quo ipse tradidit, obseruationi legis veteris iustificandi vim negauisse, quum illo etiam argumento ipsam non iustificasse probat, quia si per legem, inquit, iustitia, ergò gratis Christus mortuus est. Quæ certè conclusio non sequitur, si obseruatio legis per relationem ad passionem Christi futuram valebat ad iustitiam: sed si per se sine huiusmodi respectu iustificabat. Imò totus in eo est Paulus, vt contra Iudæos qui meritum Christi, & iustitiam legalẽ confundebant, euincat, si ex lege iustitiam vel integram vel ex parte quærimus frustra Christum esse mortuum. Ratio est quia non participamus beneficium Christi nostro arbitrio, sed ea conditione quam Deus præstituit: quæ huiusmodi est, vt si ad salutem nobis obedientiam Christi volumus imputari, nostræ ipsorũ iustitiæ renunciemus, quæ suapte natura corã Deo mera est diuinæ legis transgressio. Quid enim? an Galatæ Christum repudiabant? nónne potius more Pontificiorum iustitiam legalem atque Euangelicam inter se conciliare conabantur? nonne si sophistæ fuissent relationis Gregorianæ venisset illis in mentem?

Neque

Neque enim Paulus Galatis exprobrat quod Euangelium penitus abiecissent, quum inter eos Ecclesiæ nomen agnoscat, sed quod essent in medio Galatarum Pseudoprophetę, qui Euangelium inuertere satagerent. nihilominus ita colligit cap. 2. vers. 16. *Non iustificabitur ex operibus legis vlla caro.* Item, vers. 21. *Non abrogo gratiã Dei, nam si per legem est iustitia, sine caussa Christus mortuus est.* Item, cap. 3. vers. 10. *Quotquot ex operibus legis sunt, sub execratione sunt, scriptum est enim, execrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Item, cap. 5. vers. 2. *Ecce ego Paulus dico vobis si circuncidamini, Christum nihil vobis profuturum. Testor enim rursum omni homini qui circunciditur, eum esse debitorem totius legis seruandæ.* Ex quibus efficitur falsam esse omninò & scripturæ ipsi repugnantem sophistæ nostri exceptionem, quæ si vera esset, tam pro Galatis olim contra Paulum, quàm nunc pro Pontificiis contra Ecclesiam ex Dei verbo reformatam feciſſet. Itaque sic retorqueo in Gregorium suam ipsius rationem. Si Galatæ optimo iure sunt ab Apostolo reprehensi quòd iustitiam ex lege Mosaica, & Christi merito conflatam sibi adsciscere conarentur, & ad vnius Christi obedientiam & sacrificium apertissimis & fortissimis rationibus reuocati: certè iustitia legalis non est confundenda cum merito & passione Christi, eaque de caussa peccant in theologia grauiter Pontificij, qui dogma illud legalis & à Christo partæ iustitiæ, quanta pos-

sunt contentione maxima tueri & defendere etiam atq; etiam perseuerant. Error est falsa loci Apostolici expositio.

Maiore quoq; audacia Paulinã corrũpit sententiã, & in contrariã omninò assertionẽ detorquet. Illa autẽ est huiusmodi. sciẽtes quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, id est, interprete sophista, non sine relatione fidei ad Christum, sicut apertius significat dictio Græca ἐὰν μὴ, id est, si non per fidem Iesu Christi. Error est ὡς πρὸς τὸ σχῆμα τῆς λέξεως. Hunc locum ita conuertit Beza, scientes non iustificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Iesu Christi, & suæ interpretationis rationem adeò firmam reddidit eam, vt bonis aque eruditis omnibus probaturam iri confidam, demonstrat enim prolatis exemplis particulas græcas ἐὰν μὴ interdum per ἀλλὰ conuerti ab interpretibus debere, vt Matth. cap. 12. versi. 4. εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις, id est, sed sacerdotibus solis. 1. Cor. cap. 7. vers. 17. εἰ μὴ ἑκάστῳ ὡς ἐμέρισεν ὁ Θεός. id est, sed vnicuique vt donum partitus est Deus & supra, ὁ οὐκ ἔστιν ἄλλο. εἰ μή τινές εἰσιν οἱ ταράσσοντες ὑμᾶς, id est. Quod non est aliud: sed nõnulli vos turbant, & Apoc. cap. 9. vers. 4. & cap. 21. vers. 27. Nam eadem omninò est ratio particularum εἰ μὴ & ἐὰν μὴ, vt norunt illi qui Græcas literas vel primoribus labris attigerunt. Deinde quomodo tandem conciliabunt illa, quæ vno eodemq; in versiculo tanquam inter se pugnantia distrahit Apostolus? Quid

Quid enim hæc sibi vult sententia? Non iustificatur homo ex operibus legis nisi relatione facta ad Christum, qua de causa nos etiam in Christum Iesum credimus, vt iustificemur ex fide Iesu Christi & non ex operibus legis, propterea quòd non iustificabitur ex operibus legis vlla caro. Nónne hæc sententia inter se ita pugnat & conflictatur, nulla vt ratione stare possit? Et merito quidem, nam ex interpretatione Gregoriana & Paulino enthymenate conflata est, quæ duo tam sunt inter se contraria, vt coire nequeant.

Tandem se accingit ad Lutheranorum (ita enim Christianos appellat, vt qui eos pede suo metiatur, siquidẽ gaudent Iesuitæ à Pontifice Põtificij, & à Papa denominari Papistæ) summũ vt ipse vult stuporem coarguendum, quòd existiment nullam nunc aliã actionẽ rectã cõciliare gratiã, præter fidẽ solã. At mi homo nihil est impudentius quàm contra aliũ dicere, cuius quæ sit mens & sententia ignores. Neq; enim docemus fidẽ hominibus gratiã iustificationis conciliare quatenus est actio, propterea quòd fides, si vt actio expendatur, non est sanctitate, innocentia & in primis charitate præstantior. Nam siue naturã fidei consideres, siue fidem quatenus est in homine, illa quidem vna est virtutum spiritualium, quæ si ex operibus quærenda sit iustitia, non magis homines Deo gratos facit, quàm alia quælibet: hæc autem æquè imperfecta in hominibus existit ac innocentia & charitas. Quid ergo?

Nempè docemus fidem homines conciliare Deo, vt instrumentum quod iustitiam, & puritatem, & Christi meritum apprehendit, & ipsis ad salutem applicat, ita vt non à fidei excellentia & dignitate nostra pendeat iustificatio, sed ab vnius Christi sacrificio in cruce peracto vt electos à mortis æternæ, seuera quidem: sed iusta condemnatione liberaret. Audiamus autem qua methodo & ratione Iesuita nostrum nobis stuporem ante oculos constituat. Notanda est, inquit, ratio & series disputationis Apostolicæ. Benè profectò. Sed quoniam est ille ordo & series Apostolicæ disputationis? scopus est inquit, præcipuus vtrique populo Iudæorum & Gentium legem Christi persuadere. Hoc verò falsum est, mi Gregori, eo quo tu vis modo. Nam scribit Apostolus ad Romanos qui Euãgelium erant amplexi, & ad Galatas, qui cum Euangelio nomen dedissent, nihilominus ab eius puritate, vt pote à pseudo prophetis decepti & fascinati deflexerant. Itaque non est simpliciter Apostoli scopus, legem vt ipse loqueris nouam persuadere, quoniam satis erat tum Romanis, tùm Galatis persuasa Euangelii veritas: sed docere, quemadmodum paulò ante comprobauimus, Euangelij atque legis rationem tam longè inter se discrepare, vt si volumus ex lege coram Deo iustificari, necesse sit frustra Christum esse mortuum, ac proinde superuacaneam esse nobis Euangelij prædicationem. De qua re tota ne sæpius eadem co

cogamur repetere, non est nunc dicendi locus. Quamobrem, quum in scopo, quem sibi proposuit Apostolus, inuestigando aberrauerit sophista, mirum videri non debet, si tota eius disputatio hunc in modum vacillet, nullo vt in loco' stare possit. Nam quid attinet bellam illam distinctionem, obseruationis Mosaicæ legis per se & relatione ad Christum centies inculcatam & refutatam denuò insectari? præsertim quum sit adeò vitiosa, sibi vt ipsa ruinã minetur. Addit Gregorius. Hæc doctrina de vtriusq; legis discrimine rectè intellecta, multas illustrat scripturæ sententias. Ex ea enim intelligitur primum, præclarè inter D. Paulum & D. Iacobum conuenire, quamuis ille neminem ex operibus legis iustificari, hic autem ex operibus legis iustificari hominem, non ex fide tantùm scripserit, vtrumque enim diuersa ratione est verum, nempè ex distinctione per se, & relatione ad Christum. Quomodo Paulus & Iacobus inter se sint conciliandi, noster Beza eruditè in suis annotationibus in nouũ Testamentum explicauit: cuius verba visum est adscribere, tùm vt Gregorio satisfaciam, tum vt lectori locum Iacobi obscurum & difficilem opera summi illius Theologi vsus exponam: nihil enim magis è re Christianorum fuerit, quàm istius conciliationis Pauli atque Iacobi planam & perspicuam tenere rationem. Sic ergo Beza noster. Quia non alium locum fortius vrgent Sophistæ, vt gratiam Dei euertant, adeò quidem vt à nonnullis ob

eam cauſſam hæc epiſtola prorſus repudietur, tanquam ſanæ doctrinæ repugnet, conabor & ego paucis hunc locum illuſtrare, vt eum neq; pro ſophiſtis facere, neque quicquam à ſana ac vera gratuitæ iuſtificationis doctrina alienum continere, liquidò appareat. Spectandus eſt igitur in primis Apoſtoli ſcopus. Diſſeruerat aduerſus eos, qui videri volunt ſanctè viuere, quum tamen ſint προσωποληπται, & falſam ſanctimoniæ laruam eis detraxit. Nunc aliud hominum genus aggreditur, eorum nimirum qui notitiam doctrinæ Euangelicæ induentes fidei nomine, ita in ea re acquieſcũt, ac ſi propterea eſſent omnium hominum iuſtiſſimi: quum interim tota ipſorum vita ſceleribus ſcateat, nedum vt charitatem exerceant. Hunc, inquam, eſſe Apoſtoli ſcopum ita manifeſtũ eſt, vt ne ſophiſtas quidem ipſos hoc inficiaturos exiſtimem. Nunc conſideremus quomodo aduerſus iſtiuſmodi homines fuerit diſputandum. Paulus ad Romanos præſertim & ad Galatas ſcribens, in eo totus eſt vt nos doceat, fide abſq; operibus, ſiue in Chriſto gratis iuſtificari. Quamobrem? Quia nimirum cum iis contẽdebat qui merita ſua vel pro gratia ſubſtituebant, vel cũ gratia coniungebant. Oportuit ergo in primis diſputare de iuſtificationis ratione, quum ipſi falſas cauſſas pro vera ſubſtituerent. Aduerſus iſtos autem ſicut contraria prorſus eſt controuerſia, ita etiã contrario prorſus ordine diſputandum fuiſſe res ipſa oſtendit. Nam illi operũ iuſtificationem ſtabilie-

liebant, iſti non operum modò iuſtificationẽ, ſed ipſa etiam opera tollebant. Sicut ergo aduerſus illos ita defenditur gratuita iuſtificatio ex fide, vt opera ipſa bona non tollantur, ſed iuſtificandi vis illis detrahatur: ita hoc in loco quis non videt contraria prorſus ratione opera ita ſtabilienda fuiſſe, non vt iuſtificandi vis illis tribueretur, ſed vt vera iuſtificatio ex illis tanquam effectis colligeretur? Dicam planiùs. Illic de cauſſa quæſtio eſt: hic verò de effectis. Illic à cauſſis ad effecta deſcenditur: hic ab effectis adſcenditur ad cauſſam: Illic quæritur quomodo iuſtificemur: hic quomodo iuſtificati fuiſſe intelligamur. Illic excluduntur opera tanquam iuſtificationis cauſſa: hic ſtabiliuntur tanquam iuſtificationis effecta. Illic negantur opera præcedere iuſtificandos: hic dicuntur iuſtificatos conſequi. Quorſum enim aduerſum iſtos probares nos non iuſtificari operibus, qui opera ne vt teſtimonia quidem iuſtitiæ requirebant, nedum vt plus illis quàm par eſſet tribuerent? Quæ quum ita ſeſe habeant, quis non videt quã miſerè hallucinẽtur ſophiſtæ, quũ perinde Iacobũ conantur cũ Paulo cõciliare, ac ſi vterq; de cauſſis iuſtificationis quæreret? Hinc peruerſa illa diſtinctio operũ moraliũ & cæremonialiũ: quaſi hæc dũtaxat excludẽtur apud Paulũ, quã tamẽ explicationẽ Auguſtinus libro de ſpiritu & litera diſertè refutauit. Hinc ergo ad aliã diſtinctionẽ peruentũ eſt, operũ præcedẽtiũ fidẽ & conſequẽtiã, quaſi illa tantũ excludat Paulus, & quidẽ

non simpliciter sed certo duntaxat respectu, quum & ipsa sint (vt aiunt) præparatoria merita ex congruo. Hinc deformis illa distinctio fidei formatæ & informis, in quo etiam produnt quam acuti sint dialectici, qui qualitatẽ faciant alterius qualitatis formã. Hinc illa nõ modo falsa, sed etiam ridicula explicatio verbi Iustificari, quasi fide iustificari sine operibus, idem declaret atq; fide absq; operũ præcedentium meritis, aptũ fieri ad merendum vitam æternam, ex gratiæ & liberi arbitrij concursu. Neque verò id mirum est accidisse quum disputationis scopum non tenerent. Hactenus igitur de scopo: nunc de tractatione dicamus, in qua & ipsi non minus infæliciter sunt versati. Ac primùm quidem ipsorum errores indicabimus, deinde germanam explicationem aperiemus. Possunt autem hi errores ad tria præcipua capita reuocari. Nam neque quid sit fides hoc in loco, neque quid sit iustificari, neque etiam quomodo æstimandum sit operum nomen intelligunt: quia quid istud sit de quo quæritur ignorant. Fidem igitur vtrinq; id est, tùm apud Paulum, tum apud Iacobum, putant eandem designari, nempè qua credimus Deum esse, addo etiam Christum esse Dei filium, & vera esse quæ in vtroque fœdere sint perscripta. Atqui si hoc illud est quod Paulus fidem vocat, quid impedit quominus diabolus possit fidelis dici. Neque enim potest fidelis nomen illi detrahi, qui fidem habeat, præsertim qum isti affirment fidem sine

ne charitate esse posse. Quid verò? quo iure infideles dicentur quicunque hanc fidem habuerint, etiamsi omnibus scelcribus sint cooperti? Præterea veram fidem esse spiritus sancti donum aduentitium an audebunt inficiari? Tribuatur ergo spiritus sancti gratia ipsis etiam diabolis: aut quum ista falsissima sint ac blasphema, multo aliam esse fidem fateantur, à qua soli filij Dei fideles nominantur (quam suprà cap. 1. versi. 6. requiri dixit idẽ noster Iacobus in iis qui ritè precantur, & cui vni Paulus iustificationem ac sanctificationẽ, vt instrumentali caussæ, tribuit) ab ea quæ mox ipsis diabolis conceditur. Venio ad alterum errorem. Iustificari putant idem declarare atque in hærente qualitate aliqua iustum fieri, ideóque iustificationem volunt ab operibus manare. Atqui nos paulò antè manifestis argumentis probauimus, non quæri hoc in loco quomodo iustificemur (hoc enim non Iacobus tractat, sed Paulus) sed quis verè se possit iustificatum dicere: isne qui nudam illam fidem iactat, an verò qui ex operibus fidem suam potest demonstrare? Deinde vt de imputata iustitia dicamus hoc loco, quis vnquam existimasset ita posse ineptire homines, vt dicerent bonos fructus efficere vt bona sit arbor, ac nõ potius bonam prius arborem esse oportere quàm bonos fructus edat? Hoc enim certè non minus absurdum est ac ineptum quàm si quis caussam ab effectis gigni existimaret. Supereſt tertius error in operum vocabulo ex-

plicãdo, qui quidem eo ex primo procreatus. Nam quiã fidem illam, de qua Paulus differit, putarũt hoc in loco comparari cum operibus, huc etiam ſunt impulſi vt opera per ſe conſiderari exiſtimarent. Atqui ſi ita eſſet, id eſt ſi fides illa qua iuſtificamur, poſſet à charitate ſeparari, nemo non videt quàm infirmum eſſet argumentum à fide ad charitatem probandam, vel à regnante peccato ad tollendam fidem ſumptum: quum tamen hoc vtroque nihil frequentius paſſim occurrat. Stat enim illud firmum, mendacem eſſe eum qui dicat ſe Deũ noſſe, nec ſeruat ipſius præcepta. 1. Iohan. cap. 4. Deinde refutato primo errore, concidat etiam iſte neceſſe eſt. Quòd ſi neq; quid ſit in hoc argumento fides, neq; quid ſit iuſtificari, neq; quomodo cõſiderentur opera, iſti norũt, quomodo quæſo de re tota iudicabũt, qui nullã ipſius partẽ tenent? Agè igitur, tandẽ ad germanã huius loci explicationẽ veniamus: quam quidẽ nos perſpicuitatis cauſſa παραφραστικῶς explicabimus. Nitebãtur iſti falſa illa fidei ſpecie id eſt notitia Dei: hanc illis oportuit oſtendi verã fidẽ non eſſe, ſed mortuũ ſimulacrũ. Sed illã tamen Iacobus per conceſſionẽ (ne de verbis litigare videatur) fidẽ vocat. ver. 13, eſto, inquit, fidẽ illã habeatis quam vos habere dicitis: quid aliud eſt quã res inutilis? ver. 14. 15. 16, hoc illuſtrat adhibita cõparatione, ſi quis famelico dixerit, Satur eſto: nec interim quicquã illi ſuppeditarit, quis verã hanc eſſe liberalitatẽ dixerit? ver. 17, ita ſi Dei notitiã vos habere gloriemini

mini (quã fidẽ vocatis) nec interim eã ad vſum accõmodetis, non erit hæc fides propriè, ſed fidei ſimulachrũ, vt ſi corpus inanime hominẽ dicas, verſ. 18, quid ergò? nẽpè fides ea demum eſt quã ex operibus poſſis oſtendere. verſ. 19. Deinde ad argumenta accedit, ſi illud ꝙ fidem vocas, fides eſſet, quid impediret diabolũ quominus & ipſe fidelis eſſet? nã credit diabolus ꝙ tu credis, illud habet ꝙ tu fidẽ vocas: nec tamẽ confidit, ſed contremiſcit. Ergò fides quã iactas, vera fides non eſt, nec qua ſecurè niti poſſis. verſ. 20, vis autẽ hoc amplius cognoſcere? verſ. 21. confer illã fidẽ quã iactas quum Abrahami exẽplari. Neq; enim dubiũ eſt quin hic verã fidem habuerit. Quid igitur ille? nónne Iſaacum obtulit? verſ. 22. Itaq; non habuit fidẽ quam opera non conſequerentur: ſed illum verè per fidẽ iuſtificatum fuiſſe res ipſa oſtendit, quum opus ederet iuſtitiæ. Ex eo igitur ꝙ factis oſtendit fidem, liquidò apparuit non mortuam, ſed viuam & ſuis numeris abſolutam fidem ipſius fuiſſe. verſ. 23. Tumque plenè patefactum eſt quàm meritò ſcriptum eſſet de eo quod Deo credidiſſet, idq; ei imputatum eſſet ad iuſtitiam, ver. 24. Inde efficitur verè iuſtificatũ eſſe non eum qui fidẽ illam habeat quã iactatis, ſed eam quæ ex effectis oſtẽdi poſſit. verſ. 25. Aliud exemplum quæritis? nam iſtud fortaſſe vos deterret. Sumamus meretricem illam Rahab, cui vos pudebit impares fieri. Illa nónne reipſa oſtendit ſe longè fidem aliam habere, quàm mortuam illam cum diabolis ipſis communem? Nam Dei

gloriã & proximi charitatem vitæ ſuæ antepoſuit, ſeruatis & emiſſis Dei ſpeculatoribus ver.26,cõcludamus igitur fidẽ illã noſtrã quaſi cadaueris inſtar eſſe: itaq; non eſſe quòd vos illius titulo ſuperbiatis, quaſi per eam iuſtificati. Viua enim eſt non mortua fides illa, quæ in iuſtificatorum factis elucet. Hæc eſt amice lector, huius loci minimè coacta,vt vides,ſed ſincera, & cum reliquis Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis conſentiens explicatio. Hæc ille: quæ non piguit adſcribere quòd ad conciliandum cum Paulo Iacobum, & retundendam Ieſuitæ noſtri ſophiſticam impudentiam mirificè facerent. Quæ ſuperſunt in Gregorij Theſibus,non ita opus refutatione habent,vt lectorem diutius moremur.

THESIS XLIII.

» Explicata iam differentia vera veteris & no
» uæ legis,reli quum eſt vt falſam abſurdiſſimã-
» que differentiam,qua inter vtramque religio-
» nem aſſignant aduerſarij,examinemus. Aiunt
» enim hoc eſſe in primis diſcrimen, quod lex
» vetus habebat promiſſiones gratiæ & vitæ æ-
» ternæ conditionales, ſi videlicet quis perfectè
» obſeruaret diuina præcepta, iuxta illud in-
» quiunt, maledictus qui non permanſerit in
» omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis vt fa-
» ciat ea. Et qui fecerit,homo viuet in eis. Lex
» autem noua vel Euangelium,vt illi loqui ma-
» lunt,habet,inquiunt,promiſſionem gratiæ &
vitæ

vitæ æternæ abſolutam, quæ ab obſeruatione “
præceptorum,tanquam à conditione non pẽ- “
deat,ſed fide ſola apprehendatur, iuxta illud: “
vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed “
habeat vitam æternam. Et iuſtificati gratis “
per gratiam ipſius,per redemptionem,quæ eſt “
in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus pro- “
pitiationem per fidem in ſanguine ipſius. “

THESIS XLIIII.

Quod eam etiam ob cauſſam ſit docent, vt “
ſententiam alteram æquè vanam perſuadere “
poſſint,videlicet,vnumquemque non tantum “
generatim,ſicut ſcriptura & ſymbolum Apo- “
ſtolicum loquuntur,credere debere remiſſio- “
nem peccatorum, & gratiam iis dari, quibus “
ratione diuinitus conſtituta Dominicæ paſſiò “
nis virtus prodeſt:ſed in particulari etiam, & “
quidem pari certitudine,ſe iam in gratiam re- “
ceptum eſſe. Vident enim neminem hoc ſibi “
tam certò,quàm ipſi volunt,perſuadere poſſe, “
ſi euangelica promiſſio pendeat ab obſerua- “
tione debita præceptorum: quum propter na- “
turæ infirmitatem nullus omninò ſit,qui cer- “
tò ſtatuere poſſit,ita ſe præcepta ſeruare, ſic- “
ut oportet. “

THESIS XLV.

Ego verò quum phantaſma iſtud attentius “
conſidero,ex aliqua trium imaginationũ,qua- “

„ rum quælibet falsa etiam & hæretica est, ne-
„ cessariò illud proficisci debere animaduerto.
„ Si enim quæram, cur sola fides faciat, vt pro-
„ missio gratiæ ac vitæ æternæ adimpleatur in
„ nobis, neque ad eam rem obseruatio præcepto
„ rum tanquam necessaria conditio requiratur,
„ necesse est respondeant causſam esse, quia vel
„ nullis omnino præceptis, præterquam præce-
„ pto fidei, tenemur: vel si tenemur, eorum tamẽ
„ obseruationem nullo modo nobis necessariã
„ ad eum finem esse, vt gratiam vel gloriam con
„ sequamur: vel si aliquo modo ad eum finem
„ est necessaria, non eo modo certè, quasi illa
„ gratiam & gloriam conciliet & apprehendat,
„ sed solius fidei hoc munus esse. Ne autem
„ queri possint, me hanc ipsorum doctrinam nõ
„ eo sensu, quo ipsi intelligunt, oppugnare, eum
„ cam ordine, illam omnibus his tribus modis,
„ quorum aliquo necesse est ab ipsis intelligi,
„ falsam, vanam, & hæreticam esse.

THESIS XLVI.

„ Igitur primò posset esse sensus, idcircò Euã
„ gelij promissionem non pendere ab obseruа-
„ tione mandatorum, quoniam Christianus ho
„ mo nullis præceptis obligetur, neque vlla ipsi
„ opera præter fidem, necessaria sint. Et ita qui-
„ dem negant plerique ex istis, eam sententiam
„ accipi debere. Quin etiam Lutherus ipse ali-
„ quibus in locis apertè disputauit, Christianos
„ aliis etiam præceptis obligari, ipsisque bona
opera

opera esse necessaria. “

THESIS XLVII.

Sed contraria tamen sententia homini a- “
liàs vario atque inconstanti, merito nihilomi- “
nus adscribi potuit. Nam vt alia loca ex illius “
operibus ab aliis notata præteream, in concio “
ne quadam per Martinum Bucerũ latinè red- “
dita in hunc modum admonuit. Hîc à scan- “
dalo caue diligentissimè quod obiiciunt tibi, “
quicunque docent te operari, & non potius “
credere: qui Christum legislatorem tibi fa- “
ciunt & iudicem, neque sinunt eum tantùm “
auxiliatorem & consolatorem aduenire. Et “
paulò pòst. Nam si voles, inquit, sincera fide “
non excidere, sed ipsum redemptorem assequi “
necessum est vt valedicas omnibus bonis ope- “
ribus, ne illis aliquid mereri præsumas, vbi nõ “
tantum meriti rationem exclusisse, ex verbis “
blasphemiæ plenis quæ continenter subiun- “
git, videri potest. Addidit enim de bonis ope- “
ribus. Nihil nisi offendicula sunt, quæ à Chri- “
sto & à Deo te alienant. Corã Deo nulla nisi “
vnius Christi propria opera momenti alicuius “
sunt, illis salutem operari tuam credas opor- “
tet, neque quicquam erga Deum facere, nisi “
vt huic euangelio habeas certam fidem, Chri- “
sti opera, quæ prò te patri offert, te reddere sal- “
uum, quæ ita pura perseuerat, dum nulla re “
nisi Christi meritis confidis: nihil verò a “
gis, quiescis tantùm, & Christi merita excipis, “

» permitísque tibi Christum benefacere, ac suã
» erga te dilectionem exercere. Et post pauca:
» omnia inquit, præter fidem opera proximo ex
» hibenda sunt, quod Deus nullum præter fidẽ,
» qua ipsi suum honorem tribuimus, à nobis re-
» quirat. Tum in alia concione interpretans vo-
» cem illam Ioannis, Parate viam Domini, re-
» ctas facite semitas eius: viam hanc inquit, tũc
» paras, non quum ieiunas, oras, corpus propriũ
» affligis, aut aliis tuis operibus studes, id quod
» stulti prædicatores (scilicet sancti Ecclesiæ
» patres) hoc tempore aduentus soliti sunt do-
» cere: sed quum te penitissimè agnoueris, nem-
» pè inutilem esse peccatorem, miserum, dam-
» natum cum omnibus operibus tuis, & quid-
» quid omninò poteris. Cor quodlibet quantò
» hanc sui cognitionem habuerit perfectiorem,
» quantò plenius agnouerit se nihil esse, tantò
» ad illud Domini via paratior & instructior est,
» etiam si interim homo nihil nisi vinum Cre-
» ticum biberet, & ingrederetur super rosas, ne-
» que verbo quidem oraret. Et alio in loco:
» clarum est inquit, homini Christiano suam
» fidem sufficere pro omnibus, neque operibus
», ei opus fore: quod si operibus non habet opus,
», nec lege opus habet: Si lege non habet opus
», certè liber est à lege.

THESIS XLVIII.

» Sed siue hoc Lutherus aut etiam alii volue-
» rint, siue non voluerint, aut certè iam turpitu-
dine

dine nefarii dogmatis non velint, certissimum «
est, illo primo sensu, phantasiam istorum cum «
scriptura sacra pugnare, ideóque iure in sancta «
Synodo Tridentina fuisse damnatam. Nam «
Christus Dominus tum illud communissimũ «
principium legis naturæ, quo legem contineri «
dicit & Prophetas, scilicet, quæcunque vultis «
vt faciant vobis homines, & vos facite illis: tũ «
vt à Clemente etiam Romano animaduersum «
est, alia quoque naturalia præcepta disertis ver «
bis confirmauit. Atque etiam speciatim Ba- «
ptismi, pœnitentię, eucharistiæ vsum præcepit: «
aliaque præcepta in sermone, quem in monte «
habuit, auctoritate planè legislatoris tradidit «
vt ex illa dicendi formula, qua est vsus: Ego «
autem dico vobis &c. colligit B. Augustinus. «
Quocirca Christianæ institutionis formulam «
Apostolis tradens, euntes inquit, docete om- «
nes gentes, baptizantes eos in nomine patris «
& filij & spiritus sancti, docentes eos seruare «
omnia quæcunque mandaui vobis. «

THESIS XLIX.

Et clarissimè D. Paulus, alter alterius onera «
portate, & sic inquit, adimplebitis legem Chri «
sti, siue generatim hoc loco omnia præcepta, «
quibus lex Christi continetur, intellexerit, siue «
vt Augustinus exponit, præceptum illud pro- «
priè de quo legimus apud Iohannem: Manda- «
tum nouum do vobis vt diligatis inuicẽ: quod «
etsi antiquum fuerit, nouum tamen eam ob «

» cauſſam appellat, inquit idem Auguſtinus,
» quoniam innouat ſpiritualiter eos, qui ipſum
» adimplent: tùm etiam quia illud Chriſtus in-
» nouauit, vt ait Clemens Romanus.

THESIS L.

» Deniq; ſi nullis Chriſtiani legibus præter-
» quam præcepto fidei obligarentur, nulla poſ-
» ſent ab illis peccata in cultu, aut in aliis vitæ
» actionibus committi. Nam vbi lex non eſt,
» neque præuaricatio legis, inquit Apoſtolus.
» Et ideò Dauid præuaricantes reputauit omnes
» peccatores terræ, quoniam ne intelligi quidē
» peccatum poteſt, quod non ſit legis alicuius
» tranſgreſſio. Chriſtianos autem non alio ge-
» nere peccatorum, præterquam peccato infide-
» litatis delinquere poſſe, quis mente præditus,
» qui vel obiter teſtamentum nouum inſpexe-
» rit, animum inducat credere?

THESIS LI.

» Quanquam Lutherus, quidem videri poſſit
» ab hac abſurditate non longè abfuiſſe, quum
» ſæpè ſcripſerit, nullum aliud eſſe præter infide-
» litatem peccatum apud Chriſtianos, ſaltem
» quod eos damnare poſſit. Id quod aliàs etiam
» oſtenditur eſſe dogma hæreticum. Nam & pec
» cati cuiuſc nq; grauioris ſtipendium mors eſt:
» & quum Apoſtolus inquit, his nihil damnatio
» nis eſſe qui non ſecundùm carnem ambulant,
» ſatis inſinuat id, quod aliàs etiam declarauit,

pecca

peccata quæcunque ſecundum carnem per ſe “
poſſe damnare. Itaque conuenienter ibi ſub- “
iungit: Si enim ſecundùm carnem vixeritis, “
moriemini. Et ſanè ſi nullum aliud peccatum “
præter infidelitatem cauſſa damnationis eſſe “
poſſet, non niſi plane iniqua futura eſſet for- “
ma illa condemnationis, qua conſtat iuſtiſſi- “
mum iudicem in extremo iudicio vſurum eſſe “
quum dicet: Ite maledicti in ignem æternum. “
Eſuriui enim &c. “

THESIS LII.

Quod autem Apoſtolus ait, fideles non eſſe “
ſub lege, minimè obſtat quominus intelliga- “
mus eos legibus obligari, quarū tranſgreſſio- “
ne etiam poſſunt damnationē incurrere: ſed “
ſenſus eſt, non eſſe pondere timoris à lege op- “
preſſos, ſi ſpiritu charitateq; ad eam obſeruan- “
dam adducantur, vt ipſe Apoſtolus indicat, & “
D. Auguſtinus interpretatur. Qui alio etiā in “
loco verſum illum Dauidicum exponens: Bea- “
tus vir qui non abiit &c. ſed in lege Domini “
voluntas eius, & in lege eius meditabitur die “
ac nocte: præclarè notat, quemadmodum iuſti “
quidem ſint in lege quatenus ea tenentur, ip- “
ſamque ſpiritu adimplent, non autem ſub le- “
ge quoniam non ex timore illi parent. Qui “
enim ait, eſt ſub lege, ſecundum legem agitur, “
qui eſt in lege, ſecundùm legem agit. “

THESIS LIII.

Sic etiam q. Apoſtolus diſtinguens legē no- “

» uam à veteri, eam appellat legem fidei, veterē
» autem legem factorum, non ita accipiendum
» est, quasi nulla facta præcipiat lex noua: extant
» enim illa Christi præcepta. Benefacite iis qui
» oderunt vos. Et hoc facite in meam comme-
» morationem, & alia quæ suprà commemora-
» uimus. Sed sensus est: legem nouam propriè
» esse conscriptam in cordibus per gratiam &
» fidem: neque tam multa facta præscribere, quā
» iniungebat lex vetus, quæ ideò per antonoma-
» siam, vt supra notauimus, appellari potest lex
» factorum.

THESIS LIIII.

» Secundò, illius commenti Lutherani, hic e-
» tiam, vt dicebamus, posset esse sensus, quamuis
» noua lex præcepta contineat necessariò seruā-
» da, eorum tamen obseruationem nullo respe-
» ctu aut ratione necessariam Christianis esse in
» eum finem, vt in illis adimpleatur gratiæ &
» gloriæ promissio, sed alias ob causas, videlicet
» vt fructus fidei edant, & gratos se ostendant
» &c. Et hoc quidem modo ab istis accipi opor
» tere quod asserunt, illud argumentum declarat
» quod antea dicebamus, ipsos ad hanc vanitatē
» impulisse. Si enim, vt frustrà cupiunt, certi ab-
» sque vlla hæsitatione esse volunt, quòd sint in
» gratiam recepti, necesse est negent obseruatio
» nem legis vllo prorsus respectu aut modo re-
» quiri ad eum finem, vt quis siue per ipsam ob-
» seruationem, siuè alia via gratiam consequa-
tur.

tur. Nam si vllo modo ponunt ad hoc esse "
præceptorum obseruationem necessariam, "
quum fateantur dubitandum esse, an ea sit ta- "
lis qualem esse oportet, cogentur iuxta ratio- "
cinationem illam suam consequenter dubita- "
re, num sint gratiam aliqua tandem via con- "
sequuti.

THESIS LV.

Sic autem acceptа istorum phantasia simi- "
liter est falsa, & hæretica & pugnans etiam cū "
iis, quæ alioquin ipsi dogmatizant. Quæ om- "
nia ordine ostendam. Nam in primis si, vt pas "
sim significant, de obseruatione legis tàm per- "
fecta, quàm post Adæ peccatum nequit esse, "
loquantur: quæ videlicet procedat ex integra "
iustitia, qualem ab initio accepit Adam, non "
potest procedere assignatum ab ipsis inter v- "
tramque legem discrimen. Vt enim Euange- "
lica promissio non pendet ab eiusmodi obser- "
uatione, ita neque promissio legis veteris "
pendebat. "

THESIS LVI.

Est enim vt aliàs fortasse vberius demon- "
strabimus, vanissimum somnium, putare ali- "
quam Dei legem vnquam homines obligasse, "
vt ex illa iustitię integritate operarētur. Quod "
enim lex Dei requirit, id ad consequēdum per "
Christi merita finem supernaturalem homi- "

„ nibus est in hac vita ordinariè necessariũ. Hinc
„ enim Christus adolescenti ait, Si vis ad vitam
„ ingredi (vtique non sine meo merito etiam)
„ serua mandata. Et hoc differt lex à consilio,
„ quod præscriptum mediũ ad finem necessariò
„ exigit: consilium verò, tanquam vtile tantum
„ ad finem illud proponit. Integritatem autem
„ originalis illius iustitiæ adeò non requisiuit
„ necessariò ad supernaturalem finem, propter
„ Christi merita consequendum Deus, vt etiam
„ ex æternitate decreuerit prædestinatos omnes
„ ab Adam & Abel iusto vsque ad vltimum qui
„ nasceretur, propter Christi merita, siue eiusmodi iustitia, aut actionibus ex ea procedentibus, perducere ad beatitudinem.

THESIS LVII.

„ Nec, si eam iustitiam Deus initio Adæ cõtulit, & posteritati eius conferre, quantum in
„ ipso fuit, voluit, illico vt ex eiusmodi iustitia
„ operarentur præcepit. Nusquam hoc sectarij
„ in scriptura, quam vnicam aliàs iactant, legerunt. Sed eò illud donum pertinebat, vt sanctius fæliciusque vitam homines ducerent, aliáque præcepta rectiùs & puriùs exequerentur: sic vt non tantum mortalia peccata, sicut
„ modo per gratiam possumus, sed simul etiam
„ omnia venialia vitare valerent.

THESIS LVIII.

„ Quum autem Deum ex toto corde diligere iube-

iubemur, non ex integra iustitia, qualem in “
Adamo diuisimus, sed eo modo id facere iu- “
bemur, quo ex ipsa scriptura constat in hac na “
turæ infirmitate & fieri posse, & à multis fa- “
ctum esse per Christi gratiam. Ita videlicet “
vt quod Propheta exprobrat, non sit cor no- “
strum diuisum, sic vt in eo regnet aliquid a- “
liud præter Deum, sed affectum nostrum to- “
tum accommodemus illi soli, tanquam vlti- “
mo fini, quàm cæteris rebus omnibus ante- “
ponamus, cuius causa simus parati omnia vel “
facere vel pati, quæcunque necessaria sint, vt “
eum supremo loco habere, ipsique adhære- “
re possimus. “

THESIS LIX.

Quis enim credat obsequium, quod ne per “
gratiam quidem præstari queat, ab homine “
requiri illis verbis, Et nunc Israel, Quid Do- “
minus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Do- “
minum Deum tuum, & ambules in viis eius, “
& diligas eum? Quasi dicat, res est planè quam “
adhuc præstare potes. Tum post promulgatã “
legem iis, qui iustitia integra destituti, eam “
in hac vita recuperaturi nunquam erant, ni- “
hilominus dicitur: Hodie Dominus Deus “
præcipit tibi (hodie etiam, tanquam ad- “
huc res fieri possit) vt facias mandata hæc “
atque iudicia, vt custodias atque impleas “
ex toto corde, & ex tota anima tua. Et, “
quum quæsieris Dominũ Deum tuũ inuenies “

» eum, si tamen ex toto corde quæsieris. Et, si in » toto corde vestro reuertimini ad Dominum, » auferte Deos alienos de medio vestri. Quasi » iis verbis exponeret Samuel, eum ex toto cor- » de conuerti ad Deum, qui nihil illi anteponit, » id est ad nullam rem sic afficitur, vt eius caus- » sa desciscat à Deo. Atqui etiam alibi Domi- » nus inquit, propitiabitur cunctis, qui in toto » corde quærunt eum. Neque minus proculdu- » bio verè quàm confidenter Dauid. In toto, in- » quit, corde meo exquisiui te. Quod similiter » dicere potuerunt sancti omnes quibus propi- » tius fuit Deus.

THESIS LX.

» Itaque ex his locis perspicuè apparet, præ- » ceptum diligendi ex toto corde Deum, sic in » hac vita impleri posse, vt peccatum certè con- » tra illud vitetur. Nam quod Augustinus ali- » quoties perfectè impleri negat, eò pertinet vt » intelligamus, non posse nos eò perfectionis » diligendo Deum peruenire, quò tanquam ad » finem refertur hoc præceptum: vt perpetuò » scilicet Deum diligamus, ad ipsúmque sine » vlla exceptione omnia nostra dirigamus, quod » est ita ex toto corde Deum diligere, vt beati » soli diligunt. Atqui hoc tantùm Augustinum » voluisse, in eo potissimum loco ipse declarat, » vbi ait, ideò præceptum hoc traditum fuisse » illis verbis (ex toto corde) vt, quoniam ad per- » fectionem charitatis beatorum accommodari etiam

etiam ea verba possunt, admoneremur quo « spem præmittere, & quid fide exposcere, & ad « quid nos extendere deberemus. Nunquam au « tem illi venit in mentem ea perfectione cha- « ritatis, quam in hac vita consequi non possu- « mus, debere nos iam Deum ex eius præcepti « vi diligere, sed illa qua vt expositum est, nunc « etiam possumus, de qua Ioannes ait, Qui ser- « uat verbum eius, verè in hoc charitas Dei per- « fecta est.

THESIS LXI.

Sunt etiã alię rationes, quæ perspicuè pro- « bant ipsos desipere, si quũ aiunt promissiones « legis veteris pendere ex obseruatione per- « fecta præceptorũ, promissiones autẽ Euãgelij « non pendere de obseruatione illa, quæ ex iu- « stitia integra proficiscatur, loquuntur: Aut e- « nim homines quibus factæ sunt promissiones « quæ ab eiusmodi obseruatione penderent, po- « tuerunt alia via salutem consequi, non adhi- « bita illa conditione, aut non potuerunt. Si po- « tuerunt, non igitur Deus promisit illis salutẽ « dependenter ab obseruatione eiusmodi tan- « quam à conditione necessaria, sine qua videli- « cet nollet salutem conferre. Si non potuerũt, « nullus igitur ex illis salutem vnquam conse- « quutus est, quia nullus conditionem ad id ne- « cessariam adhibuit. Qui esset error intolera- « bilis, euidenter cum scriptura ipsa pugnans. «

THESIS LXII.

Prætereà certũ est, hominibus nullã à Deo «

„ factam esse in lege promissionem salutis,
„ nisi dependenter à Christo: quotquot enim
„ promissiones Dei sunt, inquit Apostolus, in
„ illo est, id est in Christo: & non est inquit Pe-
„ trus, in alio aliquo salus: neque enim est aliud
„ nomen sub cœlo datum hominibus, in quo
„ oporteat nos saluos fieri. At ipsi etiam sectarij
„ fatentur, promissiones propter Christum fa-
„ ctas, sine obseruatione illa ex integra iustitia,
„ Christi merito adimpleri posse. Ficta est i-
„ gitur & somniata ab istis promissio talis, quæ
„ ex perfectissima illa obseruatione præcepto-
„ rum, tanquam ex conditione necessaria pen-
„ deat.

THESIS LXIII.

„ Neque video sanè quid hic isti dicere pos-
„ sint, nisi fortè quòd hactenus ignoranter fe-
„ cerunt, candidè nunc fateantur, videlicet se
„ putauisse Deum aliquando nihil cogitantem
„ de Christo, promissionem vnam fecisse, qua
„ obseruationem ex iustitia integra tanquam
„ conditionem necessariam ad salutem requi-
„ reret: postea verò in Christi merita intuentē
„ feciſse aliam, qua promittens se siue eiusmodi
„ conditione, quam antea vel omninò necessa-
„ riam requisierat, salutem propter Christi me-
„ rita donaturum. Vel certè existimauisse se,
„ Deum, quum Christum & alia omnia, quæ
„ ad hominum salutem pertinent, in conspe-
„ ctu haberet, promissionem vnam tamen fe-
cisse,

cisse, qua independenter à Christo vellet sa- "
lutem conferre hominibus, si ex iustitia inte- "
gra legem obseruarent: alteram autem qua "
iisdem promitteret donaturum se etiam siue "
eiusmodi conditione salutem propter Chri- "
stum, si in ipsum crederent. "

THESIS LXIIII.

Si primum imaginati sunt Deum, cogita- "
uerunt miserum sicut hominem, qui consilia "
propter incircunspectionem mutat: si secun- "
dum de Christi gloria detraxerunt, & in A- "
postolicam doctrinam impegerunt, qui diser- "
tè negat, salutem vnquam hominibus fuisse in "
lege promissam, nisi dependenter à Christo: "
& propterea inane faciunt Dei cōsilium quod "
promissionem fecerit, quam præsciebat in nul "
lo vnquam hominum fore adimplendam, qui "
videlicet per obseruationem legis ex integra "
iustitia, independenter à Christi meritis salu- "
tem adipiscerentur. Et super hæc omnia isti "
boni viri à nobis cogentur eiusmodi aliquam "
promissionem spiritualem salutis, quæ non "
dependeat à Christo in scripturis, vel (ne vi- "
deamur tā rigidè cū ipsis agere, quàm ipsi no- "
biscū agere volunt) in sacris consiliis, aut san "
ctorū patrū scriptis, aut in Ecclesiasticis tra- "
ditionibus ostendere: vt si hoc non fecerint, "
sicut facere in æternum non possunt, confi- "
teantur, quod de obseruatione legis ex integra "
iustitia disputare solent, tum in hac quæstione "
de discrimine legis & Euangelij, tùm aliàs esse "
prorsus vana. "

THESIS LXV.

» Iam verò si etiam loquantur de obseruatio-
» ne legis per gratiam nunc possibili, ne tunc
» quidem doctrina eorum secundo illo sensu,
» quem iam persequimur, procedit: certissimum
» enim est, huiusmodi obseruationem non mi-
» nus ad eum finem necessariam esse, vt promis-
» sio Euangelij nunc impleatur, quàm olim ne-
» cessaria fuit, vt impleretur promissio legis ve-
» teris: ita scilicet vt gratia ne iam quidem ac-
» quiri possit absque obseruatione possibili pre
» ceptorum, saltem secũdum propositum, quod
» fide, charitate, pœnitentia contineatur: neque
» etiam conseruari aut augeri, & multò minus
» obtineri gloria, sine executione præceptorum
» cuiusque generis, quando eorum obligatio vr
» get, & facultas suppetit adimplendi

THESIS LXVI.

» Hoc apparet euidenter, primùm ex illis pro
» positionibus cõditionalibus, quas in scriptura
» noui testamenti legimus: Nisi abundauerit iu-
» stitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæo-
» rum, non intrabitis in regnum cœlorum. Et, si
» præcepta mea seruaueritis, manebitis in dile-
» ctione mea. Et vos amici mei eritis, si feceri-
» tis quæ præcipio vobis. Et si pœnitentiam nõ
» habueritis omnes similiter peribitis. Etsi e-
» nim secundum carnem vixeritis, moriemini: si
» autem spiritu facta carnis mortificaueritis, vi-
» uetis. Et si sustinebimus & conregnabimus.

Et

Et si tamen compatimur, vt & conglorificemur. Et si quis ergo emundauerit se ab his, fiet vas in honorem.

THESIS LXVII.

Idem ex aliis propositionibus necessariò colligitur, quæ licet conditionalem particulã non habeant, reipsa tamen eandem conditionem manifestè indicant. Vt, non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnũ cœlorum. Et omnis qui audit verba mea & facit ea, assimilabitur viro sapienti &c. Et, ite maledicti in ignem æternum. Esuriui enim &c. Et, nihil ergo damnationis iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant. Et, qui reddet vnicuique iuxta opera sua: iis quidem qui secundùm patientiam boni operis gloriam & incorruptionem quærũt, vitam æternam. Et factus est omnibus obtemperantibus sibi caussa salutis æternæ. Et vt nõ segnes efficiamini, verùm imitatores eorum qui fide & patientia hæreditabunt promissiones. Et patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Et satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.

THESIS LXVIII.

Quis tam cæcus est vt non perspicuè iam

» videat,non tantùm fidem, ſed etiam obſerua-
» tionem præceptorum, in eum finem prodeſſe,
» vt gratiæ & gloriæ ſimus compotes, adeóque
» gratiæ & gloriæ promiſſiones ab eiuſmodi e-
» tiam obſeruatione dependere? mihi quidem
» non minus clarè ſententiis iſtis Lutherana ſen
» tentia confutari videtur,quàm eorum ſcriptis,
» qui contra Lutheranos hoc tempore diſputa-
» tionem inſtituunt. Sed probemus hoc ipſum
» ex his etiam quæ iſti cõcedunt. Ac primò qui-
» dem accipio illud quod aiunt ſe admittere,
» præcepta Chriſtianis eſſe neceſſariò ſeruan-
» da. Hîc ſi quæram quorſum præceptorum
» obſeruatio neceſſaria ſit: reſpondebunt mihi
» non vt per ipſam promiſſio ſalutis adimplea-
» tur,hoc enim fieri per ſolam fidem, ſed pro-
» pter alios fines,ſcilicet vt fidei fructus oſten-
» damus &c. Quæro deinde vtrum cenſeant, in
» eiuſmodi homine per ſolam fidem impleri
» promiſſionem poſſe,qui præcepta non obſer-
» uet? omninò neceſſe eſt vt negent. Nam in
» illis tantummodo promiſſio impletur, qui in
» gratiam diuinam recipiuntur: & hi tantùm in
» gratiam diuinam recipiũtur, qui amore ſuper-
» naturali diliguntur à Deo, & hi tantùm dili-
» guntur hoc amore,qui præcepta(ſaltem ſecun
» dum propoſitum quod pœnitentia & charita-
» te continetur) ſeruãt,ſicut Chriſtus perſpicuè
» docuit. Nam ita concludo: præceptorum
» obſeruatio neceſſaria eſt vt promiſſio ſalutis
» per fidem impleatur: igitur niſi quis præce-
» pta ſeruet, promiſſio ſalutis non in eo im-
ple-

plebitur: & ſi promiſſio ſalutis in aliquo non implebitur, niſi præcepta ſeruet: ergo promiſſio ſalutis non eſt nuda & abſoluta planè, ſed ab obſeruatione mandatorum, tanquam à conditione neceſſariò pendet, & conſequenter præceptorum obſeruatio, in eum etiam finem vtilis atque neceſſaria eſt, vt promiſſio eiuſmodi adimpleatur. An eſt vlla conſequentia ex iſtis, quæ non ſit euidens?

THESIS LXIX.

Accedit quòd iſti aliàs in eo etiam errore ſunt, vt exiſtiment fidem eam, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, non poſſe abſque charitate, adeóque abſque obſeruatione mandatorum, quatenus virtute in charitate includitur, conſiſtere. Ex quo etiam illico ſequitur, promiſſionem ſalutis hoc ipſo, quod ab eiuſmodi fide tanquam à conditione pendet, ab obſeruatione quoque mandatorum, aliquo tandem modo ſeu reſpectu, vt à conditione neceſſaria pendere: atque adeò non ita planè nudam & abſolutam eſſe, vt obſeruatio præceptorum ad eius etiam executionem omninò non conferat. Qui erat ſecundus modus quo dicebamus anteà accipi poſſe Lutheranam hanc fabulam, de diſcrimine legis & Euangelij, eoque modo acceptam(ſicut illos etiã accipere debere, ſi de gratia certi eſſe volunt, ſupra oſtendimus) plane falſam,

» hæreticam, & istorum etiam dogmatibus re-
» pugnantem esse, vt iam est demonstratum.

THESIS LXX.

» Restat vt illum alium modum excutiamus,
» quo diximus posse tertio intelligi Lutheranã
» differentiam legis veteris & nouæ, nimirum
» vt sit sensus promissionem Euangelicam, etsi
» aliquo tandem respectu ab obseruatione man
» datorum pendeat, at non eo modo certè, qua-
» si ex eius vi compleatur, id est quasi salutem
» ipsa conciliet vel apprehendat, sed solam fidẽ
» hoc facere: promissionem autem legis veteris
» ab obseruatione mandatorum eo modo de-
» pendisse. Et si non aliud velint, primùm non
» erit igitur Euangelica promissio à conditione
» obseruationis mandatorum planè absoluta.
» Deinde vt promissionem legis veteris ab ob-
» seruatione mandatorum tanquam à conditio-
» ne, quæ salutem ipsa consequutura esset, de-
» pendisse doceant, ad obseruationem ex iusti-
» tia integra iam impossibilem recurrendum
» ipsis erit. Non enim concedent, obseruatio-
» nem mandatorum talem, qualis in hac naturæ
» corruptione esse potest, sic ad effectum pro-
» missionis legis veteris necessariam fuisse, vt
» ipsa gratiam per se conciliaret. Nam si qui
» ex illis, ad quos ea promissio propriè perti-
» nuit, iustificati sunt, eos item sola fide in Chri
» stum, non autem obseruatione mandatorum,
» quam in hac infirmitate naturæ præstare po-
tue-

tuerunt, salutem adeptos fuisse volunt. Com- «
mentum autem promissionis diuinæ, quæ ex «
obseruatione illa post amissam iustitiam ori- «
ginalẽ impossibili tanquam ex necessaria con «
ditione vllo modo pendeat, quale sit, satis an- «
teà docuimus. «

THESIS LXXI.

«
Sed neque tertio illo sensu consequi pote- «
runt id, quod in hac disputatione præcipuè si- «
bi proponunt, videlicet vt certissimè sine vlla «
hæsitatione vnusquisque statuere possit, se gra «
tiam adeptum esse, atque adeò promissionem «
in se esse completam. Si enim vllo tandem «
respectu promissio pendet ex obseruatione «
mandatorum tali, qualis in hac infirmitate na- «
turæ potest ac debet esse, vt quisque dubitare «
potest num eo modo mandata seruet, quo va- «
let ac debet, ita etiam num adimpleatur in se «
promissio, quæ ex huiusmodi obseruatione, «
quacunque tandem de causa, pendet. Quod «
enim ad hanc dubitationem attinet, nihil in- «
terest vtrum hoc vel illo respectu, promissio
pendeat ex obseruatione mandatorum, modo
aliquo tandem respectu ex ea certè sic pen-
deat, vt nemo siue illa consequatur, siue per
solam fidem, siue alia via effectum promissio-
nis: hoc enim ipso dubitatio de obseruatione
ad effectum etiam promissionis, qui sine ob-
seruatione non contingit, sese extendet.

THESIS LXXII.

» Ac propterea suprà dicebam istos, si quic-
» quam de suis phantasiis atque hallucinationi-
» bus intelligunt, negare etiam absolutè, iuxta
» secundum illum opinionis suæ sensum priùs
» confutatum debere, vllo respectu promissio-
» nem Euangelicam ab obseruatione mandato-
» rum pendêre. Quanquam ne tunc quidem
» miseri atque ignorantissimi homines habe-
» rent exitum. Nam adhuc de propria fide, à
» qua prorsus ponunt pendêre promissionem
» dubitare possent, num talis esset, qualem scri-
» ptura sacra requirit, vt gratiam apprehendat:
» videlicet an supernaturalis & legitima persua-
» sio sit quæ diuina inspiratione atque ope ni-
» tatur, an verò tantùm opinio, vel temerè, vel
» certè sine diuino instinctu suscepta.

THESIS LXXIII.

» Et si enim qui credit, sicut Augustinus no-
» tat, certò sciat se credere, conditio tamen pro-
» priæ fidei non minus ignota est vnicuique,
» quàm conditio propriæ pœnitentiæ vel cha-
» ritatis. Tametsi quales hos motus in genere
» esse oporteat, scriptura doceat: Sed vt nihilo-
» minus potest quis in particulari decipi, falsò
» putans se talem pœnitentiam aut charitatem
» habere, qualem scriptura requirit, ita etiam
» nonnunquam accidit, vt quis falso putet se ha
» bere legitimam fidem. Quòd, vt ea modò præ-
» tercam, quæ contra vanam istorum fiduciam
aliàs

aliàs disputari solent, satis ipsis esse deberet, vt «
ne putarent se de propria gratia esse posse «
prorsus certos: maximè quum fidem arbitrẽ- «
tur non posse legitimam esse sine pœnitentia «
& charitate legitima, ipsique etiam nobiscum «
fateantur, vnicuique esse incertum, num pœ- «
nitentiæ & charitatis motum legitimum ha- «
beat: ex hoc enim necessariò consequitur, de- «
bere ipsos dubitare quoque num habeant ta- «
lem fidem qualem requirunt, atque adeò num «
sint consequuti gratiam. «

THESIS LXXIIII.

Sed ostendamus deinceps opinionem istо- «
rum illo tertio sensu acceptã, non tantùm cum «
ipsorum placitis non cohærere, vt satis hacte- «
nus est declaratum, verùm etiam cum vera fi- «
de pugnare, ex qua constet effectum promis- «
sionis Euangelicæ, nempè gratiam & gloriam, «
non minus obseruatione mandatorum quàm «
fide apprehendi: hoc solùm excepto, quod, vt «
ex orthodoxa sententia in consilio Tridẽtino «
explicatum est, fides est initium, fundamen- «
tum & radix nostræ salutis: quum necesse sit, «
eam prælucere reliquis, quæ ad salutem re- «
quiruntur. «

THESIS LXXV.

Vt autem probatio rectius instituatur, con- «
siderandum est nos non vno eodemque mo- «
do aduersus istos asserere, gratiam & gloriam «

» obseruatione mandatorum conciliari siue ap-
» prehendi. Nam gratiam obtineri dicimus ob-
» seruatione mandatorum etiam secundum so-
» lum propositum, quod fide charitate, aut pœ-
» nitentia legitima contineatur : siquidem pos-
» sunt hi motus, vel quando nullum omnino
» præceptum vrget, vel etiam quando aliquod
» vrget, ante illius executionem in momento ha
» beri, adeóque gratiam conciliare. Neque verò
» id ita, quasi in motu charitatis, fidei, aut pœni-
» tentiæ insit verum meritum gratiæ: hoc enim
» nos non minus contra Pelagianos negamus
» constanter, quàm solent sectarii nobis menda-
» citer obiicere: sed quia eiusmodi motibus ad-
» iuuante Deo, sufficienter homo disponitur ad
» suscipiendam gratiam. Quod vt statim vide-
» bimus, non est sicut ex ignorantia sectarii pu-
» tant, motus eos, dignitate sua gratiam prome
» reri. Vt quis autem obseruatione mandatorũ
» gloriam obtineat, eorum etiam executionem,
» quando obligatio vrget, & implendi facultas
» adest, cum scriptura sancta requirimus: contra-
» que Sectarios docemus, non solam fidem, sed
» executionem eiusmodi valere ad gloriam ap-
» prehendendam, & quidem ita, vt ipsam etiam
» vere mereatur.

THESIS LXXVI.

» Vtrumque igitur aduersus istorum doctri-
» nam, tertio illo modo, quem iam oppugna-
» mus, acceptam breuiter probandum est. Quod
ad

ad gratiam quidem attinet, hoc modo: gratiam «
aliquo animi motu apprehendi siue concilia- «
ri, aliud non est, quàm lege Dei odinaria ita «
motum aliquem ad iustificationem requiri & «
acceptari, vt ex his qui ratione vtuntur, illi o- «
mnes & soli gratia diuina certissimè propter «
Christi merita donentur, qui eiusmodi motũ «
vnà cum aliis requisitis habent. Hoc enim est «
motum aliquem hominibus instar manus esse «
qua gratiam capiant, sibíque merita Christi «
applicent: nimirum & eos qui eiusmodi mo- «
tu concitantur, ita certò per Christi merita gra «
tiam consequi, vt solet quis certò comprehen «
dere rem quam manu capit, & eos qui eiusmo- «
di motu carent, ita certò gratiam non conse- «
qui, vt certum est hominem orbatum mani- «
bus id non apprehendere, quod sine manibus «
capere non potest. Et si hoc non vident ad- «
uersarii subesse tantum suis vocibus, quando «
metaphoricè dicunt fidei motum manum esse «
quæ gratiam accipit, certissimum est eos pro- «
prias voces ignorare, tantumque sine intelli- «
gentia rei significatæ sonare verba, vt in om- «
nibus ferè controuersiis ob ignorantiam qua «
vehementissimè laborant, facere solent. Huiusmodi «
modi enim & similes loquendi formulæ ideo «
in fidei motum conueniunt, quoniam ex lege «
Dei ordinaria, sic ille ad iustificationem re- «
quiritur & acceptatur, vt ex iis qui ratione v- «
tuntur illi omnes, & soli propter Christum gra «
tia donentur, qui fidei motum legitimum ha- «
bent vnà cum aliis motibus, quos in mente «

» etiam eius qui iustificatur excitari debere,
» ipsi quoque sectarii fatentur: quamuis ob im-
» peritiam, vt iam videbimus negent, illis etiam
» gratiam apprehendi.

THESIS LXXVII.

» Nunc autem ad rationem concludendam
» procedo: ex scripturis sanctis certissimum est,
» ordinaria Dei lege, eo modo quo paulò an-
» te posuimus, non tantum fidei motum, sed
» motum etiam pœnitentiæ ac charitatis ad
» iustificationem requiri & acceptari, in his,
» qui ratione vtuntur: Nam vt illud legimus:
» Gratia saluati estis per fidem: & sine fide
» impossibile est placere Deo: ita etiam legi-
» mus: Si quis diligit me, diligetur à patre meo:
» &, Qui non diligit, manet in morte: tum e-
» tiam de pœnitentia: Si impius egerit pœni-
» tentiam à peccato suo, vita viuet & non
» morietur: &, Si pœnitentiam non habueritis,
» omnes similiter peribitis: vt iam alias hu-
» ius generis sententias plurimas omittam.
» Necessaria igitur consequentia, partim ex
» ipsa verborum notione, partim ex scriptu-
» ris sanctis ducta concluditur, gratiam vt
» affirmauimus, non tantum fidei motu, sed
» etiam motu charitatis & fidei apprehendi,
» ac proinde gratiæ promissionem ab obserua-
» tione quoque mandatorum secundum pro-
» positum, quod charitate & pœnitentia con-
» tineatur, sic dependere, vt per ipsam etiam
oportet illius effectum apprehendi.

THESIS LXXVIII.

Atque hinc etiam nullo negocio euinci « potest, his motibus tanquam dispositioni- « bus, vti dicebamus gratiam acquiri. Etenim « ab his qui rem intelligunt, hoc ipso mens no- « stra ad suscipiendam gratiam sufficienter di- « sponi dicitur, quòd excitata & aducta diuini- « tus, ad ipsum gratiæ autorem Deum, sese con « uertit aliquibus motibus, quibus ex lege « ordinaria necessariò indiget, quique eis suf- « ficiunt, vt gratiæ dono propter Christi me- « ritum afficiatur. Itaque menti eiusmodi « motibus in Deum conuersæ, tanquam suf- « ficienter paratæ & dispositæ gratia donari « dicitur, nequaquam quidem vt merces, qua « bonitas siue dignitas eiusmodi motuum ex « debito iustitiæ compensetur (hoc enim non « posse tantùm eiusmodi motibus disponi & « parari mentem ad gratiam, verum etiam gra- « tiam mereri, quod minimè fit) sed tan- « quam gratuitum planè munus ex diuina mise « ricordia profectum, cuius mens tunc demùm « proximè capax est, quũ ita ergaDeũ mouetur, « sicut ex lege ordinaria opus est ad hoc, vt mise « ricordiam consequatur. Quẽadmodum si quis « princeps pauperibus illis omnibus & solis ele- « emosynam se certam gratis ex miseratione « erogaturũ promitteret, qui ad ipsum venirẽt «

„ eleemosynamque peterent, disponi quidem &
„ parari pauperes ad eam eleemosynam accipié-
„ dam, conueniendo principem & petendo di-
„ ceremus: mereri autem eleemosynam eo ipso
„ non diceremus.

THESIS LXXIX.

„ Quoniam igitur in his qui ratione vtuntur,
„ motus fidei, charitatis, & pœnitentię necessa-
„ rii sunt & sufficiunt, vt quis gratiæ munere ex
„ miseratione diuina, adeóque gratis afficiatur,
„ perspicuum est eos motus, quamuis gratiam
„ non mereantur, mentem tamen ad suscipien-
„ dam gratiam disponere, eatenusque gratiam
„ conciliare seu apprehendere. Quod quidem
„ idcirco ab istis hominibus hactenus negatum
„ est, quoniam omnis veræ Theologiæ, imò
„ mediocris etiam intelligentiæ expertes, quid
„ nomine dispositionis intelligeremus, & quo-
„ modo eius ratio à ratione meriti differret, nun
„ quam assequi potuerunt. Sed spero his paucis
„ rem fore planiorem iis saltem qui plusquàm
„ isti intelligunt.
„

THESIS LXXX.

„ Superest vt similiter ostendamus gloriæ
„ promissionem sic ab obseruatione mãdatorũ,
„ etiam secundum executionem pendere, vt ad
„ eius consequutionem non sola fides, sed huiuf
„ modi quoque mandatorum obseruatio per se
„ conducat, eamque proinde apprehẽdat. Quod
sanè

sanè ita generatim pronuntiatum euidenter “
ex eo consequitur, quod ex iis qui ratione v “
tuntur illi soli & omnes propter Christi meri- “
tum adipiscuntur gloriam qui seruant manda “
ta: quemadmodum & ex aliis locis passim, & “
ex illo Christi responso constat: Si vis ad vitam “
ingredi serua mandata. Hoc enim sicut suprà “
quoque de apprehensione gratiæ ratiocinaba- “
mur, est obseruationem mandatorum instar “
manus nobis esse, qua gloriam consequi pos- “
simus. Atque etiam id ipsum multis testi- “
moniis antè citatis confirmatur, quibus diser- “
tè docemur, oportêre nos non tantum crede- “
re, sed etiam facere voluntatem Domini, vt “
regnum cœlorum & repromissionem, sicut a- “
pertè Paulus inquit, accipiamus. Denique nul “
lo prorsus modo assecutio vitæ æternæ in scri- “
pturis sanctis fidei tribuitur, quo non etiam “
obseruationi mandatorum tribuatur, dum nõ “
minus ipsa, quàm fides exigitur. “

THESIS LXXXI.

Imò si quæ differentia est, obseruatio po- “
tiùs mandatorum, quod ad hunc effectum at- “
tinet, fidei videtur anteponi, vt quum Christus “
Dominus non secùs quàm si Lutheranos so- “
los notare voluisset, admonuit: Attendite à fal “
sis prophetis &c. non omnis qui dicit mihi “
Domine, Domine, intrabit in regnum cœlo- “
rum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui “
in cœlis est, ipse (quoniam hoc videlicet facit) “

» intrabit in regnum cœlorum. Item, omnis qui » audit verba mea hæc, & facit ea, assimilabitur » viro sapienti, qui ædificauit domum suam su- » pra petram &c. Qui autem is, qui non facit? » omnis inquit, qui audit verba mea hæc, & non » facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit » domum suam super arenam.

THESIS LXXXII.

» Quæ igitur præstigiæ sunt istæ Luthera- » næ, ex arena nobis facere petram, & ex petra » arenam, ideſt virtutem apprehendendi vitam » æternam soli fidei, quam Christus arenæ com » parauit, tribuere: obseruationi autem man- » datorum, quam cum fide coniunctam instar » esse firmæ petræ dixit, negare? Et vnde hoc » dogma colligunt? certè charitatem quæ legẽ » implet, & fide maiorem, & viam ad beatitu- » dinis terminum, quo tendimus, excellen- » tiorem esse dixit Apostolus. Quòd si chari- » tas maior quàm fides est, & excellentior ad » beatitudinem via est, non modò non sola fi- « des beatitudinem apprehendet, sed aliquid a- » liud erit quod excellentiùs quàm fides ad bea- » titudinem nos perducet.

THESIS LXXXIII.

» Sed probemus etiam breuiter obseruatio- » nem mandatorum sic vitam æternam appre- » hendere seu conciliare, vt vnà cum fide eam etiam

etiam tanquam mercedem mereatur: vt ea « quoque ratione promissionem vitæ æternæ à « bonis operibus tanquam à conditione depen- « dere constet, complectar autem breui rem to- « tam, copiosè aliàs disputari solitam, hac ratio- « ne: si quæ operum bonitas iuxta formã cõmu « nitatiuæ vel distributiuæ iustitiæ compensari « aliquo munere ex obligatione debet, dubium « non est quin hoc ipso eiusmodi opera cen- « senda sint mereri tanquam mercedem id mu- « nus, eoque proinde digna esse, hæc enim est « vsitata notio nominis, vt exemplis quotidia- « nis, quæ vnicuique sunt in promptu doceri « potest: constat autem ex scripturis sanctis « Deum Christi meritis adductum, promis- « sione se obligauisse ad compensandum vitæ « æternæ munere bona iustorum opera, secun- « dum formam distributiuæ iustitiæ (de forma « enim commutatiuæ, multa in vtramque par- « tem probabiliter in proprio loco disputanda « essent, sine quibus potest iam à nobis, ex eo « quod certum est, orthodoxa sententia proba- « ri) ita scilicet vt quantum vnius opera boni- « tate adeoque dignitate quam ex gratia & cha- « ritate potissimum habent, alterius opera ex- « cesserint, tantò vnus quam alter perfectius & « clarius essentiam diuinam sit visurus: Non « est igitur dubitandum quin bona opera iusto- « rum vitam æternam verè mereantur. «

THESIS LXXXIIII.

Probatur verò id quod assumpsimus ex illis «

„ locis: Qui reddet vnicuique iuxta opera sua. Et
„ Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam
„ quum probatus fuerit, accipiet coronam vitę,
„ quam repromisit Dominus diligentibus se. Et
„ in reliqua reposita mihi est corona iustitiæ,
„ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus
„ iudex: non solùm autem mihi, sed & iis qui di
„ ligunt aduentum eius. Vbi pulchrè Augusti-
„ nus: Quid tibi inquit, reddet, nisi quod tibi de-
„ bet? vnde tibi debet? Quid ei dedisti? Quis
„ prior dedit illi & retribuetur ei? Debitorem
„ Dominus ipse fecit se, non accipiendo, sed
„ promittendo: non ei dicitur redde quod ac-
„ cepisti, sed redde quod promisisti.

THESIS LXXXV.

„ Atque huc etiam alia testimonia pertinent
„ ex quibus apparet vitam æternam quasi bo-
„ norum operũ mercedem retribui iustis, adeó-
„ que ex debito, non ex mera gratia: ei enim
„ qui operatur merces non imputatur secundũ
„ gratiam, sed secundum debitum, vt ait Apostо
« lus. Quamuis non retribuatur quidem vita æ-
„ terna nisi pro meritis quæ contulit gratia:
„ quo sensu interpretatur Augustinus illud
„ quod ait alibi Apostolus, Gratia Dei vita æter
„ na. Illius autem generis testimonia nota sunt:
„ vt ego ero protector tuus, & merces tua ma-
„ gna nimis. Et, iusti autem in perpetuum vi-
„ uent, & apud Dominum est merces eorum. Et,
„ Gaudete & exultate, quoniam merces vestra
copiosa

copiosa est in cœlis &c. «

THESIS LXXXVI.

Quod autem aduersarios hoc loco errare fa «
cit, est, quoniam omnia opera iustorum, hoc «
ipso quod ex integra iustitia, qualem in Ada- «
mo amisimus, non oriuntur, peccata esse, adeó «
que mercede indigna, non tantum hæreticè, «
sed admodum etiam imperitè censent: siqui- «
dem, vt anteà ostendimus, nemo ex iustitia «
eiusmodi operari iubetur. Deinde etiam nõ «
assequũtur rationem meriti in operibus bonis «
piorum rectissimè posse consistere, tametsi nõ «
præcisè propter eorum bonitatem Deus ad «
remunerationem obligetur, sed potissimùm «
vt Augustinus docet, promissione sua. Quum «
tamen ratio meriti, hoc ipso in aliquo opere «
bono insit, quòd secundùm aliquem modum «
iustitiæ, ex obligatione, vndecumque potissi- «
mum illa oriatur, cõpensari debeat, vt si prin- «
ceps promisisset se parua obsequia subditorũ «
magnis præmiis secundum iustitiæ distributi- «
uæ proportionem compensaturum, nemo du «
bitaret, quin subditus obsequium aliquod ex «
illis præstans, præmium iuxta proportionẽ si «
bi ex promissione principis debitũ mereretur. «

THESIS LXXXVII.

Dico autem obligationem diuinam potis- «
simùm oriri ex promissione, non autem ex «
promissione sola oriri: quoniam fact: promis- «

„ sione qua Deus etiam in genere obligauit se
„ ad remunerandum, iuxta æqualem proportio-
„ nem, recta iustorum opera: non tantum ex
„ promissione sua, sed ex bonitate quoque ma-
„ iori vel minori operũ, vt à gratia procedunt,
„ obligatur ad compensanda in specie hæc aut
„ illa opera, secundùm hanc vel illam propor-
„ tionem, quoniam ex maiori vel minori ope-
„ rum bonitate, fit vt non nisi ea iusta sit pro-
„ portio, qualem in genere promisit se seruatu-
„ rum. Ex qua re apparet abundè suppetere no
„ bis rationem, cur iustorum opera secundùm
„ iustitiam distributiuam, meritoria vitæ æter-
„ næ esse dicamus, siquidem ipsa etiam vt à gra-
„ tia procedunt, tamesi non ea ratione præcisè,
„ sed posita etiam promissione, Deum obligant
„ ad retribuendum vitam æternam in eo gradu
„ quo illa vniuscuiusq; iusti operibus iusta pro-
„ portione respondet.

THESIS LXXXVIII.

„ Et nihil huic doctrinæ obstat quòd pro-
„ missionem Deus nonnisi liberaliter nobis fe-
„ cit: hinc enim tantùm consequitur, ipsum li-
„ beraliter ad retributionem iuxta formam di-
„ stributiuæ iustitiæ se obligauisse. Postquam
„ hoc autem quocunque tandem id modo fecit,
„ obligatus omninò nobis & debitor à seipso,
„ vt Augustinus inquit, factus manet: & quidem
„ obligatione longè arctiori, quàm si ea qua nos
„ ipse ad aliquid faciendum astringit: Nos enim
facere

facere secùs quàm obligati sumus, tametsi id
non rectè possumus: Ille omnò secùs quàm
promisit, facere nequit: quia natura fidelis est
& negare seipsum nullo modò potest.

THESIS LXXXIX.

Sed neque ex hac doctrina rectè colliges,
in fidei, charitatis, & pœnitentiæ motibus,
quibus ad gratiam sufficienter disponimur,
inesse similiter verum meritum eiusdem gra-
tiæ: quod videlicet maiore vel minore gratia,
ex promissione diuina, iuxta proportionem
bonitatis eiusmodi motuum compensari de-
beat. Aut enim hi motus à gratia iustificante
non procedunt, aut ab ea etiam procedunt: Si
non procedunt, tunc neque gratiam, neq; etiã
vitam æternam ex iustitia merentur. Certum
enim ex diuinis literis est, nullos bonos mo-
tus aut opera, ex promissione diuina secundũ
iustitiæ proportionẽ aliquo munere cõpẽsari,
nisi ex gratia procedant, ab eaq; tanquã à radi-
ce bonitatẽ accipiãt. Si autẽ quod grauioribus
Theologis meritò placet, ab ipsa etiam gratia
iustificante procedunt illi motus, merẽtur illi
quidẽ eatenus ex promissione diuina vitã eter-
nã secundũ iustitiæ proportionẽ, minimè verò
ipsam gratiã, à qua meriti valorẽ habent. Nam
vt intelligere quidẽ possumus id ipsum esse
mercedẽ ac præmiũ cõpensans valorẽ operis,
quod principium sit atque radix, ex qua is ipse
valor, meritumq; operis existat. Quocirca sicut

» superiùs etiam docuimus, homini motibus
» fidei, pœnitentiæ, & charitatis dispositò mi-
» nimè promittit Deus gratiam tanquam mer-
» cedem qua eiusmodi motuum bonitatem cõ-
» pensat, sed tanquam donum ex sola misericor
» dia conferendum, secundùm eam proportio-
» nem qua homo ipse adiuuante Deo magis vel
» minus capacem eius se reddiderit per illos i-
» psos motus. Vt si princeps aliquis promitte-
» ret se ex misericordia sola pauperibus petenti-
» bus erogaturum eleemosynam maiorem aut
» minorem, prout ipsi magis aut minùs insti-
» terint petendo.
»

THESIS XC.

Verùm hæc aliàs fortassis in proprio loco
» latiùs. Nam quod ad institutum præsens atti-
» nebat, satis hactenùs demonstrauisse videmur,
» quod sectarij subinde tanquam fundamentum
» suorum commentorum repetunt, legem vete-
» rem ab Euangelio hoc differre, quòd illa pro-
» missionem habeat conditionalem, ab obser-
» uatione præceptorum pendentem, Euangeliũ
» autem ab ea conditione absolutam, non posse
» ab ipsis, quocunque tandem se vertant, defen-
» di, sed phantasma merum esse, quod ipsimet
» non intelligunt, sicut nec alia multa quæ super
» hoc ruinoso fundamento extruunt. Lex enim
» vetus & lex noua, siue pro præceptis, siue pro
» tota summa vtriusque religionis accipiantur,
» non aliter differunt quàm suprà docuimus. Et
si spe-

si speciatim ad vtriusque religionis promissio- «
siones, quod ad earum efficaciã attinet, discri- «
men accommodare volumus, in hoc tantùm «
est ponendum, quòd promissiones veteris le- «
gis efficaces non erant per se, vt ad illam legẽ «
pertinebant, sed per relationem ad auctorem «
alterius legis Christum: promissiones autem «
Euangelicæ non respiciunt ad aliam legem, «
sed per Christum nouæ legis auctorem adim- «
plentur, iuxta doctrinam Paulinam suprà ex- «
positam. Quod ad conditionem autem obser- «
uationis mandatorum attinet, sicut ex ea pen- «
debant promissiones veteris legis, ita etiam «
promissiones Euangelicæ, vt rectissimè à pa- «
tribus consilij Tridentini definitum, & à no- «
bis hactenùs refutatis ordine omnibus modis «
quibus contrariũ isti cogitare possunt, mani- «
festè ostensum est. «

THESIS XCI.

Neque quicquam ipsorum caussam iuuat, «
quòd Apostolus legem nouam aliquibus in «
locis legem fidei, eiusque iustitiam, iustitiam «
fidei appellat, quum legem veterem nominet «
legem factorum. Non enim ideo negare vult, «
præter præceptum fidei alia esse nouæ legis «
præcepta à quorum obseruatione tanquam à «
conditione, vt explicatum est, promissio salu- «
tis dependeat: sed tantum distinguit legem «
nouam à lege veteri, quæ quia plura facta pre- «
scribit, lex factorum antonomasticῶs, vt suprà

» notauimus, dicebatur, quum contra lex noua,
» quia maximè illustrem fidem requirit, anto-
» nomasticῶs lex fidei nominetur. Quam sanè
» vtriusque legis distinctionem ideò Apostolus
» stabilire conatus est, vt Iudæis persuadere pos
» set, præter legem Mosaycam, aliam ipsis ex-
» pectandam fuisse diuinam legem perfectiorẽ,
» quam complecti deberent: quo itidem dispu-
» tatio spectat eius loci Epistolæ ad Romanos,
» quem Caluinus & alij sectarii non intelligen-
» tes quæ legunt, neque quæ loquuntur, in pri-
» mis corrumpere sunt conati. Dominus mise-
» reatur cæcitatis illorum.

ANALYSIS.

Hactenùs veram differentiam veteris & nouæ legis explicauimus, nunc autem ad falsam ex Lutheranorum mente declarandam aggrediemur: existimant enim hanc esse vtriusq; fœderis certissimam differentiam, vt vetus habuerit promissiones gratiæ & vitæ æternæ cõditionales, si videlicet quis perfectè obseruaret diuina præcepta: legem verò nouam, siue vt loquuntur Euangelium, habere promissionem gratiæ & vitæ æternæ absolutam, & quæ ab obseruatione mandatorum, tanquam à conditione non pendeat. Hoc dogma ex aliquo trium modorum qui sigillatim enumerandi sunt exponi debet necessariò. Si enim quærã cur sola fides faciat vt Euangelicæ promissiones adimpleantur in nobis, neque ad eam rem obser-

obseruatio præceptorũ tanquã necessaria conditio requiratur, necesse est respondeant, quia vel nullis omninò præceptis tenemur, præter quam præcepto fidei: vel si tenemur, eorum tamen obseruationem nullo modo nobis necessariam ad eum finem esse, vt gratiam vel gloriam consequamur: vel si aliquo modo est ad eum finem necessaria, nõ eo modo certè, quasi illa gratiam & gloriam conciliet & apprehendat, sed solius fidei hoc munus esse. Primus modus est omnino hæreticus, quemadmodum & ipsi agnoscunt Lutherani. Nam & Christus de obseruatione mandatorum legis nouæ sæpè disserit, & apertè pronuntiat qui sua mandata non obseruauerint, eos regnum cœlorum nequaquam esse ingressuros: secundus modus eodem vitio laborat, nimirum falsitatis & se ipse non potest explicare, quoniam vt veteris legis promissiones non tantùm ab obseruatione mandatorum pendebant, sed etiam à Christo; ita etiam nouæ non tantùm à Christo pendent, verum etiam ab obseruatione mandatorum. Tertius ex superioribus manat & funditur quibus probatis abundè confirmatur. Itaque necessariò aduersùm Lutheranos colligimus, opera nostra propter Christi obedientiam & sacrificium esse salutis æternæ meritoria, quum ipse Deus se obligauerit ad compensandos æterna vita omnes illos, qui iustè & sanctè vitam instituerent.

REFVTATIO.

Nisi se ipse Iesuita Gregorius ignorantia bonarum artium, & sacrarum imprimis literarum superaret, opus non haberemus alterâ vtriusque Testamenti differentiam iterum explicare, & à calumniis Pontificiorum vindicare: vt quæ superiore disputatione sit ad exitum perducta, & suæ dignitati etiam restituta: sed quoniam in eiusmodi hominem incidimus, qui quum vera non possit intueri, falsa obstinatè non dubitet asserere, piis lectoribus nos esse consulturos arbitrati sumus, si hominis vestigia persequuti, suæ ipsius occulendæ turpitudinis omnem illi occasionem eripuissemus. Itaque quum vera de vtroque fœdere sententia satis superque tùm illustratâ tùm demonstrata sit, restat vt Gregorii sophismata diluamus, & apertis Prophetarum & Apostolorum testimoniis refellamus, quæ est optima & certissima, in rebus quæ ad vitam æternam pertinent, differendi ratio. Atque in primis errat, & quidem vehementer Iesuita, qui legẽ quatenus condemnat, & lex mortis appellatur, & perfectissimã sui obseruationem requirit, à veteri fœdere non distinguat, vnde illi sæpe accidit vt falsò & imperitè colligat quemadmodum suis locis non minus breuiter quàm necessariò demonstrabimus. Nam si de veteri Testamẽto, vt patribus ad salutem datum est, à Deo differimus, nemo nisi omninò cæcus non videt vtriusque fœderis eandem fuisse rationem, si duntaxat substantiam, & non dispensationis modum examinemus. Neque enim qui sub Mosaica lege vixerunt, magis obseruatione præceptorum legalium coram Deo sunt iustitiam consequuti, quàm nos consequimur, sed omnes ab orbe condito ad consummationem vsque mundi fideles, vna fide iustificati sunt & iustificabuntur. Rom. cap. 3. ver. 20. *Propterea ex operibus legis nulla caro iustificabitur in conspectu eius, per legem enim agnitio peccati.* ibid. vers. 30. *Siquidem vnus Deus est qui iustificabit circuncisionem ex fide, & preputiũ per fidem.* ibid. cap. 4. vers. 3. *Quid enim scriptura dicit? Credidit autem Abraham Deo, & imputatum ei est pro iustitia.* ibid. ver. 13. *Non enim per legem promissio cessit Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei.* Gal. cap. 3. ver. 17. *Hoc autem dico, pactionem antè confirmatam à Deo respectu Christi, lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritam, vt aboleat promissionem. Nam si ex lege est hæreditas, non iam ex promissione: Abrahæ verò per promissionem gratificatus est Deus hæreditatẽ.* quibus addenda est illa ex Propheta sententia, Iustus ex fide viuet. Quid ergo? nullane est legis quatenus opera exigit atque Euangelij oppositio? Est certè, solent enim homines de viribus & præstantia, quàm falsò sibi arrogant, sæpè impudenter differere, quod vitium est Pontificiis cum Scribarum & Pharisæorum glorioßissima & nihilominus sceleratissima factione commune, qui quum diuini fœderis

naturã atq; rationẽ aboleuiſſent, de legali obedientia, & meritis humanis ad rauim vſq; contendebant. Huic hominũ generi Paulus perfectionẽ legis & ſcopũ obiicit, vt intelligeret neque humanas vires obedientiæ atq; præſtationi legis ſufficere, neq; illos tenere cur à Deo lex ſit hominibus data, qui vitã æternã legis obſeruatione, vt loquuntur, mereri ſe poſſe putant, neq; ſuæ imbecillitatis cõſcii apud ſe cõſiderant, quã verè Apoſtolus dixerit legẽ trãgreſſionũ cauſſa eſſe poſitã, id eſt, vt homines cognoſcerent ſuis tranſgreſſionibus reuelatis, ſe ſola Dei gratia hæreditatẽ Abrahamo reliquiſq; fidelibus pollicitã adire. Quãobrem hæ ſententiæ. Execrabilis qui non permanſerit in omnib' quę ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Qui fecerit, homo viuet in eis, non de toto veteri fœdere ſunt intelligendę, ſed ad refellẽdã iuſtitiariorũ hypotheſim exemplo Apoſtoli accõmodandæ. Quòd verò ad iuſtificationem gratuitã attinet, quamuis patefacto demũ incarnationis filii Dei myſterio ea multò luculẽtior effulſerit, tamẽ fatẽdũ eſt omnibus ſeculis ſuã vim obtinuiſſe, vt ex ſuperioribus ſententiis tã facilè colligimus nemo vt inficiari poſſe videatur, niſi aduerſus ipſam veritatẽ in omniũ oculis poſitã ſpõte ſua dimicare velit. Ex quibus apparet quã miſerè hallucinetur Gregori', qui quũ ignoret τὸ σημαινόμενον, de re nihilominus tãta tãq; difficili ſe rectè atq; ordine diſputare poſſe confidat, obiicit poſteà nos iuſtificationẽ ab obſeruatione legis ea de cauſſa remouiſſe,

uiſſe, vt particularẽ certitudinẽ ſalutis cõſtituere mus. Quũ enim ait, propter humanę naturæ infirmitatẽ nullus omninò ſit, qui certò ſtatuere poſſit, ita ſe præcepta ſeruare ſicut oportet, ſi Euangelica promiſſio pendeat ab obſeruatione debita præceptorũ, vident ſuũ illud axioma iacere. At nemo non videt, Gregori, te, quũ ita diſputas, & à teipſo, & q̃ eſt lõgè grauiùsà veritate diſſentire. Peto enim vt exponas, num ille qui legem Dei legitimè obſeruat, Deum ex toto corde ſuo quærat, & viciſſim num ille qui Deum ex toto corde ſuo quærit, legẽ Dei legitimè obſeruet, ita vt æqualem vim habeãt duæ propoſitiones iſtæ, Deum ex toto corde quærere: &, legẽ Dei legitimè obſeruare. Si negas, ipſe te Chriſtus redarguit qui legis epitomen his verbis apertè nobis explicat. Matth. cap. 22. ver. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota cogitatione tua. Iſtud eſt primum & magnum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic, diliges proximum tuũ vt teipſum. Ab iſtis duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent.* Sin autem fateris, tibi ipſi contradicis: nam & hoc in loco inficiaris, & alibi paſſim, hominem poſſe apud ſe ſtatuere, vtrum legem Dei legitimè obſeruet: in Theſi verò LIX. Dauidem aſſeris non minùs verè quàm confidẽter dixiſſe, in toto corde meo exquiſiui te Domine. Quod ſimiliter inquis, dicere potuerunt ſancti omnes quibus propitius fuit. Ergo ſi tibi credimus ſancti poſſunt, & nõ poſſunt apud ſe ſtatuere, an Dei legẽ

legitimè obseruent, hoc est idem non esse idē, quod est huiusmodi vt fieri nequeat. Res autem ita se habet. Quàm misera esset fidelium conditio, nisi apud se certò cōstituere possent: se ad electionem Dei pertinere, norunt illi omnes, qui seriò de morte æterna, de seuero Dei iudicio, deque sua corruptione vnquam in vita cogitarunt: vt satis mirari non possemus quanta sit Pontificiorum stupiditas, nisi sacræ literæ nos docerent sathanam in primis solere conscientiam eorum expertem omnis sensus efficere, quibus exitium molitur. Nec opus est vt eius rei testimonia in medium afferamus, quæ omnibus in promptu est. Itaq; satius erit antequam longiùs progrediamur, euincere contrariam sententiā autoritate scripturæ: nimirum electos de sua iustificatione particulari certiores esse posse, atq; etiam debere. Rom. cap. 8. ver. 14. *Quotquot enim spiritu Dei ducuntur, ij sunt filij Dei. Non enim accepistis Spiritum seruitutis ad metum, sed accepistis spiritum adoptionis per quem clamamus, Abba, id est Pater. Qui ipse spiritus testatur vnà cum spiritu nostro, nos esse filios Dei. Quòd si filij etiam hæredes &c.* ibid. ver. 38. *Nam mihi persuasum est neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque instantia, neque futura, Neq; sublimitatem, neque profunditatem, neque vllam rem aliam creatam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* 1. Cor. cap. 2. ver. 11. *Quis enim hominum nouit*

nouit ea quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui est in eo? ita etiam ea quæ sunt Dei nemo nouit nisi spiritus Dei. Nos verò non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ Deus est nobis gratificatus. Rom. cap. 11. ver. 28. *Dona & vocatio Dei eiusmodi sunt, vt eorum ipsum pœnitere non possit.* Alia possent afferri penè infinita in hanc sententiam testimonia, quibus necessariò colligitur electos de sua salute non dubitare, sed eam habere ministerio sancti spiritus certitudinem in qua non quidē securè & negligenter, hoc enim abest à vera fide, sed nihilominus placidè acquiescant. Ne autem vel Gregorius vel alius quispiam miretur me duas propositiones, de quibus paulò antè dixi, inter se exæquasse, videtur explicandum quo sensu illa intelligi debeant, ne cùm nostræ sententiæ, tum veritati repugnare videantur. Si, vt Iesuita solet, iustificationem in operibus quærimus, certum est tam fieri non posse, vt aliquis ex toto corde suo Deum quærat, quàm est ἀδύνατον vt legem impleat, propterea quòd illa Dei inquisitio & legis præstatio vnum idemque sint, vt ex Christi epitome luculentissimè comprobauimus: sin verò de electis mentio incidit, qui vnius Christi merita vt iustificentur in conspectu Dei amplectūtur, longè aliter sentiendum est. Nam etiamsi electi longè absint à perfectione legis, tamen quum veram fidem habeant, & spiritu sancto duce atque moderatore ad Deum ferantur, inchoata in eis sanctificatio, tanquam si numeris

omnibus esset absoluta, Deo placet, ideóque multa illis attribuuntur quæ propriè quidem in sese non habent, sed quoniam suo demùm tempore sunt perficienda, quasi iam perfecta essent, ita commendantur. Quis enim, si verè atque ad stateram diuinæ legis & iustitiæ hoc pronuntiatum examinare volumus, ex toto corde quærit Deum? quàm distrahuntur variis solicitudinibus atque curis hominum cogitationes? quàm rebus terrenis & fragilibus delectantur? quàm denique parùm ardenter amant Dominum? Itaque quum tot sint vbique defectus, vitia, tam in sanctissimis etiam erga Deum prodigiosa ingratitudo, quis ex toto corde suo Deum quærere meritò dicere poterit? nemo certè. Quid ergo? an lapsus est Propheta quum hoc scriberet ad memoriam Ecclesiæ sempiternam. Absit, vt de Spiritu Dei, quo dictante psalmos edidit Propheta, tam imperitè, tamque nefariè sentiamus. Sed habenda est ratio eius rei de qua modo diximus, quemadmodum spero mihi omnes concessuros, qui attentè sunt in sacrarum literarũ lectione versati.

Nunc ad modos accedo quibus sententiam nostram sibi explicare videtur & confutare Iesuita Gregorius. Atque in primis illud alienum est ab homine liberali, & bonis artibus instructo, in alterius explicanda sententia non animaduertere, quæ sit eius mens atque sensus contra quem disputat, sed suam ipsius rixandi libidinem sequi, & aduersario quæ libue-

libuerit, tanquam si ipse in exponenda mente sua præuaricatoris opera vsus esset, imponere. Cui enim nostrûm in mentem venit vt scriberet, solam fidem facere vt promissio gratiæ & vitæ æternæ impleatur in nobis, neque ad eam rem obseruationem præceptorum, tanquam conditionem necessariam requiri. Nos quidem docemus autoritate scripturarum subnixi homines iustificari sola fide, quoniam fides instrumentum est à Deo concessum hominibus, quo Christum eiusque obedientiam & sanctitatem, & in primis vnicum sacrificium amplexentur: sed apertè distinguimus inter iustificationem & iustificationis præmium. Etenim iustificatio fide duntaxat perficitur, nec in eius definitione vllis operibus bonis locus est, quoniam Deus nos fide gratis propter filium suum eiusque merita iustificat: iustificatis autem gratuitò quidem largitur æternam hæreditatem, quia est iustificationis præmium, sed antequam illud adipiscamur, instituit vt castè, sanctè, religiosè viuamus, ita vt tam necessaria sit ad vitam æternam obtinendam eiusmodi sanctitas quàm fides: diuerso tamen respectu, verè enim dixit Apostolus ad Hæbreos capite 12. versicul. 14 *Pacem sectamini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Dominum.* 2. Tim. capite 2. versicul. 19. *Solidum tamen fundamentum Dei stat, habens sigillum hoc, Nouit Dominus qui sint sui, &, Discedat ab iniustitia omnis qui nominat nomen Christi.* 1. Corint. cap. 6. versic. 9.

An ignoratis iniustos non esse Dei hæreditatem possessuros? Ne erratè, neque scortatores, neque idololatriæ, neque mœchi, neque molles, neque qui concumbunt cum maribus; neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque cõuitiatores; neque rapaces, regni Dei hæreditatem possidebunt. Vt enim à luce solis calor secerni non potest, ita iustificatio à sanctificatione, qua omnia cuiuscunque tandem sint generis opera bona cõtinẽtur separari nequit. Sed quũ quæritur cuinã accepta ferenda sit gloria eius vitæ quam suis electis Deus præparauit ante iacta mundi fundamenta, necesse est vt ad vnum Christum sola fide apprehensum ascendamus. Itaque Christi obedientia caussa est nostræ iustificationis adeoque glorificationis æternæ, fides instrumẽtum quo Christum, eiusque merita, & proinde vitam æternam nobis applicamus, sanctificatio effectus nostræ fidei, qui tam necessarius est, vt dixi, quã ipsa fides, propterea quòd esse nequit caussa sine suo effectu, quódq; Deus ordinauit, nos ad præscriptum suæ legis vitam instituentes glorificare: vtque verbo absoluam locus Iacobi quem suprà explicauimus satis superque docet, ne intelligi quidem posse fidem siue operibus cum natura fidei cõgruentibus: nec vitio etiam caret Iesuita, qui dum fingit se nobis, ne scilicet homini acuto elabamur, occurrere, in re non dubia vtitur testibus non necessariis, & τὸ παράργον ἔργον ποιεῖται, toti vt mũdo innotescat quàm occupati esse soleant isti homines, qui adeò intemperanter vtuntur & otio

otio & literis. Verùm agè, quoniam disputationis carceres ingressi sumus, quantum per temporis angustias licebit, excutiamus modos in quibus refellendis tantoperè desudat sophista Gregorius, penè vt solus sibi Pontificiis traditionibus propugnandis par esse videatur. Primus modus, quo vt ipse vult, potest sententia nostra exponi, sensum habet huiusmodi, Euangelicam promissionem ideo nõ pendere ab obseruatione mandatorum, quòd Christianus homo nullis omninò præceptis obligetur. Atqui bone vir nemo est nostrûm, qui rem se ita, vt exponis, habere sentiat, ita vt tibi facilè sit aduersus vmbram tuam digladiari. At modos scilicet omnes remouere voluisti. Optimè, sed cur in re illustri, & minimè controuersa, oleum tandiu perdis & operam? Quę nostra sit de obseruatione legis sententia in aperto est, vt ne ipsi quidem Iesuitæ, nisi frontem omninò perfricuerint, nobis exprobrare possint, nos vel bona opera inter Christianos abrogare, vel eorum dignitatẽ eleuare, vel alicui salutem polliceri, qui de vita ad normam verbi diuini, quo omnis sanctitas, innocentia, puritas continetur, exigenda non sit sollicitus. Quid ad hæc sophista noster? Lutherus ipse, inquit, aliquibus in locis apertè disputauit, Christianos aliis etiam præceptis obligari, ipsisque bona opera esse necessaria, cur ergo tandiu in re perspicua immoraris, vt quum viribus ad oppugnandam Dei veritatem tibi opus erit, isthæc tua omnis fortitudo

in neruum erumpat denique. At contraria sententia Luthero homini aliàs vario atque inconstanti, meritò nihilominus ascribi potest. Bona verba, Gregori, neque enim si Lutherus tam varius & inconstans fuisset, quàm tu vis, bestia immanis illa, quæ iam ab aliquot seculis Tarpeiam rupem occupauit, & in Adriano busto desidet, tot læthales plagas, ab illo excellentissimo Dei seruo, sagittis ex pharetra verbi diuini depromptis, constantissimè inflictas, mederi nunc frustrà conaretur. Neque tamen is fuit Lutherus qui non quotidie magis ac magis legendo Dei verbo, sibi & toti Ecclesiæ proficeret, quique si aliquando in re quapiam titubasset, ad meliorem sententiam se recipere recusaret: quam singularem modestiam si tibi fugillandam inconstantiæ nomine putas, quem ex antiquis Doctoribus eodem calumniæ atramento non asperseris, & beatũ in primis Augustinum, qui tantum abfuit vt tui simílium dentem reformidaret, suas vt ipse retractationes ad communem Ecclesiæ vtilitatem ediderit. At vestri Pontifices dum se ἀναμαρτήτους esse gloriantur, erroribus errores cumulant, & toti mundo illudunt, iam vt ne suis quidem assentatoribus ferendi esse videantur. Sed audiamus quid tandem Luthero, vt eum inconstantiæ accuses, obiicias. Nempè acriter insectaris Lutherum, quòd de bonis operibus pronuntiauerit quod res est: si enim hominis opera quantumlibet eximia considerentur, & ad amussim diuinæ legis

& iustitiæ exigantur, quid erunt aliud quàm offendicula, peccata, quę suaptevitiositate morti æternæ sunt obnoxia. Itaque etiam atq; etiã distinguendum est inter eam bonorum operum celebrationem, quæ illa vt iustificationis effecta commendat, & Pharisæorum encomia quibus nihil non operibus attribuunt. Quidquid enim ab homine proficiscitur, si iustitiã in operibus quærit, est abominatio coram Deo: sin verò vni Christi merito salutem suã fert acceptam, nemo est qui neget gratissimas Deo esse piorum ad præscriptum verbi eius institutas actiones. Quapropter hæ Lutheri sentẽtiæ, quas tu tanquam impias & blasphemas exagitare conaris, sunt verissimæ, ad normamque sacrarum literarum examinatæ. A scandalo caue diligentissimè quod obiiciunt tibi quicunque docent te operari, & nõ potius credere. Item, si voles sincera fide in Christum non excidere, sed ipsum redemptorem assequi, necessum est vt valedicas omnibus bonis operibus, ne illis aliquid mereri præsumas. Itẽ, nihil nisi offendicula sunt quę à Christo & Deo te alienant. Item, nihil verò agis, quiescis tantùm & Christi merita excipis, permittisq; tibi Christum benefacere, ac suam erga te dilectionem exercere. Neque enim opera ipsa quæ pii solent ad gloriam Dei, & proximorum ędificationem magis ac magis procurãdam edere, vt falsò & impudenter asseris, condemnat Lutherus, aut illorũ dignitatem atque excellentiam imminuit: sed loqui-

tur ex hypothesi eorum qui operibus æternam iustificationem appendunt: quæ loquendi cõsuetudo, cùm in aliis compluribus, tùm in hoc etiam argumento est sacris admodum scriptoribus familiaris, quod spero mihi omnes concessuros, qui vel à limine scripturam salutauerunt. Etenim quum de iustificatione sermo incidit, necesse est vt propter imbecillitatem & corruptionem hominis, quæ in regeneratis etiam perseuerant, nulla operum habeatur coram sanctissimi & seueriſſimi iudicis tribunali ratio, siquidem absoluendi sumus, sed vnius Christi obedientia & meritum vigeat, quod quum sit suis omnibus numeris absolutum, Deo non placere non potest. Nec non illud etiam accuratè cõsiderari debet, opera hominis, quibus attribuitur vis atque efficacia iustificandi, aut aliquid coram Deo merendi, bona non esse illo etiam sensu, quo piorum actiones commendantur, nedum vt vitã æternam mereri possint: sed nihil aliud esse quàm adumbrata simulacra virtutum: quæ nihil veri & solidi habeant, aut potius quæ quum intolerabili arrogantia tumeant, Deo non exosa esse non possint: cui nihil magis homines conciliat quàm vera humilitas, & sincera suæ corruptionis atque adeò meritæ condemnationis æternæ cognitio. Qua de causſa negat optimè Lutherus hominem ad suscipiendam Dei gratiam accommodatum esse posse, donec planè hoc apud se fixum & constitutum habeat, se inutilem peccatorem, miserum

serum, damnatum cum omnibus suis operibus contraque tantò asserit hominem paratiorem & instructiorem esse, ad viam Domini premẽdam, quantò pleniùs & perfectiùs agnouerit se nihil esse. At bonus ille disputator Gregorius satis pro excellenti acumine suo sibi esse putat, si nostra duntaxat proposuerit, quasi se ipsa refellerent.

Pergit autem hunc in modum, siue inquit, hoc Lutherus aut alij voluerint, siue non voluerint, aut certè iam turpitudine nefarii dogmatis deterriti nonvelint, certissimum est primo illo sensu phantasiam istorum cum scriptura sacra pugnare, ideoque iure in sancta synodo Tridentina fuisse damnatam. Igitur noue sophista contra vmbram tuam digladiaris, qui sententiam nostram oppugnare audeas antequam vt penitus oportuit, quænam illa sit exploraueris, vt vna eademque opera & tibi autoritatem detraxeris, & vberem nobis excipiendi materiam præbueris. Nam quis feret in rebus grauissimis accusatorem, qui se ipse quodnam sit crimen rei nescire fateatur, quod tam cognitum & perspectum habere debet, vt in iudicum oculis & mentibus apertè constituat. Tu verò, sycophanta, qui sæpe nos ignorantiæ insimulas, tuam ipse stoliditatem prodis, neque enim nostra est illa sententia quam demonstrare non potes nos amplecti: neque si sensus à te ipso ineptè atque impudenter excogitatus cum scriptura pugnat & conflictatur, nostra sententia quæ nihil habet

cum bella ista expositione tua communi, à sacrarum literarum autoritate aliena est. Rem verò vniuersam ita explico. Quæritur an Christiani aliquibus præceptis vltra mandatum fidei teneantur. Primùm ego respondeo ineptè hanc quæstionem à Iesuita institui. Fatemur enim veram fidem sine bonis operibus esse non posse, adeóque cum Iacobo dicimus eos, qui sanctè, iustè, piè, religiosè, Christianè vitam non instituunt, fidem non habere, sed duntaxat emortuum fidei simulachrum. Addimus præterea Dei legem operum esse normam, ita vt ea omnia opera Deo ingrata & inuisa esse doceamus, quæ à legis præscripto minimè pendent: quo etiam nomine Pontificiorum opera penè infinita condemnamus, quæ non modò extra Dei legem vagantur, sed etiam contra legis autoritatem suscepta sunt. Itaque Paulus qui solidam iustificandi rationem fidei, tanquam iustrumento, attribuit, non propterea è medio bona tollit opera, tanquam si essent superuacanea: imò potius apertissimè & luculentissimè constituit, demonstrátque illos demum qui Dei spiritum habent excellentissimum illud donum benè agendo exerere, quoniam vita spiritualis, quá in suis electis Deus afflauit otiosa esse potest. Quamobrem opus non erat vt Gregorius in re adeò perspicua & illustri, & minimè controuersa se ipsum lectorémque fatigaret. Nec tamen, vt sunt Iesuitæ malitiosi, noster sophista omninò sibi operam & oleum perdere vide-

videtur: existimat enim si aliquot absurda, quocunque tandem modo, cum sententia nostra conciliauerit, eam facilè repudiaturum iri, vt quæ vera esse non possit, quum scilicet cum falsis & absurdis consentiat. Sed nemo est tam hebeti atque obtuso ingenio, qui non sua spõte animaduertat, τὸ ἀδύνατόν τε καὶ ἄτοπον fingi non debere ab aduersario, sed ex antagonistæ argumentationibus firmissimè necti, vt locus excipiendi τῷ ἐνδιαβέτῳ λόγῳ nullus relinquatur. Quæ iustissima obseruatio si memoriæ mandetur, & in conferenda nostra sententia cum Iesuitæ obiectionibus adhibeatur, meridiana luce clarius apparebit, quam isti homines sint malè feriati, qui quum veritate certare nequeant, agere in omnibus calumniosè malunt, & fucum lectoribus facere, quàm se victos confiteri. Horum in numero est Gregorius reponendus, & ita quidem vt si tantùm ingenio præstaret, quantum antecellit malitia, dignus esse videretur qui oppugnatrici veræ Theologiæ cohorti vexillum præferret. Cuius rei testimonio erit altera in Lutherum calumnia. Lutherus inquit, ab hac absurditate non longè abfuit. Quanam obsecro? Nempè vt iret inficias legem Dei obligare Christianos. Quid verò Lutherus hoc affirmauit? nimirum scripsit nullum aliud esse præter infidelitatẽ peccatum apud Christianos, saltem quod eos damnare possit. Hoccine autem est asserere nullis omninò præceptis teneri Christianos? mini-

mè profectò. Sed interea dissimulare non possum te Lutheri sententiam, vt solent Iesuitæ, boni viri scilicet atque veritatis amantissimi, calumnioſè concepisse. Quid enim? an negauit vnquam Lutherus esse apud Christianos peccata, qui toties de misera etiam fidelium conditione differit? qui tam sæpè hominum sortem, ne regeneratis quidem exceptis, sub peccato vænundatam, lamentatur? qui denique Pontificiis ea præsertim de caussa refragatur, quòd illi suam in operibus salutem atque iustitiam collocent? nullane sunt igitur ex Lutheri mente apud Christianos peccata? Sed addit Gregorius, saltem quæ damnare possint. Quidtum? an eiusmodi additio calumniatorem adiuuat? Imò potius effrænatam hominis calumniandi libidinem detegit. Ergo hunc in modum fuit concipienda Lutheri sententia, omnia peccata Christianis remittuntur si infidelitatem exceperis. Docet enim τρόπος παιδείας, optimè negantes propositiones ad affirmantes reuocari solere, quò earum illustrior appareat veritas: qui enim dicit peccata omnia remitti, peccata non negat, quin potius statuit, remitti enim non possent, si nulla essent. At posteaquam Deus nostra nobis peccata condonauit, quod ad infligendā mortis æternę pœnam attinet, nulla sunt, perinde atque si nunquam fuissent cōmissa: ideóque rectè dicuntur illa tantummodo esse peccata, hoc quidem respectu, quæ nunquam Deus remittit, cuiusmodi est infidelitas: siquidem

dem opus est omninò fide, vt Christum induamus, eiusque fiamus sanctitatis, iustitiæ, puritatis participes. Deinde non expendit Gregorius, fidem Christianorum perpetuò esse cū spiritu sancto, & quidem firmissimo vinculo coniunctam, ita vt non possit non edere bonos fructus, & suæ arboris præstantiæ atque bonitati congruentes, vt neque vita Christianorum sit turpibus maculis assiduè inquinata, neq; suis operibus corā Deo cōfidat: sed in eo est statu & conditione, vt necessaria quidem illi sit sanctificatio, non autem eiusmodi vt nō opus habeat quotidiana peccatorum remissione, quam facilè obtinet à Deo si afferat seriam pœnitentiam, quæ fide subnixa peccata detestetur, & ad meliorem frugem redeat, salutis autem fundamentum in vna Christi oblatione constituat: vtque verbo absoluam, fides donum est Dei, quo reliqua omnia dona continentur, quod qui habet, salute nequit excidere, certoque nouit se quantumlibet miserum & in sese perditum peccatorem, Deo esse reconciliatum, æternæ vt fiat hæreditatis particeps. Tu verò, Gregori, qui tuendæ legis diuinæ zelo te ardere simulas, eam pessimè corrumpis. Nam & peccati cuiuscunque grauioris, inquis, stipendium mors est. Vbi hoc legisti obsecro? margini adscribis Rom. 6. At hic tu falsarius deprehenderis, nam tuum illud additamentum in Apostolicis omnibus & Propheticis literis, nedū in capite sexto Epistolæ ad Romanos minime omnium legitur:

sic enim Paulus: Nam stipendia peccati mors: donum autem Dei est vita æterna. Quid autem est peccatum? trangressio legis, vt Ioannes nos docet. Quamobrem si peccatum homines reddit æternæ morti obnoxios, & optimè peccatum definit Ioannes transgressionem legis: profectò necesse est vt colligamus diuinæ legis trangressionem quæcunque tandem illa sit, mortem æternam mereri. Nam vt alia præteream à nostris hominibus accuratè disputata, ecquid isti homines obliuiscuntur infinitam esse Dei optimi maximi sapientiam & maiestatem, quæ vel si tantillum in legem peccauerimus, læditur & violatur: idcóque nos infiniti supplicii reos efficit, quod nihil est aliud quàm mors æterna. Ecquid etiam qui nobis tam sæpè Iacobum, tanquam Pauli aduersarium, obiicere solent præclaræ illius sententiæ non recordantur. *Quisquis totam legem seruauerit, offenderit autem in vno, omnibus tenetur. Nam qui dixit ne mœcheris, dixit etiam, ne occidas. Quòd si non fueris mœchatus, occideris autem, factus es transgressor legis.* Iacob. capite 2. versicul. 10. Nec quum ita loquitur Iacobus peccata, Stoicorum more colligit esse paria, aut eum æquè reum esse qui duntaxat in vnum caput legis impegerit, atque illum qui in singula. Sed ostendit neminem posse vel vnum apicem legis transgredi, quin reus sit violatæ legis, propterea quòd summi legislatoris maiestatem offendit. Denique quum Epitome sit legis

legis charitas, necesse est vt qui vel minimam legis particulam violat, etiam violet charitatem, qua lex omnis continetur, & cuius aperiendæ atque illustrandæ gratia nobis à Deo data est. Mirum tamen videri non debet, si vos iustitiarii peccata non agnoscitis, nisi admodùm grauia, mortem æternam commereri, quod si vobis venisset in mentem, nunquam profectò de iustitia operum tam elatè tamque magnificè sentiretis. At si nullum peccatum est causa mortis æternæ, præter infidelitatem, iniqua est futura condemnationis formula, Ite maledicti in ignem æternum: Esuriui enim &c. Quasi vel Lutherus, vel aliquis nostrûm sit vnquam inficiatus, omnia cuiusque tandem generis peccata mortem æternam mereri, sed hoc sibi vult eximius ille Theologus, omnesque adeò nostri, modò vera fide præditi simus, nullum quantumlibet graue crimen impedimento futurum quominus æternæ fiamus hæreditatis compotes. At festiuè locum Apostoli ad Galatas, vbi docet Paulus nos non amplius esse sub lege, interpretaris, vt sit sensus, fideles non esse pondere timoris à lege oppressos, si spiritu charitateq; ad eam obseruandam adducantur. Quis verò non intelligit, si vsq; adeò violenter Scripturam torquere ius fasque sit, actum esse de religione Christiana: nihil enim erit tam absurdum, profanum, impium, quod non facillimè adhibita Gregoriana methodo interpretandi, ex Scriptura sacra demonstretur.

Ac primùm bellus ille sensus cum doctrina Gregoriana & Pontificia conuenire non potest: nam si verum est quod tam sæpè occinunt, propter infirmitatem hominum, & diuinæ legis excellentiam, nullum inueniri posse mortalem, qui sibi certò persuadere possit, se legem Dei obseruare vt decet eum, cui æterna hæreditas debetur: nec vlla est via præter legis obseruationẽ qua nobis cœlũ pateat, necesse est vt colligamus, quò vitæ mortisq; æternę cõditio fidelib⁹ est notior sub Euãgelio, quã fuit olim sub lege, cò magis pondere timoris oppressos esse Christianos, quàm fuerunt Iudæi. Occurrit duobus modis Gregorius: nam & de pœnis temporalibus disserit, quibus ad officiũ cogebantur Iudæi, & de spiritu & charitate, quibus Euangelium legi antecellit, multa cõmemorat. Quod ad superiorem exceptionem attinet, ignorat omninò Iesuita, vt qui fortasse nunquam in se descenderit, quàm graues sint conscientiæ cruciatus, quámque miserè vexetur ille, qui apertos quidem contemplatur inferos, de salute autem sua dubitare cogitur. Nam vt terrena & caduca fœlicitas comparari non debet cum excellentissima perfectissimaque beatitudine illa, quæ fideles excipiet, quũ Deus erit omnia in omnibus: ita nulla est temporalis atque æternæ infelicitatis proportio. Facilis autem est ad posteriorem obiectionem responsio. Nam vt spiritus & charitas sit hodie illustrior & vberior quàm olim fuerit, non efficitur vel Israelitas sub lege fuisse, vel nos à lege esse liberos, sed duntaxat differre nos aptitudine ad præstandam legem secundùm magis & minus, quod tam est alienum à Pauli scopo, quàm quod alienissimum: se ipse Apostolus explicat luculentissimè in Epistola ad Rom. cap. 6. vers. 14. *Peccatum*, inquit, *vobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub Gratia. Quid igitur? peccabimus, quod non simus sub lege, sed sub Gratia. Absit. An nescitis quòd cui sistitis vos ipsos seruos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis, vel peccati ad mortem, vel obedientiæ ad iustitiam?* concludit nimirum Apostolus nos aduersus peccatum potituros esse victoria, quod Christus nos à iugo legis, quatenus homines coram Deo peccati arguebat, liberauerit, & sub gratia constituerit, non vt nostro arbitrio vitam instituamus, sed vt religiosè Deo seruientes fructum reportemus iustitiæ, nósque amplius lex non terreat, quàm hoc quidem quo dixi respectu redemptor noster cruci affixit, nósque ab eius imperio, iusto quidem, sed quod propter imbecillitatem nostram præstari non posset, vindicauerit. Nec magis verè qua ratione lex fidei vocetur, & lex factorum interpretaris, de quibus ne sim longior, alius erit dicendi locus.

Ad secundum illius doctrinæ sensum, quam nobis attribuit veniamus. Secundò inquit, cõmenti Lutherani, hic etiam vt dicebamus posset esse sensus, quamuis noua lex præcepta contineat necessariò seruanda, eorum tamen obseruationem nullo respectu aut ratione ne-

cessariam Christianis esse in eum finem, vt in illis adimpleatur gratiæ aut gloriæ promissio, sed alias ob causſas, videlicet vt fructus fidei edant, & gratos se ostendant &c. Hæc interpretatio Gregoriana, monstro similis est, vt quæ aliquid admixtum habeat veri, multum autem falsi: vera enim est illa sententia quæ docet, in nobis, vt ipse loquitur, promissionem adimpleri gratis, & quæ ab obseruatione legis non pendeat: sed falsa est illa quæ affirmat obseruationem legis diuinæ non esse necessariam in eum finem, vt æternam hæreditatẽ adeamus. Quod vt facilius percipiatur, distinguendus esse videtur modus quo nos ad fœlicitatem æternam Deus adducit, à causſa nostræ salutis. Negamus enim quanta possumus contentione maxima salutem nostram in operibus vel in solidum, vel aliqua ex parte constituendam esse: docemúsque autoritate verbi diuini subnixi, nos vnum habere in cælis & mediatorem & redemptorem, qui omnes nostræ salutis partes absolutissimè impleuit, ex quibus efficitur, opera hominum, quocunq; tandem nomine censeãtur, in definitionem causſarum minimè posse cadere, quibus vitam æternã acceptã ferre debemus. At quũ de modo agitur, longè alia nobis est ineunda ratio, quam accuratissimè, vt omnia pauculis verbis explicauit Apostolus, & ꝙ maximi est momenti, cũ primis & ἀμέσοις causſis admirabiliter copulauit. Rom. ca. 8. ver. 29. *Quos*, inquit, *præscinit, eosdem & prædestinauit, vt conformes fiant imagini filij sui, vt is sit primogenitus inter multos fratres. Quos verò prædestinauit, eos etiã vocauit, & quos vocauit, eos etiã iustificauit: quos autẽ iustificauit, eos etiã glorificauit.* Itẽ Eph. ca. 1. v. 3. *Elegit nos Deus in Christo antequam iacerẽtur fundamenta mundi, vt simus sancti & inculpati coram eo per charitatẽ.* Itẽ, 1. Petr. ca. 1. ver. 2. Apost. fideles vocat *delectos ex præscito Dei patris ad sanctificationẽ spiritus, per obedientiã & aspersionẽ sanguinis Iesu Christi.* vnde liquet iustificationẽ hominũ à Christi merito pendêre, modũ autem quo non ipsam iustificationẽ, sed iustificationis præmiũ obtinemus, fide & bonis operibus contineri, nemo vt vitã æternã sit ingressurus quin sanctè & religiosè ad præscriptum legis cœlitus patefactæ vitã instituerit. Quamobrẽ aduersus Gregoriũ asserimus hanc esse nostrorũ hominũ sententiã, omnes quidẽ electos iustificari sola fide Christi merita & sacrificiũ apprehendente, bona autẽ opera, siue mauult obseruationẽ legis esse necessariã vt ad finẽ iustificationis nostræ perueniamus, quoniam Deus hunc tramitẽ suis aperuit quo strenuè incidentes, promissã ante conditũ mundũ hæreditatẽ adirẽt, vtq; breuiter ita vt se habet, rẽ vniuersã explicẽ, nõ modò legis obseruatio necessaria est, vt effectꝰ necessariò sequitur causſam: verũ etiã vt modus quẽ Deus apud se constituit coronandorũ vita æterna fideliũ. Sed audiamus qua tandẽ ratione suã calũniã cõprobet Iesuita Gregorius. Et hoc inquit, modo ab istis accipi oportere ꝙ asserũt illud argumentũ declarat,

quod anteà dicebamus ipsos ad hanc vanitatẽ impulisse. Si enim, vt frustrà cupiunt, certi absque vlla hæsitatione esse volunt, quòd sint in gratiam recepti, necesse est negent obseruationem legis vllo prorsus respectu aut modo requiri ad eum finem, vt quis siue per ipsam obseruationem, siue alia via gratiam consequatur. An certi esse possimus aut etiam debeamus de salute nostra, paulò antè nobis est disputatum, neque res obscura esset, nisi homines in tenebris versari, quàm effulgentẽ diuini verbi, nostra etiam memoria cælitus accensi, lucem suspicere mallent. Quid enim? an est ignotum fidelibus clamantis Abba pater in suis ipsorum animis & cordibus sancti spiritus testimonium? an sua ipsorum eos latet cognitio & fides? an se amare Deũ & peccatis offendi nesciunt? annon etiã didicerunt dona Dei & vocationẽ huiusmodi esse, vt eorum ipsum pœnitere non possit? an denique Scripturam minimè audiunt, quæ nos vbique bono esse animo iubet, & de nostra salute contra omnes mundi atque adeò Sathanæ impetus confidere? Nam quid exempla testimoniaque sigillatim commemorem, quum passim occurrant, nemo vt illis carere possit? Attamen exortus est sophista Gregorius, qui aduersus scripturæ ipsius autoritatem impotenti audacia insurgit. Vocat enim eam nostræ salutis certitudinem, qua nihil est pulchrius, nihil pretiosius, nihil denique homine pio & Christiano dignius, falsam opinionem, dogma hæreticũ, phan-

phantasma, commentum, & quid non? neque tamen aut suis contumeliis, aut argumentationibus quicquam efficit, quod cum scopo, quem sibi proposuit, consentiat. Cur enim tolli debet nostræ salutis certitudo, si aliquo respectu obseruatio legis est ad salutem necessaria? quoniam vos etiam confitemini dubitandum esse an præceptorum obseruatio sit talis, qualem esse oportet. Ad ingenium redis Gregori, nos enim dubitare non solemus de re quæ omnibus Christianis cognita est atque perspecta. Cui enim præter te vnum in mentem venit vnquam legem obseruari posse, vt oportet: quum propter legis præstantiam & hominis non tantùm imbecillitatem, verùm etiam corruptionem istiusmodi obseruatio planè sit ἀδύνατος. Itaque vt paucis expediam nostra est doctrina, homines quantumlibet regeneratos, semper in obseruatione legis deficere, ideóque in conspectu Dei suam conditionem seriò lamentari, nec tam malè à sacris literis paratos esse, vt in re tam illustri & conspicua sibi dubitandum existiment: & nihilominus ea quæ est omninò necessaria, vt placidè in Deo acquiescamus, certitudo salutis non excidit. Non enim pendet à præstatione legis, neque vt clarius exponam quod sentio, plena & absoluta legis obseruatio requiritur quò certiores de nostra electione, ac proinde salute immutabiliter à Deo ante constitutionem mundi prædestinata fiamus: sed vt tanto tamque excellenti beneficio fruamur spiri-

tus sancti nostręque conscientiæ testimonium sufficit, quod in electis adeò est illustre atque indubitatum, nihil vt certius esse possit. Nam ad legem quod attinet, sponte fatemur electos lege diuina delectari, quam si non ample exterentur, electi non essent: addimus quoque illam delectationem otiosam non esse, imò pietatis, iustitiæ, integritatis omnium deniq; virtutum fructibus abundare: sed in eo vehementer falluntur Pontificii, quòd perinde atque si sub lege Christiani essent, illorum vitã ad legis præscriptum examinant, vt ex illa fiat iudicium, vitane sint æterna coronãdi, an sempiterno afficiendi supplicio, quæ profectò sententia vniuersam Euangelij rationem funditus euertit, adeóque quotquot sunt, fuerunt, & ad consummationem vsque mundi futuri sunt homines, spe salutis exclusos æterno addicit exitio. Quid ergo? an legis obseruatio testimonium fidelibus non reddit se à Deo esse electos? an verò aliquis apud se potest constituere se legem ita obseruare hoc vt testimonio verè fruatur? facilis est solutio, si Paulum audiamus, Rom. cap. 8. versi. 6. *Intelligentia*, inquit, *carnis mors est, intelligentia verò spiritus vita & pax. Propterea quod intelligentia carnis inimicitia est aduersus Deum, legi enim Dei non subiicitur, nam ne potest quidem*, paulò antè dixerat, nempè cap. 7. versi. 18. *Noui enim non habitare in me (id est in carne mea) bonum, nam velle adest mihi, sed vt quod bonum est perficiam, non assequor. Non enim facio bonum quod volo: sed*

sed malum quod nolo, hoc ago. Quod si id facio quod ego nolo, non amplius ego id perpetro, sed peccatum quod in me habitat, id perpetrat, comperio igitur volenti mihi facere bonum, hanc legem impositam esse, quòd mihi malum adiaceat. Delector enim lege Dei quod ad interiorem hominem: sed video aliam legem in membris meis rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis? Gratiãs ago Deo per Iesum Christum Dominum nostrum. Nempè igitur ipse ego mente quidem seruio legi Dei, carne verò legi peccati. Nulla igitur nunc est condemnatio iis qui sunt in Christo Iesu; id est qui non secundum carnem incedunt, sed secundum spiritum. Ex quibus efficitur salutis nostræ, quam omninò requirimus, certitudinem non pendere ab ea legis obseruatione, quæ nos lateat, vt volunt & docent Pontificii: sed ab vnius Christi merito, deinde quum homo ψυχικὸς legem Dei summo prosequatur odio, nec illi subiici possit, eum qui lege Dei seriò delectatur, & in suis peccatis in dies corrigendis est occupatus, satis prodere se spiritualem esse, ac proinde ad vitam æternam necessariò pertinere. Quid enim sibi vult illa spiritus & carnis lucta? an ostendit nos Dei legem obseruare vt decet? imò si vt oportet legem Dei obseruaremus, nulla esset conflictatio. Nam vbi nulla est rebellio, neque opus etiam est concertatione,

Quid verò, ne singula persequar, in sanctissimis etiam hominibus testantur periculosi lapsus, nisi esse imperfectam dum in terra viuimus nostram erga Deum charitatem, ideoq; legis obseruationem, quæ nihil est aliud quã amor & charitas? colligamus ergò aduersus Iesuitam hunc in modum. Si nemo lege Dei seriò delectatur, nisi qui spiritu Dei est præditus ad salutem, & omnes qui hoc Dei donum possident, vita æterna excidere non possunt: certè illi omnes qui lege Dei seriò delectantur vita æterna excidere non possunt. Nec illa delectatio ita est obscura, vt non electis omnibus tempore suo pateat. Neque enim spiritus quem habent à Deo, quique testimonium illis reddit, eos decipi patitur, neque piorum est tam hebes conscientia, vt se Deum amare, peccata detestari, ædificationem Ecclesiæ procurare, bonis denique operibus delectari nesciat: quæ vbi homini accidunt, tam est verum ad electionem æternam illum pertinere, quàm solem meridie lucere. Quid ita obsecro? Quia dona illa Dei sunt ἀμεταμέλητα, atque huiusmodi vt cum solis electis communicẽtur. Quamobrem non animaduertit Gregorius se quum hanc sententiam appellat hæreticam, impiam, blasphemam, Deo ipsi atq; Apostolis facere iniuriam, quæ dissimulari non possit.

Neque veriùs sophista Gregorius nos, quasi non procederet assignatum à nostris hominibus legis & Euangelij discrimen traducit, quum potius non intelligat quid sentiamus aut

aut quid ipse loquatur. Sic ergo Iesuita. Nam in primis si, vt passim significant, de obseruatione legis tam perfecta, quàm post Adæ peccatum nequit esse, loquantur: quæ videlicet procedat ex integra iustitia, qualem initio accepit Adam, non potest procedere assignatum ab ipsis inter vtramque legem discrimen. Vt enim Euangelica promissio non pendet ab eiusmodi obseruatione, ita neque promissio veteris legis pendebat. Hîc ludit σφαλερὰν ὁμωνυμίαν Iesuita. Lex enim vetus accipienda est dupliciter. Modò enim totam veteris Testamenti rationem suo ambitu complectitur: modò ex hypothesi Iudæorum legem, quatenus iustitiam requirit operũ, significat. Quod ad priorem attinet interpretationem longius etiam progredimur, quàm à nobis efflagitat sophista Gregorius: credimus enim patres, qui sub lege Mosaica vixerunt, non modò ex integræ iustitiæ operibus coram Deo non fuisse iustificatos, quæ conditio planè est, quemadmodum etiam concedit Gregorius, eiusmodi, vt præstari non possit, sed ne opera quidem eorum in iustificationis rationem venisse. Docet enim Apostolus, hæreditatem obtigisse Abrahæ per promissionem, quam lex quæ longo post tempore data est, abrogare non potuit. Præterea quis non intelligit sacrificium Christi habuisse vim atque efficaciam ab æterno iustificandorum omnium electorum, qua de caussa dicitur Agnus à constitutione mundi mactatus. Posterior autem expositio legis

veteris à Paulo contra iustitiarios vsurpata est quidem hominibus ἀδύνατος, sed nihilominus vera. Nam homines sunt corruptissimi, Deus tamen est iustissimus, ideóque efficitur non esse diuinam iustitiam humanis viribus metiendam. Deinde sua ipsius homini culpa contigit vt corruptus esset, non autem ita est à Deo creatus. Sed video quid te reliquósque Pontificios, vt de iustitia Dei atque legis tam humiliter sentiretis, coegerit. Nimirum iustitiam in vestris operibus quæritis, quæ profectò nulla esse potest, si ad legem Dei vndequaque perfectam exigatur. Itaq; errorem error propugnat: falsum enim est homines suis operibus coram Deo iustificari, falsum est quoq; legem Dei tam esse imperfectam, quàm tu esse vis. Quid enim sibi vult Paulus quum omnes omnium & seculorũ, & nationũ homines, condẽnat, eò quòd legi diuinæ non obtẽperauerint, nisi legẽ diuinã esse huiusmodi, vt vires humanas longo interuallo superet? Ideò Christus pro nobis legẽ impleuit, vt nos ab eius imperio in libertatẽ assereret. Eaq; de caussa rectè Paulus Gal. cap. 3. ver. 10. *Nã quotquot*, inquit, *ex operibus legis sunt, sub execratione sunt. Scriptum est enim, Execrabilis quisquis non manserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Nam vt quæstionem illam de integra iustitia relinquamus, peto à Gregorio vt explicet an homo ita suam instituere vitam possit, vt in legem non peccet: si fateatur, tota illi repugnabit scriptura, & in primis Ioannes.

1. Ioã.

1. Ioan. cap. 1. ver. 8. *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra, & purget nos ab omni iniquitate.* Sin verò neget, quum inficiari non possit ex doctrina quam profitetur hominẽ ad legis obseruationem obligari, concedat necesse est impossibilẽ esse illam obligationem, quã sua omni industria præstare nequeat: ex quo efficitur iustificationem electorum minimè à lege petendam esse, sed à gratia fidei. Quamobrẽ ruit etiam sponte sua illud additamentum Iesuiticum: videlicet vanissimum esse somniũ, putare aliquã Dei legẽ vnquã homines obligauisse, vt ex illa iustitiæ integritate operarentur. Quod enim lex Dei requirit, id ad consequendũ per Christi merita finẽ supernaturalẽ hominibus est in hac vita ordinarie necessarium. Atqui, bone vir, melior est Paulus interpres cur lex hominibus data sit, quã omnes Iesuitę. Transgressionũ, inquit, caussa lex posita est. Item, concluſit omnia sub peccato scriptura, vt omniũ Deus misereretur. Deinde non animaduertit Gregorius se, vt sophistæ solent, sibiipsi cõtradicere. Siquidẽ hæc duo inter se pugnant & conflictantur pronuntiata supernaturalẽ finẽ consequi per merita Christi, & vitam æternam mereri per obseruationem legis. Quid enim si legem homines obseruant opus est Christi merito? & contra, quid si Christi meritũ hominibus à Deo imputatur, quod ad iustificationem attinet,

opus est obseruatione legis? At passim docet scriptura Christum salutis nostræ omnes numeros absoluisse, vt si tantùm credamus, illam apprehendere possimus. 1. Cor. cap. 1. vers. 30. *Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, iustitiáque, & sanctificatio, & redemptio.* Rom. cap. 10. vers. 5. *Moses enim describit iustitiam quæ est ex lege, his verbis, quòd qui præstiterit ea, viuet per illa. At quæ est ex fide iustitia, ita dicit, ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? hoc est Christum ex alto deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Propè te verbum est in ore tuo & in corde tuo. Hoc est verbum illud fidei quod prædicamus. Nempè quod si confessus fueris ore tuo Dominum Iesum, & credideris corde tuo quod Deus eum excitauit à mortuis, seruaberis.* Gal. cap. 5. vers. 4. *Facti estis inanes separati à Christo, quicunque per legem iustificamini, & à gratia excidistis.* Rom. cap. 3. vers. 19. *Vt omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei. Propterea ex operibus legis nulla caro iustificabitur in cõspectu eius, per legem enim agnitio peccati. Nunc verò absque lege iustitia Dei patefacta est, comprobata testimonio legis ac Prophetarum. Iustitia inquam, Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt.* De lege autem & consilio, id est de absurdo & prophano commento alius erit dicendi locus. At integritas originalis iustitiæ non est ad supernaturalem finẽ necessaria, quòd Deus ab æternitate decreuerit

rit prædestinatos omnes ab Adam & Abel iusto, vsque ad vltimum qui nascetur, propter Christi merita, sine eiusmodi iustitia, aut actionibus ex ea procedentibus, perducere ad beatitudinẽ. Egregia certè argumentatio, & Iesuitarum societate dignissima. Imo potius ita concludendum fuit, iustitia originalis necessaria non est ad æternam fœlicitatem consequẽdam, quia homines iustificantur Dei gratia nõ autem operibus. Nemo enim non videt operum iustificationem intelligi non posse, propter naturam legislatoris perfectissimã, quin illa sit omnibus suis numeris & partibus absoluta, & proinde omninò respondeat illi iustitiæ originali, qua Deus initio communem generis humani parentem exornauit. Vera igitur caussa cur opus non habeamus originali iustitia, non est, quòd lex Dei minus perfectã requirat, sed quòd Christus seipsum pro nobis sanctificauit in nõsque sua merita omnia locupletissimè contulit. Error est, τὸ μὴ δίκαιον, ὡς ἄδικον. At nusquam in scriptura quam vnicè iactatis, homines operari debere ex huiusmodi iustitia inuenietis. Quid ergo sibi vult Apostolus, qui quemadmodum paulò antè commemorauimus, docet ἀδύνατον esse homini etiam regenerato legem Dei obseruare? Nonne satis ostendit iustitiam quæ in lege continetur, excellentiorem ac præstantiorem esse, quàm vt illam vires humanæ, gratia quoque Dei adiuuante, consequi possint? Et quænam obsecro illa fuit nisi perfectus Dei amor &

charitas? Nec tuam moror ineptissimam, & centies millies confutatam, mortalium & venialium peccatorum distinctionem. Tantum dico te conscientiam cum sensu amisisse, qui asseras, fideles mortalib' peccatis, hoc est mortem æternã ex vestra doctrina merentibus, carere posse: quo theoremate nullum est ferè in Theologia Pontificia superbius, atq; etiam ꝙ magis abominandum esse videatur. Sed vrget Gregorius. Quis enim credat, obsequium ꝙ ne per gratiam quidẽ præstari queat, ab homine requiri illis verbis. Quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominũ Deum tuũ, & ambules in viis eius, & diligas eũ. Quasi dicat res est planè quã adhuc præstare potes. Verumenimuerò nõ animaduertit Gregorius quàm imperitè locum illũ & reliquos similes torqueat, vt dogma impium & blasphemum comprobet. Quamobrem mihi esse videtur paulò accuratius explicandus, omnes vt intelligant, quænã sit vera expositio, quámq; longè à Mosis sententia Gregorius aberret. In primis constituendum est, vt diximus, legẽ Dei esse in duplici cõsideratione ac differentia positam: nimirum vt homines condemnat eò, quòd quum illa iustitiam præscribat, hi reperiantur iniusti: vtq; fœdus quod cum hominibus, pro infinita benignitate sua icere Deus voluit, significat. Quamobrem si quis à me quærat quorsum illam Mosis sententiam à nostro Iesuita propositam pertinere putem, respondebo, ad fœdus referendam esse, quod Deus

Deus cum Israelitis contraxit, eaque de caussa sic exponẽdam esse, vt Apostolus eiusdem autoris consimilem locum, quem paulò antè laudauimus, explicauit Rom. cap. 10. versi. 6. & 7. iustitia enim legis per fidem adimpletur, ita vt non iam sit ἀδύνατος sed δυνατὸς, modo illius obseruationis rationem teneamus, sanctificatio enim quæ in nobis est inchoata, propter Christi meritum Deo placet, non quidem tãquam iustificatio, hæc enim solius fidei opus est, sed tanquam iustificationis, quemadmodum sæpè iam dixi, effectus. Itaque colligimus imperitissimè Gregorium ad iustificationem operum, quam neque demonstrauit, neque demonstrare vnquam potuit, huiusmodi testimonia contorquere, contrà quem Apostolus exemplo suo atque autoritate doceat. Error est igitur falsa Scripturarum expositio, quo errore nullus est Iesuitis omnibus familiarior, penè vt nunquam sacras literas in suæ sententiæ confirmationem adducant, quin apertè illas & impudenter corrumpant atque detorqueant. Sic autem præstantissimus videlicet Theologus colligit. Ex his locis perspicuè apparet præceptum diligendi ex toto corde Deum, sic in hac vita impleri posse, vt peccatum certè contra illud vitetur. Si Pelagius ab inferis resurgeret quid magis blasphemum dicere posset? ostendimus enim supra legem Dei charitate contineri, ex quo efficitur, si præceptum quo Deum diligere iubemur ἀναμαρτήτως præstare in hac

vita possumus, nos legis solidam iustitiam adimplere posse, ac proinde eò perfectionis tandem peruenire, vt iam in peccatorum numero habendi non simus: sed ἄμωμοι καὶ ἀνέγκλητοι iure legitimo & nostro simus vocandi, quod quàm piè atque orthodoxè dicatur viderit Gregorius. Ad me verò quod attinet, profiteor Iesuitam esse millies blasphemum, execrandum, impium, addo etiam infideli peiorem, qui hæc portenta, quantum in ipso est, in Ecclesiam Dei inuehere conatur: neque possum mihi persuadere tam stupidos esse Pontificios reliquos, vt istius hominis blasphemã doctrinam suo calculo approbent. Nec locus ex secundo capite prioris Epistolæ Ioannis depromptus, quicquam Iesuitam subleuat. Qui seruat verbum eius, verè in hoc charitas Dei perfecta est. Tria enim sunt obseruanda in loco illo Ioannis, nempè, cognitio Dei, charitas Dei, & præstatio mandatorum eius. Solent enim homines admodum frequenter gloriari de sua cognitione & charitate quam erga Deum habent. Respondet Ioannes, vos certè fallimini qui Deum vos nosse contenditis, quamobrem? nimirum quia Deum minimè vt par est, diligitis. Cur ita obsecro? quia de obseruanda lege diuina non estis soliciti. Quis enim nouit Deum? qui Deũ amat, quis autem Deum amat? qui Dei legem obseruat. Ergo Dei cognitio, & charitas, & diuinæ legis obseruatio inter se sunt inuiolabili nexu coniuncta, vt separari nõ possint: vtq; verbo expediam

diam hic Ioannes opponit veram & germanã charitatem commentitię. docet enim eos verè diligere Deum, qui eius mandata obseruant, vt conuincat oppositione contrariorum, odisse Deum eos qui de obseruanda lege diuina minimè curant. Sed vrget vocabulum perfecta Gregorius, quasi perfectè amare Deum possimus, dum in terra versamur. Facilis est solutio. Primùm enim non quærit Ioannes quis perfectè, sed quis verè amet Deum, ideóque τελειῶν hoc loco non declarat perfectè aliquid præstare, sed mendacio & simulationi opponitur, deinde notandum est Ioannem scripsisse, ἀληθῶς ἐν τούτῳ ἡ ἀγάπη τοῦ θεοῦ τετελείωται. id est, verè in hoc charitas Dei adimpleta est, quoniam Deus est qui pro gratuita sua beneuolentia efficit in nobis vt vèlimus & possimus. Ad extremum hæc loquendi formula est scripturæ admodum familiaris, vt perfectum illud esse dicatur, quod suo tempore tandem est perficiendum, quodq; nihil habet cum hypocrisi & simulatione commune.

Audiamus verò ἀμιτακίνητον καὶ ἀμφίσομον δίλημμα, quo admirabiliter suam sentẽtiam tuetur Gregorius. Aut enim homines, inquit, quibus factæ sunt promissiones, quæ ab integræ iustitiæ obseruatione penderent, potuerunt alia via salutem cõsequi, non adhibita illa conditione, aut non potuerunt. Si potuerunt, non igitur Deus promisit illis salutem dependenter ab obseruatione eiusmodi tanquam à conditione necessaria, sine qua videlicet nol-

let salutem conferre. Si non potuerunt, nullus igitur ex illis salutem vnquam consequutus est, quia nullus conditionem ad id necessariam adhibuit. O acutum Iesuitam! Quum dicimus neminem posse iustificari ex operibus legis, nisi perfectè legi obtemperauerit, non est nostra sententia, hominem vllum inueniri posse qui ad eum perfectionis gradum ascendat: neque etiam Deum legem hominibus dedisse, vt ex iustitia operum coram ipsius tribunali tandem illi glorificentur. Si enim ille Dei fuisset in condenda & publicanda lege scopus, vires homini suppeditauisset, quibus perfectè legem adimpleret. Quæ fuit ergo Dei mens & consilium? cur homini legē proposuit cuius inutilis erat futura cognitio? Fundamenta Theologiæ subuertunt, qui tam imperitè argumentantur. Quum excidit originali iustitia generis humani parens Adamus, se, posteritatemq; æterno mancipauit exitio. Hanc enim sententiā, quæ irrita esse non posset, Deus pronuntiauerat Gen. ca. 2. ver. 17. *De ligno scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Nullus autem dabatur ad vitam homini reditus, neq; enim de iustitia quū esset corruptissimus cogitare poterat, neq; si potuisset huiusmodi cogitationē susscipere vires quibus illā exequeretur aderant, neq; si adfuissent, tantū scelus in se posteritatēq; admissum reparare potuisset. Itaq; quū Deus in animo haberet hominem à tanto dedecore in æternam gloriā vindicare,

suam homini legem proposuit, qua se ipsum obligauit ad præstationē legis æterna vita cōpensandā: vnde oritur meritū ex pacto. Nec tamen propterea hominis, quā anteà fuit, melior est conditio: nā vt sese offerat homini æterna fælicitas, propter imbecillitatē nihilominus eā apprehendere non potest. Misit ergo Deus filium, vt cùm legē pro nobis absolutè impleret tùm morte sua mundi peccata deleret, vt qui crederent, non amplius ex iustitia legis salutē obtinerent sed ex merito Christi. Rectè igitur Apostol', finis inquit legis, Christus. Quāobrō malè colligis Iesuita, qui quū intelligere aut nō possit aut nolit, legē ideò esse datā, vt ea Christus adimplenda, nos ab eius imperio liberaret vtq; nobis peccata nostra ostēderet quò in nobismetipsis perditi ad Christū totis animis cō fugeremus, imperitè admodū differit de lege hominibus proposita, vt ipsimet sua iustitia beatitudinē æternā consequerentur. Itaq; sua sponte concidunt ea, quæ mox ineptissimè subiungit: certū est nullā à Deo factam esse in lege promissionē salutis nisi dependēter à Christo. Itē, ficta est & somniata ab istis promissio talis quæ ex perfectissima illa obseruatione præceptorū, tanquā ex cōditione necessaria pēdeat. Itē, Deū aliquando nihil cogitātē de Christo, promissionē vnā feciſſe, qua obseruationē ex iustitia integra tanquā cōditionē necessariā ad salutē requireret, postea verò in Christi merita intuentem feciſſe aliā, qua promitteret se sine eiusmodi conditione, quā anteà velut omninò

Universidad de Deusto
Biblioteca

necessariam requisiuerat, salutē propter Christi merita donaturum. Tu tibi videris Gregori, admodum festiuè nostram doctrinam irridere, sed non ridet Dominus in cœlis cuius veritatem non minus imperitè quàm impudenter, quasi secum ipsa pugnaret & conflictaretur traducere conaris. Rem verò ita breuiter explico, perfecta iustitia legis habet Christum pro scopo, qui eam perfectè impleuit, vt antè diximus, & hypocritas & iustitiarios abundè refellit, vt ad vnicum nomen illud confugiamus, quicunque salui esse volumus, quod & salutem nobis & vitam æternam peperit. Falleris ergo vehementer, Gregori, si existimas duplicem in Deo fuisse hominum iustificandorū rationem, quum vna potius & simplex fuerit, nempè Christus: lex verò data est tùm vt Christus, quemadmodum dixi nobis æternam vitā mereretur, vbi enim lex non est, ibi neq; meritum intelligitur, tùm vt nos peccati conuictos ad Christum adduceret. Itaque legem esse perfectissimam oportuit, vt & Christo merendi occasionem largiretur, & nostra nobis peccata in oculis & mentibus apertè constitueret, quò illorum sensu perculsi magis seriò ad Dei effusam in genus humanum clemē tiam supplices accederemus. De obseruatione autem, vt loquitur Gregorius possibili, fatemur necessariò eum, qui fide est iustificandus, dare operam vt ad præscriptum legis diuinæ suam vitam instituat, sed quod sæpissimè commemoraui, hæc omnis sedulitas est fidei

fidei adeoque ipsius iustificationis effectum, ne dum vt sit caussa, cur æternam hereditatem adeamus. Huc omnia tendunt testimonia quæ laudat Gregorius. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam Scribarum & Pharisæorum, nō intrabitis in regnum æternum. Item, si præcepta mea seruaueritis manebitis in dilectione mea. Item, si pœnitentiam non habueritis omnes similiter peribitis. Item, si secundùm carnem vixeritis moriemini &c. arbor enim iudicatur ex fructibus, & fidei veritas ex operū bonitate cognoscitur, quemadmodum ex Paulo & Iacobo didicimus. Ex quibus efficitur necessaria esse ad salutem bona opera, non quidem vt caussæ salutis, sed vt effecta & testimonia, quæ iustificationem ab vnius Christi merito pendentem consequuntur necessariò. Et hactenùs de secundo modo à Iesuita excogitato.

Supereſt vt de tertio dicamus, cuius ex Gregorii verbis sensus hic erit, nimirum etsi aliquo tandem respectu Euangelica promissio ab obseruatione mādatorum pendeat, at non eo modo certè, quasi ex eius vi compleatur, id est quasi salutem ipsa conciliet vel apprehendat, sed solam fidem hoc facere: promissionē autem legis veteris ab obseruatione mandatorum eo modo dependisse. Ludit vbique homonymia Gregorius, quæ in vocabulo legis, delitescit, de qua paulò antè diximus, tam enim falsum est antiquum fœdus ab obseruatione legis, de qua iam loquimur depēdisse,

quàm verum est vt ait Apostolus legem non esse publicatam, vt vel promissionibus esset contraria, vel quicquam illis adiiceret. Itaque hoc discrimen vtriusque Testamenti omninò est commentitium, & si quando videtur à bonis autoribus vsurpatum, necesse est vt fateamur, ex hypothesi aduersariorum vetus Testamentum significare legem nudam & simplicem, vtque promissionibus in Christo factis destituta, vitā æternā pollicetur operibus ad diuinæ iustitiæ statera examinatis: & qua de causa sit factum, abundè suprà demonstrauimus.

Eò tandem delabitur Iesuita, vt dicat nos conditionem fidei nostræ ignorare, num illa sit talis, qualem scriptura sacra requirit, vt gratiam apprehendat, videlicet an supernaturalis & legitima persuasio sit, quæ diuina inspiratione atq; operatur, an verò tantùm opinio vel temerè, vel certè sine diuino instinctu suscepta. Quid audio? an Theologum latere possunt illę Apostoli sententię. Rom. c. 8. v. 16. *Spiritu testatur vnà cum spiritu nostro nos esse filios Dei.* 1. Cor. c. 2. v. 12. *Nos verò non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui est ex Deo, vt sciamus quæ Deus est nobis gratificatus.* Denique vel nomen πληροφορίας, quo passim vtuntur sacræ literæ, satis superq; argumento est, commentitiā esse fidei conditionē nobis à Iesuita propositam, vt quæ cū πληροφορίᾳ in scriptis Apostolicis luculēter explicata conflictetur. Nam quid est ineptius & à scripturæ scopo alienius, quā illa fidei conditio, quæ nos lateat, quum tota scriptura in eo sit, vt demonstret nos à Deo nihil esse vnquam impetraturos, nisi certissimè credamus Deum minimè quidem fideles in genere, sed nos ipsos exauditurum esse. Iaco. cap. 1. ver. 5. *Quod si cui vestrum deest sapientia, postulet à Deo qui dat eam omnibus benignè, nec exprobrat: & dabitur ei. Sed postulet cum fide, nihil disceptās: nā qui disceptat, similis est fluctui maris, qui ventis agitatur & iactatur.* Sed hac de re plus satis. Pergamus ad reliqua. Contendit probare Iesuita Gregorius nos non minus æternam vitam apprehendere bonis operibus quàm fide, atque in primis docet bonos, vt ipse loquitur, motus gratiā conciliare, non autē mereri: opera verò si bona sint ad meriti quoq; rationē adscendere. Nos vtrūq; falsum esse vociferamur, & ita cōprobamus. Si opera hominis aliquid apud Deum merentur, necesse est vt perfecta sint, propter Dei naturā, quæ nihil approbare potest & non sit perfectissimū atq; absolutissimū. Quā autē quidquid ab homine proficiscatur alienū sit ab istiusmodi perfectione, tū scriptura docet, tū ipsa rerū experientia conuincit. Restat vt ad miserrimā differēdi cōditionē & Theologo indignissimā delabatur Gregorius, asseratq;, vel hominē perfectè legē implere posse, vel imperfectā iustitiā Deo ita placere, vt propter Christi meritum causa sit nostræ salutis. Hac in quæstione ita fluctuat Sophista, vt ab vtroque absurdo nō longē absit, magis tamen hoc quam illud doceat & amplectatur. Nā paulò antè quū interpretaretur,

quid esset Deum ex toto corde diligere, non minus imperitè quàm impudenter contendebat, Christianos ita vitam instituere posse vt. Item peccatum, verba hominis vsurpabo, contra illud præceptum vitari posset: qua inscitia nullam maiorem Sol ipse vidit vnquam. Etenim recte concinit Apostolus, si ex lege coram Deo iustificari volumus, legem non ex parte, non vt libuerit, sed integram esse adimplendam, quod est huiusmodi, vt fieri nequeat. Sin autem, quemadmodum velle videtur, propter Christi meritum, electorum iustitiam mereri æternam vitam asserat, petendum est ab homine, vt theorema illud autoritate scripturæ, non vt anteà fecit σοφιστῶς sed ἀναλυτικῶς demonstret, vt & ratio, & τρόπος ipse παιδίας, & eorum qui docti habentur consuetudo, penitùs efflagitat. Quod enim charitatem vitit Christi meritum apprehendere, vt & fides apprehendit, falsum est, atq; ab ipsa tùm fidei tùm charitatis natura vehementer alienum. Quid enim est Christi meritum apprehendere? nonne firmissimè sibi persuadere Christũ legem pro electis adimpleuisse, cruci esse affixum, mortem, peccatum, Sathanam, inferos deuicisse, vt imperium posteà in electos habere non possent? Istáne obsecro charitas hominibus persuadet an fides? Quid enim? an nõ tota est in eo scriptura, nobis vt comprobet nullam esse posse isti hominum generi salutem, qui legis iustitiam cum merito Christi confundunt? Nec alia de caussa tam acriter inuehitur in Ga-

in Galatarum Pseudapostolos, magnus ille Gentium doctor Paulus, quàm quod partim ex sua ipsorum iustitia, partim ex Christi merito salutem consequi vellent: quæ si Apostolica differendi ratio fuisset à nostro Iesuita prò piùs examinata, profectò intelligeret nihil se minus esse quam Theologum, qui de rebus sacris contra ipsius autoritatem scripturæ tùm sentiat, tùm loquatur. Deinde vt homini gratificemur, agè ponamus charitatem vt & fidẽ Christi meritum apprehendere, an propterea vitam æternam merebitur. Imò planè ista inter se ita repugnant & conflictantur, stare vt simul non possint, mereri æternam vitam: & meritum alterius apprehendere. Nam verùm est quidem Christi meritum quod ad imputationem attinet, cum omnibus electis communicari, non autem ipsam meriti ἐντελέχειαν quæ Christo ita est propria, vt ab illo separari non possit. Quamobrem sua sponte concidit bella scilicet atque erudita loquendi formula, nos videlicet mereri cælestem hæreditatem propter Christi meritum, quod tam absurdum est quã si assereres nos esse ἀναμαρτήτους quoniam Christus ipse fuit ἀναμαρτητος. Quàm verior est illa sententia, nos fieri æternæ vitæ participes, propterea quòd illam nobis suo sanguine Christus acquisiuit: quod meritum vera fide amplectimur, quodq; bonis operibus, in nostris animis & cordibus à sancto Spiritu procreatis luculentissimè testamur nobis verè ad salutem esse imputatum. Error est igitur

Universidad de Deusto Biblioteca

ἀφροσία διανοίας. Vlterius etiã pergit Gregorius, & ſeipſum vt ſæpe iã monui ignorãtia ſuperat: neq; enim de operibus tantũ diſſerit, verũ etiã de motibus animi, quibus gratię conciliationẽ attribuit, non autẽ, vt ipſe loquitur, meritum. Atqui falſum eſt Dei gratiam conciliari poſſe imperfectis motib⁹, quoniã omnes animi motus Dei gratia longo interuallo antegreditur: ideóq; Paulus ait nos ne bonam quidẽ cogitationẽ ſuſcipere poſſe tanquam ex nobiſmetipſis, ſed quòd idonei ſumus, id omne acceptũ ferri Deo debere. Adhæc quînam obſecro humanę cogitationes Dei gratiã cõciliarent, quũ φρόνημα τῆς σαρκὸς ſit ἔχθρα εἰς τὸν θεόν. At fortaſſe nõ intelligis de prima ſed de ſecunda gratia. Quid tum? an Deus adduci poteſt corruptiſſimis & deprauatiſſimis motibus, nobis vt ſit propitius. Nequaquam, ſed in vno Chriſto nos diligit & approbat, qui ſolus eſt cauſſa, meritum effector ſalutis noſtræ. Tu verò peſſimè omnium argumentaris. Nemo ingreditur ad vitã æternam niſi Deum diligat, ergo dilectio Dei apprehendit æternam vitam. Quid ſi ego ita colligerem. Nulla eſt cauſſa neceſſaria, quæ nõ habeat ſuum effectum, ergo effectum cauſſa eſt ſuæ cauſſæ: nonne tu ipſe me irrideres, & tamen illud facerẽ & tu facis. Etenim fatemur charitatem, pœnitentiam, integritatem, ſanctimoniam, reliquas deniq; virtutes ad conſequendam fœlicitatem æternã eſſe neceſſarias, non quidem vt iuſtificationis cauſſas, ſed vt effectus. Itaque quum tu probas neceſſitatem bono-

bonorum operum, nihil aduerſus nos concludis, quoniam ſponte confitemur cœlum patere nulli poſſe, qui ad præſcriptum diuinæ legis & iuſtitiæ ſuam vitam non inſtituat. Quamobrem ſi tibi eſt in animo rectè atque ordine argumentari, doce autoritate ſcripturæ, non quidem bona opera eſſe ad conſequendam ſalutem æternam neceſſaria, ſed ipſam ſalutem æternã promereri, quod iandiu à te, ſed vt video fruſtrà, expetimus. Tantum autem abeſt vt hoc facias, vt importuniſſimè ad motus reuoluaris, de quibus ſatis ſuperque dictum eſt. Tandem vrget Chriſti reſponſum, ſi vis ad vitã ingredi ſerua mandata, quod quum antè ſimus interpretati, non eſt diutius in re clara & illuſtri commorandum, ne ſophiſtæ noſtro ſimiles eſſe videamur, qui centies vnam eandemque crambem miſeris ſuarum theſeων lectoribus reſpondere ſolet. Addit autem, Imò ſi quę differentia eſt, obſeruatio potius mandatorum, quod ad hunc effectũ attinet, fidei videtur anteponi. Vt quum Chriſtus non ſecus quàm ſi Lutheranos ſolos notare voluiſſet, Attendite, inquit, à falſis Prophetis &c. non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnũ cœlorũ, ſed qui facit voluntatẽ patris mei qui in cælis eſt. Itẽ, omnis qui audit verba mea hęc & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti qui ædificauit domũ ſuã ſupra petrã. Quod ad primum attinet locum, & reliquos ſimiles, patet Chriſtũ, vt aſſolet iudicium de arbore facere à fructibus ſuis, nõ autem appendere ſalutẽ operi-

bus vt effectum suæ causſæ. Nam etiam si arbor nequit esse bona, quæ bonos fructus non edit, tamen apparet fructus non efficere vt bona sit arbor, sed contra bona efficit arbor vt sint fructus boni: præstantia enim effectus à causſæ prę̃stantia dependet, non autem contrà. Nec temere Scriptura tam solicitè bona vrget opera: solent enim homines, vt Iacobus disputat, de fide sibi blandiri, quum tamen fidem non habeant, ideoque sacræ literæ isti simulatæ fidei legem opponunt & opera, vt ex ea iudicium fiat veréne sint homines fide præditi, an tantum fidei vmbram & simulacrũ præ se ferant. Secundus locus ex Mattheo petitus lucet sua luce vt nostra interpretatione opus non habeat. Neque enim firmitas ædificationis causſa est cur domus stet, quemadmodum ex Christi verbis facilè colligimus, sed petrę, vt intelligamus opera nostra non esse causſas nostræ salutis, sed Christus qui est lapis ille ἀκρογωνιαῖος quibus omnes Dei electi fundantur adeò firmiter vt excidere non possint. Deinde notanda est forma ipsa loquendi qua vsus est Christus. *Quisquis audit ex me sermones istos, & eos præstat, assimilabo eum viro prudenti, qui ædificauit domum suam super petrã,* Non dixit qui ædificat, sed qui ædificauit, quẽadmodum dixerat qui præstat sermones meos non autem qui præstitit. Quamobrem? nimirum vt intelligamus præstationem Christi sermonum esse testimonium ædificationis quæ supra petram fundata est, non autem

causſam. Sed audiamus impiam conclusionẽ & blasphemam. Quæ igitur præstigiæ sunt istæ Lutheranæ ex arena nobis facere petram, & ex petra arenam, id est virtutẽ apprehendẽdi vitam æternam soli fidei, quam Christus arenæ comparauit, tribuere: obseruationi autẽ mandatorum, quam cum fide coniunctam instar esse firmæ petræ dixit, negare? Itáne tandẽ Gregori verba Christi detorques? At quis te docuit esse idem verba Christi audire, & verbis Christi credere? quis etiam tibi persuasit non esse distinguendum inter fidem iustificantem & illam qua ipsi etiam præditi sunt diaboli? quis denique vnquam ex Christi verbis collegit præter te vnum, Christum fidem cum arena, obseruationem verò legis cum petra cõparasse? Nam certè si obseruatio legis petra est, Christus esse petra desiit eaque de causſa in cœlum est ablegandus & obseruatione prę̃ceptorum salus est consequenda, quod quàm verè quámque orthodoxè dicatur Gregorio, si per otium liceat examinandum relinquo. Certè, posteà inquit Gregorius, charitatem quæ legem implet, & fide maiorem, & viãm ad beatitudinis terminum, quò tendimus, excellentiorem esse dixit Apostolus. Quod si charitas maior quàm fides est, & excellentior ad beatitudinem via est, non modò non sola fides beatitudinem apprehendet, sed aliquid aliud erit, quod excellentiùs quàm fides ad beatitudinem nos perducet. Hic locus Apostoli &à Pontificiis penè omnibus fœdè corruptus,

& à Gregorio deprauatus, priſtinæ dignitati ſuæ hunc in modum videtur eſſe reſtituendus. In primis ſcopum Apoſtoli debemus inueſtigare, atque in omnium oculis conſtituere, vt appareat quo ſenſu de charitate Paulus diſſerat, quámque ab eius ſententia turpiter ac periculoſè aberret Ieſuita Gregorius. Inter Corinthios erant exortæ contentiones grauiſſimæ, paſtorumq; ambitione & ſuperbia quotidie magis ac magis creſcebant, vt periculum eſſet ne illa excellentiſſima Eccleſia, & donis Dei ornatiſſima, ſuo ipſius extitio, tam ſingularibus cognitionis præſertim & linguarum muneribus abundaret. *Declaratum eſt enim mihi de vobis*, inquit Paulus, *fratres mei, à domeſticis Chloes, quod lites ſint inter vos. Hoc autem dico ſingulos veſtrûm dicere, ego quidem ſum Pauli, ego verò Apollo, ego vero Cephæ, ego vero Chriſti.* 1. Cor. c. 1. v. 11. & ibid. c. 3. v. 3. *Quum enim in vobis ſint liuor, & contentio, & diſſidia, nónne carnales eſtis, & ſecundùm hominem inceditis?* Vnde igitur diſſidia & contentiones oriuntur? nónne à defectu charitatis? Cur enim homo ſuperbit & gloriatur? nónne quia ſe ſuaque omnia, vt ita dicam furioſè deperit, proximi autem charitate nulla tangitur? optimè Paulus ergo iſtiuſmodi glorioſos ad charitatem reuocat, quæ certè via eſt ad excellentiam vnica & ſingularis. Quaſi Paulus ita Corinthios alloqueretur. Sunt inter vos contentiones atque rixæ, ô Corinthii, propterea quòd inter vos de gloria atque excellentia dimicatis, alius

lius enim ſuam oſtentat eloquentiam, alius de dono linguarum eſſe præditum gloriatur, alius ſe miraculis eſſe illuſtrem iactat, ſuam alius fidem, alius prophetiam, alius regendi Ecclesiam munus & facultatem prædicat. Sed quum iſto modo vos geratis, apertè comprobatis vos ignorare quænam ſit vera Chriſtiani hominis gloria, quæ profectò charitate continetur. Itaque nemo non videt Apoſtolum diſſerere de illa excellentia quam homines dum in terra verſantur conſequi poſſunt, & non vt Gregorius exiſtimat de via quæ ad beatitudinem nos ducit. Hæc enim non Charitati accepta ferēda eſt, ſed fidei quatenus Chriſti meritum apprehendit. Nec benè colligitur, charitas eſt fide excellentior, igitur magis charitate Chriſti meritum quàm fide apprehendimus, quia propria eſt fidei illa apprehenſio, charitati autem perpetuitas dilectionis & Dei & ſanctorum, quæ in altera vita continget, quum Deus erit omnia in omnibus. Nec ſophiſtam ſublevant loci, quos ex ſcriptura ſubnectit, nempè, Deus reddet vnicuique ſecundum opera ſua. Et, Beatus vir qui ſuffert tentationē, quoniā quū probatus fuerit, accipiet coronā vitę quā repromiſit Dominus diligentibus ſe. Et, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitię, quā reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex, nō ſolū autē mihi ſed & iis qui diligunt aduentū eius &c. Ex quibus efficere conatur Deū ſe obligauiſſe propter meritum Chriſti ad remunerationē iuſtorū operū. Sed

abundè à nostris hominibus responsum est, has loquendi formulas significare, non causſam cur corona iustitiæ tribuatur: sed eos denotare qui æterna vita coronandi sunt, nempè eos in quibus vera fides fuerit efficax. Itaque Scriptura non solet docere homines propter opera sua esse coronandos, sed secundùm opera sua: vt distingantur ab infidelibus fideles, pii ab impiis, regenerati ab iis qui veterem hominem non exuerunt. Nec vnquam quod maximè conatur efficiet Gregorius, quod ad iustitiam operum attinet, Deum alio modo vitam æternam esse pollicitum, quàm si homines omnibus modis legi respõdissent, vt vnus esset tantùm Christus qui legem adimpleret, omnes autem electi gratuita Dei misericordia gratuitò in genus humanum effusa viuerent. Itaque totum illud quod de iustitia ex promissione atque ex obseruatione legis ἀναποδείκτως differit, merum est somnium & cum blasphemia coniunctum, vt quod sibi Deum fingat qui neque perfectè iustus sit neque perfectè misericors, id est loco veri Dei, & graphicè in sacris literis quantùm mens humana ferre potest adumbrati, offerat nobis idolum è Ponticio cerebro paucis antè seculis progenitum.

Hactenus Gregorii sophismata refutauimus, qui quum præfixisset disputationi suæ vtriusque Testamenti differentiam, ne primoribus quidem digitis propositam quæstionem attigit: sed in eo totus fuit vt veram de iustificatione doctrinam, quãtum in se erat, subuerteret,

teret, ideóque vniuersæ Theologiæ fundamẽta conuelleret, ac proinde nullam hominibus spem salutis relinqueret. Qui conatus quoniam (quemadmodum superiore disputatione ostendimus) homini malè cesserunt, paucis exponenda esse videtur veteris nouique fœderis accuratè à doctissimis viris explicata differentia, ne lectores titulo decepti operam se perdidisse conquerantur, propterea quòd tam malè suo munere functus est Iesuita Gregorius. Ita ergo se res habet.

Si vtriusque Testamenti substantia consideretur, necesse est fateri vnam eandemque tũ veteris tùm noui rationem, quatenùs omniũ est hominum redemptor vnus, in quem & Iudæorum electi & Gentium crediderunt: Sin verò dispensationis ordinem atque modum excutiamus, hæc adnotanda esse videntur inter nouum & vetus Testamentum discrimina.

Suprà diligenter admonuimus, non esse cõfundendam veteris Testamenti rationem, cũ illa definitione legis, quæ operum iustitiam requirit, aut omninò, aut ex parte, quum de iustificationis causſa disseritur: propterea quòd hęc consideratio legis nunquã fuit hominibus proposita, vt ad vitam æternam directè illos perduceret, imò potiùs, quemadmodũ optimè Paulus docuit, per legem est cognitio peccati, &, *lex transgressionum causſa posita est*. Vt planè sit impudens Gregorius, qui nobis hoc discrimen vtriusque fœderis attribuere non vereatur. Quænam igitur sunt vtriusq; Testamenti

Universidad de Deusto
Biblioteca

veræ differentiæ? Prima est, quoniam sub antiquo fœdere patribus tam clarè non innotescebat redemptionis mysterium, vt electos qui tunc in mundo versabantur, in spem beatitudinis æternæ Deus erigeret, temporalibus præmiis eos alliciebat, quo melius & facilius de vita æterna cogitarent. quum verò Christus palam fuit retectus, & spiritualia dona vberrimè in Ecclesiam effusa, omnis ratio illa præmiorum temporalium obscurior cœpit esse, vt rectà Christum sequuti & desiderio rerũ terrestrium liberati cœlum affectaremus. Hæc prima differentia vtriusque fœderis abundè comprobabitur si nouæ atque veteris historię cõparationem instituere in animo habemus. Secunda differẽtia in eo posita est, quòd prius Testamentum adhibitis vmbrarum & figurarum inuolucris docebat Christum esse mundi redemptorem, quæ doctrina in nouo fœdere tàm apertè atque luculenter tradita & consignata extat, vt verè Paulus dixerit Euangeliũ iis demum esse tectum qui pereunt. Neque opus est vt demonstretur hoc discrimen, quũ nihil eo frequentius occurrat in scriptis Apostolicis & præsertim in excellentissima eruditissimaque illa epistola ad Hæbreos, vbi totum illud argumentum disertè ac luculenter explicatur. Tertia differentia est, antiquum fœdus tempore suo abolendum fuisse, nouum autem ad consummationem vsq; mundi esse permansurum. Quarta est prius Testamentum seruitutis fuisse, posterius autem libertatis, nam vt

ea præ-

eà prætereamus quæ ex hypotesi Iudæorum qui ex iustitia legis æternam hæreditatem cõsequi se posse putabant: certè notum est sub elementa mundi penè captiuos patres antiquos fuisse, à quibus nos Christus vindicauit, vt Deo seruiremus in spiritu & veritate. Quinta etiam addi potest, nimirum vocatio Gentium, qua fœdus quod cum genere humano icere Deus voluit non amplius angustissimis Palæstinæ finibus continetur, sed longè lateq; per totum orbem terrarum diffunditur. Hæc habui quæ pro tẽporis breuitate Iesuitæ Grægorio responderem, quem etiã atq; etiã moneo, vt propius veritatem intueri non dedignetur, vtque cogitet non esse antè ad scribendum in rebus, præsertim quæ ad salutem hominum æternam pertinent aggrediendum, quàm diligenter cognita sint atque explorata Theologiæ fundamenta, ne non modò sit labor frustra susceptus, sed etiã periculum creet illis, quorũ ædificationi nos consulere oportet.

Δόξα τῷ Θεῷ.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca